6
16-d
31

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 G
5

x Bibliotheca
jori Coll. Rom.
Societ. Jesu

19
C
6

H 7/5

Digitized by Google

Digitized by Google

P. RAMI VEROMANDUI, REGII ELOQUENTIÆ ET Philoſophiæ Profeſſoris celeberrimi,

PRÆLECTIONES,

In P. Virgilii Maronis Georgicorum libros IIII.

Diligenti recognitione multis in locis emendatæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBL. SEC. COL. ROM. SOC. IESV

FRANCOFURTI,
Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium, & hæredes Joan. Aubrii.
M. DC. VI.

Google

PRÆFATIO
P. RAMI, PROFESSORIS REGII, IN P. VIR-*gilij Maronis Georgica,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad
Carolum Lotharingum Cardinalem.

NEC *verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.* Cur enim, quod Virgilius Mæcenati ſuo quondam propoſuit, idem tibi Mæcenati

meo, hoc tempore non repo-
nam? Varia enim ſunt (ut de cæ-
teris taceam) literis deditorum
hominum ingenia. Alii doctri-
næ laudē (quæ noſtra ætate Ci-
ceronianorum fama fuit) ſcri-
bendis epiſtolis conſectantur. a-
lii poeticam Venerē, & quidem
ferè patria ac populari lingua,
potiùs ſequuntur. plurimi inter-
pretādis magni nominis autho-
ribus operam, ſed ea lege tamen
impendunt, ut muneris officiiq;
ſui partibus abundè ſatisfactum
putent, ſi ſentētias illuſtrent: in-
terdum etiam licèt improbabi-
les, attamē omni ratione tuean-
tur, ac mordicus teneant. non-
nulli, & hi quidem rariſſimi, nō
tantùm interpretes, ſed judices
&

& æſtimatores rerum eſſe volūt: quę propria quondam veterum in omnibus artibus hominum gloria fuit, quæq; noſtra memoria reviviſcere paululùm cœpit. Grammaticā enim hodie, non dico Alexandri de Villa Dei clariùs expoſitam, ſed omnino Grammaticam elegantiorem & lautiorem tenemus. In Mathematicis artibus accuratius aliquid, in Aſtrologia præſertim, quotidie cernimus. Quid Galenum in Medicina? an Galli, Germani, Itali explicare tantū, non etiam corrigere locis permultis & emendare voluerunt? In juris autem civilis prudētia homines ingenio & eruditione præſtantes, uſitatam docendi formam

penè totam mutaverūt: nec Jureconſultos interpretum veterum commento potiùs, quàm Jureconſultorum ipſorum verbis examinandis, ac ſentētiis via & ratione comparandis & deducendis, interpretātur. Genus igitur iſtud docendi, Mæcenas, imprimis amplectimur & amamus, quo diſciplinæ non modò clariores, ſed humanę vitæ commodiores & utiliores efficiuntur: quales aliquando ſpero te noſtris vigiliis ingenuas & liberales artes habiturum. Hoc in Rhetoricis & Dialecticis ſtudiis commentationes noſtræ multos annos ſecutæ ſunt: hoc item in Mathematicis elementis meditationes noſtræ jam ſequuntur:

tur: neque gratius aut optatius quicquam nobis unquam accidet, quàm ut harũ in cæteris artibus exercitationũ labores nobis perferre liceat. Itaq; ſi quid etiam eloquentiæ gratiâ profitemur, id ipſum ferè artis alicujus, prȩterea & doctrinȩ gratiâ profitemur: ut in Ciceronis Somniũ, Fatum, Leges: ut modò in Virgilii Georgica fecimus: in quibus, quæ præcepta tam multis contentionum & altercationum libris Ariſtoteles obſcurè diſputat, de ortu interituq; rerum, de accretione & diminutione, de alteratione, de loci mutatione, ea per ſpecies rerum naturaliũ demonſtrantur, quomodo generantur, corrumpuntur, augen-

P. VIRGILII MARONIS GEORGICA, P. RAMI PROFESSORIS Regii prælectionibus illuſtrata.

Argumentum primi Georgici.

GEorgicωn nomine ſcientia agri colendi ſignificatur. Γέα, terra vel ager dicitur: ἔργον, opus. Hinc γεωργία, agricultura: γεωργὸς, agricola: γεωργικός, agri colendi peritus. Hinc τὰ γεωργικὰ, documenta, agri colendi ſcientiam continentia, qualia ſunt in his Virgilii quatuor libris: primo de frugibus, ſecundo de arboribus, & præcipuè de vitibus, tertio de pecoribus quarto de apibus: ἡ γεωργικὴ etiam pro eodem dicitur. Pars autem eſt phyſicæ georgica, nempe de plãtis & animalibus. Nam cùm naturam definieris, per ſe conſtantem eſſentiam, eamque incorpoream, ut Deus eſt & mens,

aut corpoream é forma & corpore: formæque tribueris motum & ejus ſpecies, ortum, interitum, accretionem, diminutionem, alterationem, loco mutationem: naturam reperies aliam ſimplicem, aliam compoſitam. Simplicem, conſtantem aut inconſtantem: conſtantem, ut cœlum & aſtra: inconſtantem, ut elementa, ignem, aërem, aquam, terram. Compoſitam ex elementis, brutam aut vivam. Brutam, ut meteora ſunt in aëre, nubes, tonitrua, fulgura, grandines, pluviæ, venti: tum in aqua, maria, flumina, fontes, putei: tum in terra, lapides, metalla. Vivam autem, ut ſunt ſtirpes, pecudes, homines. Ergo hoc univerſæ Phyſicæ corpus cúm ita comprehenderis, perſpicies, georgicam membrum ejus eſſe é primo & ſecundo genere animatarum naturarum, ſtirpium & pecudum: quam tamen totam & integram Virgilius non deſcripſit, ſed flores tantúm decerpſit, ut Plinius prologo decimi quarti annotavit, & é libris Ariſtotelis, Theophraſti, Catonis, Varronis, Columellæ, Plinii, Palladii, qui copioſé hanc artem executi ſunt, poteſt intelligi: nec ubique generalem & omnium terrarum communem, ſed præcipué Italiæ, & imprimis Venetiæ propriam, ut Servius monuit. cauſſæ igitur agriculturæ, aliæ ſunt communes, ut antecedentes partes Phyſicæ, Deus, cœlum, meteora: aliæ propriæ, ut ſolum & ſpecies rerum. communes primo libro latiús attinguntur. Itaque divinum numen, quod poëta noverat, initio invocavit:

—Vos ó clariſſima mundi
Lumina, &c. & ſæpius appellavit:
—Pater ipſe colendi.
—Votiſque vocaveris imbrem.
ſed multo clariús illîc,
Imprimis venerare deos.—

Quibus tam multis locis, manifeſtum pietatis & religionis ſtudium ſignificat, & Deum omnis naturæ authorem parentemque confitetur, licet verum Deum neſciat. cœli veró non minorem agricolis quám nautis neceſſitatem profitetur. Hinc illa comparatio:

Præterea

Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis,
Hædorumque dies ſervandi, & lucidus anguis,
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

non ſolùm quòd cœlum menſura ſit temporis, unde clariſſima mundi lumina dicuntur Sol & Luna, quæ labētem annum deducunt, & Arcturus, Libra, Taurus, canis, Atlantides, corona, Bootes, ad temporis definitionem aſſumuntur: ſed multo magis quòd effectrix cauſſa ſit caloris, frigoris, humoris, ſiccitatis, ideoque ortus, interitus, motuſque rerum ſingularium. Nec fixas tantùm ſtellas propoſuit, ſed planetas, ut Saturnum, Mercurium, cœlumque totum, & ejus univerſam naturā: (unde eſt illa cœli mundique deſcriptio:

Idcirco certis dimenſum partibus orbem)

item lunarium tum dierum tum noctium diſcrimina: denique partium anni diſtinctionem. Et meteora copioſé adhibuit in tempeſtatibus, quarum ſigna latiſſimé deſcribuntur. Unde ſunt illa:

Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis.

Quam ob rem has generales cauſſas é Deo, cœlo, meteoris, in agricultura Virgilius repetivit: & quidē de Deo Platonem authorem ſecutus, qui Deum facit artificem & rectorem mundi: imo etiam (quamvis tamen hic Philoſophus nō perpetuò ſui ſimilis eſſe videatur) Ariſtotelem, qui quinto capite octavi phyſici diſputat, cauſſam eſſe unicam principem quæ cætera moveat, aliunde nuſquam moveatur. Itaque etiam divinam mentem ab Anaxagora celebratam collaudat, ut omnis motus authorem: & nono capite primi de cœlo, divina ſupra mundum & cœlum entia collocat immutabilia & impatibilia, optimamque & beatiſſimam vitam ſempiterno ævo degentia: unde cæteris rebus ait præſtari, aliis quidem pleniùs, aliis obſcuriùs, & eſſentiam & vitam. Et primi de Generatione capite tertio, duo principia conſtituit, aliud quidem immobile, aliud motum ſemper, Deum & cœlum nempe, ut deci-

aut corpoream é forma & corpore: formæque tribueris motum & ejus ſpecies, ortum, interitum, accretionem, diminutionem, alterationem, loco mutationem: naturam reperies aliam ſimplicem, aliam compoſitam. Simplicem, conſtantem aut inconſtantem: conſtantem, ut cœlum & aſtra: inconſtantem, ut elementa, ignem, aërem, aquam, terram. Compoſitam ex elementis, brutam aut vivam. Brutam, ut meteora ſunt in aëre, nubes, tonitrua, fulgura, grandines, pluviæ, venti: tum in aqua, maria, flumina, fontes, putei: tum in terra, lapides, metalla. Vivam autem, ut ſunt ſtirpes, pecudes, homines. Ergo hoc univerſæ Phyſicæ corpus cúm ita comprehenderis, perſpicies, georgicam membrum ejus eſſe é primo & ſecundo genere animatarum naturarum, ſtirpium & pecudum: quam tamen totam & integram Virgilius non deſcripſit, ſed flores tantúm decerpſit, ut Plinius prologo decimi quarti annotavit, & é libris Ariſtotelis, Theophraſti, Catonis, Varronis, Columellæ, Plinii, Palladii, qui copioſé hanc artem executi ſunt, poteſt intelligi: nec ubique generalem & omnium terrarum communem, ſed præcipué Italiæ, & imprimis Venetiæ propriam, ut Servius monuit. cauſſæ igitur agriculturæ, aliæ ſunt communes, ut antecedentes partes Phyſicæ, Deus, cœlum, meteora: aliæ propriæ, ut ſolum & ſpecies rerum. communes primo libro latiús attinguntur. Itaque divinum numen, quod poëta noverat, initio invocavit:

——Vos ó clariſſima mundi

Lumina, &c. & ſæpius appellavit:

——Pater ipſe colendi.

——Votiſque vocaveris imbrem.

ſed multo clariús illic,

Imprimis venerare deos.——

Quibus tam multis locis, manifeſtum pietatis & religionis ſtudium ſignificat, & Deum omnis naturæ authorem parentemque confitetur, licet verum Deum neſciat. cœli veró non minorem agricolis quám nautis neceſſitatem profitetur. Hinc illa comparatio:

Præterea

Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis,
Hœdorumque dies ſervandi, & lucidus anguis,
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

non ſolúm quód cœlum menſura ſit temporis, unde clariſſima mundi lumina dicuntur Sol & Luna, quæ labētem annum deducunt, & Arcturus, Libra, Taurus, canis, Atlantides, corona, Bootes, ad temporis definitionem aſſumuntur: ſed multo magis quód effectrix cauſſa ſit caloris, frigoris, humoris, ſiccitatis, ideoque ortus, interitus, motuſque rerum ſingularium. Nec fixas tantúm ſtellas propoſuit, ſed planetas, ut Saturnum, Mercurium, cœlumque totum, & ejus univerſam naturā: (unde eſt illa cœli mundique deſcriptio:

Idcirco certis dimenſum partibus orbem)

item lunarium tum dierum tum noctium diſcrimina denique partium anni diſtinctionem. Et meteora copioſé adhibuit in tempeſtatibus, quarum ſigna latiſſimé deſcribuntur. Unde ſunt illa:

Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis.

Quam ob rem has generales cauſſas é Deo, cœlo, meteoris, in agricultura Virgilius repetivit: & quidē de Deo Platonem authorem ſecutus, qui Deum facit artificem & rectorem mundi: imo etiam (quamvis tamen hic Philoſophus nō perpetuó ſui ſimilis eſſe videatur) Ariſtotelem, qui quinto capite octavi phyſici diſputat, cauſſam eſſe unicam principem quæ cætera moveat, aliunde nuſquam moveatur. Itaque etiam divinam mentem ab Anaxagora celebratam collaudat, ut omnis motus authorem: & nono capite primi de cœlo, divina ſupra mundum & cœlum entia collocat immutabilia & impatibilia, optimamque & beatiſſimam vitam ſempiterno ævo degentia: unde cæteris rebus ait præſtari, aliis quidem pleniús, aliis obſcuriús, & eſſentiam & vitam. Et primi de Generatione capite tertio, duo principia conſtituit, aliud quidem immobile, aliud motum ſemper, Deum & cœlum nempe, ut deci-

mo capite ſecundi deinde pleniús exponit, quod prima cœli latio non ſola ſit author ortus & interitus rerum, ſed obliqui circuli, id eſt zodiaci, latio: & repetit ſecundo primi τῆς μετεωρολογίας & quamvis ſecundo capite ſecundi phyſici videatur Ariſtoteles Aſtrologiam á phyſica ſeparare, cœlum tamen in phyſica doctrina quatuor libris tractavit & ſubjectarum rerum cauſſas á cœlo repetivit. Atque hæ communes ſunt agricolis cauſſæ propoſitæ ut Deum colant, ut cœlum aſpiciant, meteora & eorum ſigna conſiderent. propriæ cauſæ ſunt ſolum, de cujus electione præcipitur illis verſibus,

At prius ignotum—— & aratione,
Vere novo —— & alternatione, *Alternis idem* ——
& fœcundatione, —— *Arida tantúm* —— & iteratione,
Multúm adeo——

Species rerum inſtruitur, cúm agitur de præparatione ſeminum:

Semina vidi equidem——ſatione,
Libra die—— irrigatione frugum,
Humida ſolſtitia ——
contrariorum malorum proviſione & defenſione,
Quid, qui ——

Tum de ſoli & ſegetis cauſſis adjuvantibus in inſtrumentis agitur: *Dicendum & quæ ſint*——
item *Frigidus agri olim*——

Atque hæc de cauſſis & communibus & propriis. Communes porró ad quatuor libros attinent. In propriis etiam ſunt quædam ad argumenta reliquorum librorum attinentia. Hi porró libri Mæcenati nuncupantur, equiti Romano, nobili tamen regum Hetruſcorum genere progenito.

Mæcenas eques Hetruſco de ſanguine regum,
Intra fortunam qui cupis eſſe tuam:

ait Propertius libro tertio: & Horatius primo Carminum,

Mæcenas atavis edite regibus.

Fuit veró inter amicos Auguſti præcipuus, & docto-

rum

rum ingeniorum amantiſſimus, ut tam multæ poëtarum laudes declarant: adeo ut Mæcenatis nomen pro fautore liberalium artium ac ſtudiorum acceptum ſit. Sed idem etiam & oratione & moribus mollis & effœminatus. Juvenalis Satyra ſecunda,

Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam.

QUid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmiſque adjungere vites
Conveniat: quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam.—

Quid faciat] Diviſio quadripartita: unde operis univerſi ſumma concipitur. Eſt autem prima parte periphraſis tituli Heſiodei Ἔργα καὶ ἡμέραι tanquam poëta dixiſſet, Indicabo quo & opere & die ager colendus ſit. quod primo libro diligenter efficitur, temporibus arandi ſerendique ab anni principio, Lunæ, noctis, dieique deſcriptis, perque opera ſua diſtinctis. Heſiodus autem princeps omnium de agricultura præcepit, ait Plinius libri decimi octavi capite viceſimo quarto. Hunc itaque Virgilius imitatus eſt: quod profitetur ſecundo Georgico,

Aſcræumque cano Romana per oppida carmen.

Multoque copioſiús hanc artem & uberiús explicavit: imo Heſiodi Georgica primo libro tota cōprehendit, cætera ſuperaddidit.

Lætas] Metaphora eſt pro fœcundis & uberibus, ut eris rurſus eodem libro:

Illic officiant lætis ne frugibus herba. item,
—hyberno lætiſſima pulvere farra,
Lætus ager—

Segetes] Seges, quod aratum & ſatum eſt: Arvum, quod aratum, nec ſatum, ait Varro. Aliquando Seges pro frugibus nondum demeſſis, unde panis conficitur: ali-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quando pro quibuſvis frugibus, vt hîc etiam ſumi poſſit, licet Servius terras interpretetur. *Sidere*] Metonymia, pro tempore quod ſideris ortu atque occaſu deſcribitur. *Vertere*] Synecdoche generis pro ſpecie: pro arare nempe ſumitur, ut erit poſtea,

Fortes invertant tauri——item,
Verſando terram experti————

Ulmiſque] Argumentum eſt ſecundi libri ex parte. nam de univerſo arborum genere communiter illic initio præcipitur. *Ulmis*] Ulmus, amica eſt vitibus, ut jam dictum eſt ſecunda ecloga: *Semiputata tibi frondoſa vitis in ulmo eſt*: & poſtea latiús intelligetur. Reſpexit autem hîc Virgilius patriæ ſuæ ſolum, ubi nativo pedamento ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit. quædam enim vites ſunt humiles & ſine ridicis: aliæ ſublimes, tum rectæ pedamentis, tum transverſæ jugis perticæ, arundinis, reſtis. vide Varronem de re Ruſtica libri primi capite octavo.

Quæ cura] Argumentum eſt tertii libri, ubi de armentis equorum & boum: item de gregibus ovium & caprarum agitur. *Atque apibus*] Argumentum eſt quarti libri. *Experientia parcis*] Intelligentiam loci hujus pete de quarto Georgico ad illum locum,

Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam.

Illîc experientia politiæ cujuſdam traditur in apibus, ut fœtus colant, ut hyemis & æſtatis rationem habeant, ut omnis laboris & quietis munera diſpertiant: & parcas ex eadem natura intelliges. Aliquando quædã apes contrahunt ſibi mortis cauſſas, cúm ſenſere mella eximi, avidé vorantes: cæteró præ parcæ & quæ alioquin prodigas atque edaces, non ſecus ac pigras & ignavas, proturbent, ait Plinius libri undecimi capite decimo nono. *Canere*] Synecdoche poëtica, pro deſcribere, exponere. hinc propter numeros carmen dicitur.

Cùm

Digitized by Google

Cùm canerem reges & prælia——
fuit ecloga ſexta.

——Vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloïa miſcuit uvis:
Et vos, agreſtum præſentia numina, Fauni,
Ferte ſimul Fauniq; pedem Dryadeſq; puellæ:
Munera veſtra cano. Tuq; ô, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti,
Neptune: & cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci:
Ipſe nemus linquens patrium, ſaltuſq; Lycæi,
Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Mænala cura,
Adſis ô Tegeæe favens: oleæq; Minerva
Inventrix: unciq; puer monſtrator aratri:
Et teneram ab radice ferens Sylvane cupreſſum:
Diiq; Deæq; omnes ſtudium quibus arva tueri,
Quiq; novas alitis nonnullo ſemine fruges,
Quiq; ſatis largum cœlo demittitis imbrem.
Tuq; adeo quem mox quæ ſint habitura deorum
Concilia, incertum eſt, urbeſne inviſere Cæſar,
Terrarumq; velis curam, & te maximus orbis
Authorem frugum, tempeſtatumq; potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant, tibi ſerviat ultima Thule,
Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,

quando pro quibuſvis frugibus, vt hîc etiam ſumi poſſit, licet Servius terras interpretetur. *Sidere*] Metonymia, pro tempore quod ſideris ortu atque occaſu deſcribitur. *Vertere*] Synecdoche generis pro ſpecie: pro arare nempe ſumitur, ut erit poſtea,

Fortes invertant tauri——item,
Verſando terram experti———

Ulmiſque] Argumentum eſt ſecundi libri ex parte. nam de univerſo arborum genere communiter illic initio præcipitur. *Ulmis*] Ulmus, amica eſt vitibus, ut jam dictum eſt ſecunda ecloga: *Semiputata tibi frondoſa vitis in ulmo eſt*: & poſtea latiús intelligetur. Reſpexit autem hîc Virgilius patriæ ſuæ ſolum, ubi nativo pedamento ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit. quædam enim vites ſunt humiles & ſine ridicis: aliæ ſublimes, tum rectæ pedamentis, tum transverſæ jugis perticæ, arundinis, reſtis. vide Varronem de re Ruſtica libri primi capite octavo.

Quæ cura] Argumentum eſt tertii libri, ubi de armentis equorum & boum: item de gregibus ovium & caprarum agitur. *Atque apibus*] Argumentum eſt quarti libri. *Experientia parcis*] Intelligentiam loci hujus pete de quarto Georgico ad illum locum,

Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam.

Illîc experientia politiæ cujuſdam traditur in apibus, ut fœtus colant, ut hyemis & æſtatis rationem habeant, ut omnis laboris & quietis munera diſpertiant: & parcas ex eadem natura intelliges. Aliquando quædã apes contrahunt ſibi mortis cauſſas, cúm ſenſere mella eximi, avidé vorantes: cæteró præparcæ & quæ alioquin prodigas atque edaces, non ſecus ac pigras & ignavas, proturbent, ait Plinius libri undecimi capite decimo nono. *Canere*] Synecdoche poëtica, pro deſcribere, exponere. hinc propter numeros carmen dicitur.

Cùm

Cùm canerem reges & prælia——
ſuit ecloga ſexta.

——*Vos ô clariſſima mundi*
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis:
Et vos, agreſtum præſentia numina, Fauni,
Ferte ſimul Faunìq; pedem Dryadeſq; puellæ:
Munera veſtra cano. Tuq; o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti,
Neptune: & cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci:
Ipſe nemus linquens patrium, ſaltuſq; Lycæi,
Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Adſis ô Tegeæe favens: oleæq; Minerva
Inventrix: uncíq; puer monſtrator aratri:
Et teneram ab radice ferens Sylvane cupreſſum:
Diiq; Deæq; omnes ſtudium quibus arva tueri,
Quiq; novas alitis nonnullo ſemine fruges,
Quiq; ſatis largum cœlo demittitis imbrem.
Tuq; adeo quem mox quæ ſint habitura deorum
Concilia, incertum eſt, urbiſne inviſere Cæſar,
Terrarumq; velis curam, & te maximus orbis
Authorem frugum, tempeſtatumq; potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant, tibi ſerviat ultima Thule,
Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,

Digitized by Google

Quá locus Erigonen inter Chelaſque ſequentes
Panditur: (ipſe tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli juſta plus parte relinquit)
Quicquid eris, (nam te nec ſperent tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elyſios miretur Græcia campos,
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem)
Da facilem curſum, atq; audacibus annue cœptis:
Ignaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes
Ingredere, & votis jam nunc aſſueſce vocari.

Vos ó] Invocatio per exclamationem, qua propoſitarum rerum numina, ſed confuſiùs, invócantur, ut in re tanta faueant. Duodecim numero ſunt. Sol, Luna, Liber, Ceres, Faunus, Dryades, Neptunus, Ariſtæus, Pan, Minerva, Oſiris, Sylvanus: quibus additur Auguſtus. Deus veró, pro ſua per varias rerum naturas pertinente potentia variis nominibus appellatur, ut Stoici apud Ciceronem ſecundo de natura Deorum diſputant. Ergo hic prima agriculturæ cauſſa, ut monui á numine repetitur. Talis invocatio eſt Heſiodi primo libro:

Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι,
Δεῦτε, Δί' ἐννέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι.
Muſæ Pierides, carminibus celebres,
Adeſte, Jovem celebrate veſtrum patrem cantantes.

Muſas hic Heſiodus invocat: melius Virgilius numina propria rerum quas tractaturus eſt. *Clariſſima*] Periphraſis eſt Solis & Lunæ ex ſuis adjunctis & effectis, quód clariſſima ſint mundi lumina, quodque ſuo motu definiant tempora. Eſt autem annus, cujuslibet ſideris circuitus abſolutus: ut magnus annus, omnium ſiderum abſoluta converſio: annus Saturni, Iovis, Martis & reliquorum, ſua nempe converſio. Annus Lúnæ,

eſt

eſt menſis. Annus tamen ſolis præcipué dicitur, quia ſolis motu reliquos motus cœleſtes metimur. Atque hæc Solis & Lunæ communia numina ſunt operis univerſi. *Ducitu*] Metaphora videtur à lanificio, ut ecloga ſexta,

—deductum dicere carmen.

Liber] Nominatim Liber, Deus vinium, & Ceres, dea frugum, appellantur (quæ materies eſt ſecundi & primi libri) & ſuis inventoris celebrantur. Macrobius in Saturnalib. libri primi capite viceſimo primo, & Seruius hoc loco hæc numina non diſtinguunt, ſed Liberum pro Sole, Cererem pro Luna capiunt. Varro tamen initio ſuæ agriculturæ in ſimili numinum invocatione Solem & Lunam à Libero & Cerere diſtinguit: quod etiam hic malo. *Tellus*] Si homines veſtro munere & beneficio aſperiorem victum glandium & aquarum, cum mitiore victu frumenti & vini commutarant. *Tellus*] Metonymia eſt pro hominibus telluris incolis.

Chaoniam] Chaonia, pars eſt Epiri, aliquando tota Epirus.

Chaoniamq; omnem Trojano á Chaone dixit,

Eſt tertio Æneidos. Chaonia autem glans pro copioſa & abundanti, qualis eſt in Chaonia, Synecdoche eſt. *Pingui*] Quæ pingues facit, Metonymia eſt. *Glandem*] Pro victu é glandibus. Metonymia eſt. *Ariſta*] Metonymia eſt pro frumento aut frumenti victu. *Pocula*] Pocula Acheloia, id eſt aquam. Achelous, fluvius eſt Ætoliæ. At per Synecdochen frequenter pro quavis aqua ſumitur, ut ſatis amplé docet Macrobius libro quinto Saturn. *Pocula*] Metonymia continentis vaſis pro contento potu. *Uvis*] Metonymia eſt pro vino. *Inventis*] Probus narrat hanc fabulam. Ætolus paſtor Staphylus, cúm Œnei capellas paſceret, notavit unam á grege ſecedentem cæteris lætiorem ſeriús domum redire: cujus rei ut cauſſam cognoſceret, ſecutus eſt eam clanculum, & in remota ſtirpe animadvertit uvam decerpere. uvam igitur ſuſtulit, & Œneo domino obtulit, qui expreſſo humore delectatus eſt, & didicit veru-

ſtate miteſcere. Itaque libero patri, cúm eum hoſpitio excepiſſet, humorem illum miſcuit: & Liber, cúm uſum docuiſſet, vt perpetua eſſet inventorum gloria, conſtituit ut uva, σταφυλὴ, vinum οἶνος diceretur. Sed de fabula ſatis. Ante Liberum igitur & cererem fuerunt βαλανοφάγοι καὶ ὑδροπόται. glandium comedones & aquæ potores: quod & Lucretius ait libro quinto:

Glandiferas inter curabant corpora quercus:

& paulo póſt,

Ad ſedare ſitim fluvii fonteſque vocabant.

Et vos] Hæc numina ſunt agrorum & ſylvarum: quæ materies eſt primi & ſecundi libri. *Præſentia*] Propitia, vt ecloga prima,

Nec tam præſentes alibi cognoſcere divos.

Fauni] Iidem ſunt dii græcis Σάτυροι, ut jam ecloga ſexta diximus:

Tum veró in numerum Faunoſque feraſque videres
Ludere——

Faunique] Epanodus. hîc tamen quidam legunt *Satyrique ped.* At Fauni & Satyri ſunt iidem, ut diximus.

Dryadeſque] Δρῦς δρυὸς, quercus, & generaliter omnis arbor. Hinc Dryades nymphæ, arborum deæ. *Munera*] Beneficia, inventa, dona: ut paulo anté,

——*veſtro ſi munere tellus*——

Tuque] Tres ſequentes dii, Neptunus, Ariſtæus Pan, pecorum & apum dii ſunt: quæ materies eſt tertii & quarti libri. Antea veró definiuntur Sol, & Luna, nominatim non appellantur: hîc veró ſuo munere & invento Neptunus deſcribitur, & ſuo nomine appellatur.

Prima] Attica. Athenienſes enim Atticam terram primam terram exiſtimabant fuiſſe. Id malo quám litus intelligere. *Frementem*] Metonymia ex adjunctis, pro ferocem & bellicoſum. *Equum*] cúm de nominandis Athenis certamen eſſet Neptuno cum Pallade, conſtitit nominaturum qui melius donum hominibus dediſſet. Neptunus tridenti percuſſa terra, equum creavit, animal aptum bello: Pallas jacta haſta oleam excitavit,

pacis

pacis inſigne & equo longé hominib utiliorem. Ἀθηνᾶ igitur τῆς Ἀθήνας appellauit. *Et cultor*] periphraſis eſt Ariſtæi ex ipſius adjunctis, qui primus, ut alia multa, mellificationem docuit. De hoc erit a mplé quarto Georgico. *Pinguia*] Quæ pingues faciunt. eſt igitur metonymia. ut ariſta pingui. *Cea*] cea, vel (vt Plinius ait) ceos, eſt inſula Attico litori vicina. *Ter centum*] Ter centeni in proſa cum Cicerone dicendum ſit. *Nivei*] Metonymia ex adjunctis, pro eximiũ: ut ecloga ſexta,

Paſiphaen nivei ſolatur amore juvenci.

Tondent] Metaphora pro carpunt, depaſcunt. *Ipſe nemus*] Invocatio Panis. rebus ejus numini ſubjectis ornata.

Nemus] Duo nemora ſunt in Arcadia Pani dicata, Lycæus & Mænalus. de quibus in Bucol. ecloga decima:

Pinifer illum etiam ſola ſub rupe jacentem
Mænalus, & gelidi fleverunt ſaxa Lycæi.

Sed de Mænalo octava ecloga:

Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Mænalus argutumq; nemus, pinoſq; loquentes
Semper habet: ſemper paſtorũ ille audit amores.

Pan ovium cuſtos] Sic ecloga ſecunda,

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit: Pan curat oves oviumq; magiſtros.

O Tegæe] Tegea oppidum Arcadiæ Pani ſacratæ.

Pan deus Arcadia, mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum:

ecloga quarta.

Oleæque] Invocatio Minervæ ex ſuo invento: de quo erit ſecundo libro. Olea autem arbor ipſa, & fructus interdum: ut oliva proprié fructus, & tamen etiam eſt arbor. *Uncique*] Invocatio eſt Oſiridis , & periphraſis ex ſuo invento. nam, vt eſt apud Tibullum primi libri elegia ſeptima,

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſolicitavit humum.

& pleraque alia reperit, vt ibidem eſt. Alii malunt Triptolemum hic intelligi, qui Atticis agriculturam primus

dedit. *Et teneram*] Invocatio Sylvani, dei ſylvarum, qui in ſolatium mortui Cypariſſi amati, & in arborem ſui nominis converſi, fert cypariſſum, ut Servius ait. Vel ad cupreſſeam coronam id referendum, vt myrtea Venus, pinea Pan coronatur. De hoc fuit ecloga decima:

Venit & agreſti capitis Sylvanus honore,
Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans.

Diique] Invocatio fuit adhuc ſingulorum duodecim numinum, quæ generalis inductionis complexione concluditur, ne quod præteritum videretur. Quidam tamen Floram & Rubigum á Varrone invocatos, hîc volunt intelligi: quibus Floralia, florum gratia, & Rubigalia, rubiginis metu, celebrabantur. Fuerunt etiam Romæ Seia á ſerendo, & Segetia á ſegetibus, deæ: plinius libri decimi ſeptimi capite decimo. *Tueri*] Sic poëtæ loquuntur, & oratores aliquando, ut pro Quintio Cicero: Eadem te hora conſilium cepiſſe hominis propinqui fortunas funditus evertere. Quod notandum tamen in proſa potiús quám imitandum exiſtimo. *Nonnullo*] Semina ſiquidem rerum conſtat in elementis, igne, aëre, aqua, terra, naturalia conſiſtere: quod Ovidius primo Metamorphoſeos,

Cætera diverſis tellus animalia formis
Sponte ſua peperit poſtquam vetus humor ab igne
Percaluit ſolis, cœnumque udæ [illegible] paludes
Intumuere æſtu, fœcundaque ſemina rerum
Vivaci nutrita ſolo, ceu matris in alvo
Creverunt faciemque aliquam cepere morando.

Satis] frugibus. *Tuque*] Poſtremó Auguſtus tanquam deus invocatur: ſed ἀποθέωσις exornatur addubitatione divinitatis quam ſit electurus. Cæſar enim vivus pro deo cultus eſt, ut ecloga prima diximus:

O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Urbesne] Diviſio deorum in quatuor ſpecies, terrenos, marinos, ſuperos, inferos: prima ſubjectis rebus exornatur. *Materna*] Myrtus, arbor eſt Veneri ſacra, ut patuit

ecloga

ecloga ſeptima:

Populus Alcidæ gratiſſima, Vitis Iaccho,

Formoſa myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Porró Veneris filius Æneas fuit, Æneæ autem Julus, unde Iulius Cæſar, pater Auguſti.

Julius a magno demiſſum nomen Iulo,

ut eſt primo Æneidos. *An deus*] Secunda ſpecies divinitatis ſuis item ſubjectis ornata: quód Auguſtus eſſet deus maris, deus nautarum, gener Tethyos.

Thule] Hæc inſula eſt Oceani inter occaſum & ſeptentrionem, ultra Britanniam gradu latitudinis 63, longitudinis 11 ultima Romanis tum nota. Islandia enim remotior eſt, & multæ Norvegiæ regiones. Dies ibi maximus, eſt vicenarum horarum. Altera eſt inſula ejuſdem nominis in Africa contra ſinum Carthaginis. *Emat*] Alluſio eſt ad morem nuptiarum, quæ fiunt coëmptione: ubi ſponſam ſponſus rogabat, Vis mihi materfamilias eſſe? Et ſponſa ſponſum, Vis mihi paterfamilias eſſe? Tum annuebat uterque, fiebat enim tribus modis vxor, farre, uſu, coëmptione. de quibus Boëtius in Topicis: de quo etiam aliquid Ulpianus libro Pandectarum viceſimo tertio. *Anne*] Tertia ſpecies, deorum cœleſtium: nempe ubi poëta fingit ex opinione Chaldæorum, undecim ſigna in Zodiaco ponentium, vacuum & oblatum Auguſto locum inter Erigonen & Scorpium. Scorpius enim duo ſigna tenuit, id eſt 60 gradus; poſtea Libra duodecim ſigni locum tenuit. *Tardis*] Id eſt Junio & Julio, quibus horæ civiles longiſſimæ tum Romanis & tardiſſimæ fuerunt. vide Palladium de illis horis inæqualibus, quomodo Junio & Julio ſint tamen æquales. Huc autem poſſit fortaſſe referri quod Ecloga nona Mœris cantat:

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,

Aſtrum quo ſegetes gauderent frugibus, & quo

Duceret apricis in collibus uva colorem.

Erigonen] Erigone filia fuit Icarii, & ſoror Penelopes; quæ patris occiſi cædem tam graviter tulit, ut ſe

ſuſpenderit. Dii itaque miſerati, in cœleſte ſignum tranſtulerunt. *Chelaſque*] χηλαὶ, ungula biſulca & brachia forcipibus dentata ſignificat: qualia Scorpio cœleſti affinguntur. Itaque & Virgil. brachia Scorpii interpretatur:

> *—Ipſe tibi jam brachia contrahit ardens*
> *Scorpius.*

Juſta] cùm gradus 60. habeat. plus parte media tibi offert, ad ſignum nempe complendum in Zodiaco.

Quicquid] Addubitationi ſubjungitur invocatio, & parentheſi reiicitur quarta divinitatis ſpecies, quód apud inferos non ſit Auguſtus deus futurus: ubi & illuſtratio ex diſſimilibus additur: Quamvis Elyſius campus ſit mirabilis, & eo Proſerpina delectetur. *Elyſios*] Elyſium, locus eſt beatorum animorum apud inferos: de quo eſt ſexto Æneidos:

> *Quiſq; ſuos patimur manes, exinde per amplum*
> *Mittimur Elyſium, & pauci læta arva tenemus.*

Proſerpina] Filia cereris à Plutone rapta, & regina ideo inferorum. *Mecum*] ἀμφίβολον eſt. aut enim miſeratus agreſtes ignaros mecum, aut miſeratus mecum agreſtes.

Ingredere] Viam intellige, ut dux & author progreſſionis noſtræ. *Votis vocari*] Sic ecloga quinta ἀποθέωσιν Daphnidis concluſit:

> *Ut Baccho Cererique, tibi ſic vota quotannis*
> *Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.*

Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit,
Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.
Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit.
Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.

Vere novo] Adhuc de communibus cauſſis altera fuit é numinis invocatione: jam per anni partes ab initio de

proprius

propriis altera attingitur, de ſoli electione, aratione, alternatione, fœcundatione, iteratione, inſtrumento. electio in aratione confuſius includitur. *Vere novo*] Arationis primum tempus vernum deſcribitur. Quod autem vere ſemel aratum eſt (ait Plinius libri decimioctavi capite decimo nono) á temporis argumento vernactum vocatur. hoc in novali atque requieto neceſſarium eſt. ſed tamen vernum tempus illud deſcribitur ex adjunctis temporis, cúm nix & gleba reſolvitur. Veris autem initium Varro libri primi capite octavo ſtatuit ſeptimo Idus Februarii, id eſt ſeptimo die. Heſiodus diſſimiliter hoc tempus propoſuit ſecundo libro, ſed in loco diſſimili:

Πληϊάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Pleiadibus Atlante natis exorientibus
Incipe meſſem, arationem veró occidentibus.

& ibidem é voce gruis alté clangentis idem tempus definitur. *Vere novo*] Notat Servius, ver novum, adultum, extremum, & cætera anni tempora, ſic dici pro initio, medio, extremo veris: quomodo Græci dicunt, in ſingulis menſib. tres decadas ſtatuentes, primam *μηνὸς ἱσταμένου*, ſecundam *μηνὸς μεσοῦντος*, tertiam *μηνὸς φθίνοντος*, id eſt menſis ſtantis medii, deſinentis. Itaque ver novum hic nil aliud eſt quám anni principiũ, ut mox etiam planius intelligetur. *Gelidus*] Periphraſis eſt nivis. *Liquitur*] Liqueſcit, defluit. *Zephyro*] Ζέφυρος Latiné Favonius, ventus flans ab occaſu æquinoctiali adverſus Eurum, tepidus & ſiccus: ſic dictus quaſi ζωηφόρος, quod ejus flatu terra frigoribus hybernis conſtricta aperiatur. Primus eſt florum conceptus flare incipiente vento Favonio, circiter feré ſextum Idus Feb. Hoc enim animantur viveſcentia é terra, quo etiam equæ in Hiſpania. Hic eſt genitalis ſpiritus mundi, á fovendo dictus, ut quidam exiſtimavere: Plinius libri decimiſexti capite viceſimo quinto. Hoc intervallum temporis vegetiſſimum agricolis, maximeque operoſum eſt: in quo præcipué

falluntur. neque enim eo die vocantur ad munia, quo Favonius flare debeat, ſed quo cœperit. Hoc acri intentione ſervandum eſt. illo menſe ſignum Deus habet obſervatione minimé fallaci aut dubia, ſi quis attendat. Idem libri decimi octavi capite viceſimo ſeptimo. De ventis Ariſtoteles quarto, quinto, ſexto capitibus ſecundi libri meteororum. *Reſolvit*] Relaxat, quaſi frigore priús preſſa & vincta fuerit. Sic Horatius primi Carminum Ode quarta:

Solvitur acris hyems grata vice Veris & Favoni.

Depreſſo] Periphraſis eſt diligentis arationis ex adjuncto, labore tauri & attritione aratri. *Depreſſo*] Altiús impreſſo. *Sulco*] Quá aratrum vomere lacunam facit, ſulcus vocatur, ait Varro libri primi capite viceſimo nono. Hic per Metonymiam pro ipſa aratione.

Vomer] Aratri ferrum, quod vomat terram, ait Varro. cujus genera Plinius libri decimi octavi capite decimo octavo tria facit: cultrum, quo terra ſecatur, alterum roſtrati vectis, tertium exigua cuſpide, nec toto dentali porrectum. *Illa ſeges*] Ratio diligentioris arationis ex eventu, quia hinc copioſæ fruges. ubi duplex aratio notatur, verna & autumnalis, ait Servius. At ſecus Plinius libri decimi octavi capite viceſimo: Quarto ſeri ſulco Virgilius exiſtimatur voluiſſe, cúm dixit bis ſolem, bis frigora ſenſiſſe. ſpiſſius plerumque ſolum, ſicut in Italia, quinto ſulco ſeri melius eſt. in Tuſcia veró nono. Huc dictum Catonis ſpectat Quid eſt agrum bene colere? bene arare. quid ſecundum: arare. quaſi primæ & ſecundæ partes agriculturæ ſint in arando. *Solem*] Calorem Metonymia eſt. *Ruperunt*] Metaphora hyperbolica, pro valde impleverunt. *Meſſes*] Frumenta. Metonymia eſt. Atque hanc ſummæ ubertatis, quæ olim Romæ fuit, cauſſam Plinius libri decimi octavi capite tertio feſtivé annotavit. Ipſorum, ait, tunc manibus Imperatorum colebantur agri, ut fas eſt credere, gaudente terra vomere laureato & triumphali aratore: ſive illi eadem

dem cura ſemina tractabant qua bella, eademque diligentia arva diſponebant qua caſtra: ſive honeſtis manibus lætiùs omnia proveniunt, quoniam & curioſiùs fiunt.

At priùs ignotum ferro quam ſcindimus æquor,
Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæq; recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi atq; injuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi:
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epeiros equarum?
Continuò has leges æternaque fœdera certis
Impoſuit natura locis, quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:
Unde homines nati durum genus.——

At prius] Delectus ſoli, qui tamen natura prior eſt, digreſſione includitur: de quo multa Columella libri primi capite primò præcipit, ut libri veterum legantur, experientia præſens comparetur: ubi tantam cœli varietatem ab Hipparcho repetit, ut tempus futurum ſit quò mundi cardines moveantur. Et Plinius etiam plura libri decimi ſeptimi capite quarto de qualitate regionum: & capite quinto de generibus terrarum: ſed Cato & Varro & Columella initiis Georgicæ doctrinæ hanc inprimis terræ diſtinctionem proponunt. *Æquor*] Planities cujuſcunque rei. Hinc per ſynecdochen mare dicitur æquor, quia ſit complanatum & æquatum. Quid tam planum quàm mare? ex quo etiam æquor illud poëtæ vocant, ait in Academicis Cicero. Nunc eodem tropo campus æquor dicitur. *Cœli*] Aëris, ut

De cælo tactas memini prædicere quercus.

vel potiùs cœli, id eſt ſiderum, ut Plinius interpres hujus loci ait libri decimi octavi capite viceſimo quarto, cum de cœleſti notitia loquitur. Quippe Virgil o jubente ait prædiſci ventos ante omnia, & ſiderum mores. *Cultuſque*] Quemadmodum nunc colantur, & jampridem coli ſoliti ſint. Ille eſt enim habitus. *Quid quæque*] In omni quidem parte culturæ, ſed in hac quidem maximè, valet oraculum illud, Quid quæque regio patiatur: Plinius libri decimi octavi capite decimo octavo. *Hic ſegetes*] Illuſtratio propoſiti delectus per generum diviſionem. *Nonne vides*] Servius collationem minorum quandam hic efficit: Provincia una non capit omnia, quid igitur mirum ſi ager unus non omnes fruges? *Tmolus*] Servio mons eſt Ciliciæ, propterea opinor, quia Cilicio croco prima nobilitas tribuitur, ut eſt apud Plinium libri viceſimi primi capite ſexto. At ex eodem Plinio conſtat Tmolum eſſe in Lydia vicinum Sardibus: & ibidem Ptolemæus in Lydia deſcripſit, tabula Aſiæ prima. *Ebur*] Dentem elephantis. Elephantos porrò habet & Africa, ſed majores India. quin & elephantos Indicos Afri pavent, nec contueri audent. nam & major Indicis magnitudo eſt, ait Plinius libri octavi capite nono. *Sabæi*] Saba, regio Æthiopum eſt. altera eſt Saba Metropolis populorum Arabiæ felicis, thure, myrrha, cinnamo, balſamo, palmis odoratis, & ſumma rerum copia abundantium. unde nunc molles Virgilio dicuntur. Strabo de iis multa libro decimo ſexto. *Chalybes*] populi ſunt in Ponto juxta Thermodontem, qui ferro præſtant cæteris populis: unde ipſa ferri duriſſimi ſpecies Chalybs appellatur. *Viroſaque*] Virus eſt ambiguum, ut φάρμακον Græcis. Ergo aut venenoſa aut ſalubria. *Pontus*] Aſiæ regio, ubi quondam Mithridates imperavit: hodie Anatolia, Turcorum regio venenis clara, ut ecloga octava fuit,

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena,

Ipſa

Ipſe dedit Mœris:naſcuntur plurima Ponto.

Caſtorea] Caſtor, qui & Fiber dicitur, animal eſt ἀμφίβιον,cauda piſcium, cætera ſpecies luthræ: horrendi morſus: arbores juxta flumina ut ferro cædit: hominis parte comprehenſâ, non antequam fracta concrepuerint oſſa, morſus reſolvit. Huius teſtes caſtorea dicuntur, quæ ſibi amputat periculo urgente, ob hoc ſe peti gnarus, ait Plinius libri octavi capite triceſimo. Amputari tamen teſtes ab eo dum capitur, negat Seſtius, diligentiſſimus medicus: quia imò parvos eſſe ſubſtrictoſque & adhærentes ſpinæ, nec adimi ſine vita animalis poſſe, ait author idem libri triceſimi ſecundi capite tertio, ubi multa de medicinis caſtoreorum: unde intelliges quomodo viroſa. *Eliadum*] Elis, Achaiæ civitas,ubi Hercules certamen equeſtre ſtatuit in honorem Jovis Olympici. Eliadas igitur equas nunc Virgilius appellat, quæ palmam & victoriam ludis illis aſſequantur. *Epeirus*] Regio quæ Moloſſia & Chaonia dicta eſt, nunc Albania:Macedoniam ſpectat à Septentrione,ab Oriente Achaiam,ab occidente Ionium mare. *Continuò*] Cauſſam tantæ varietatis refert ad naturam, id eſt Deum: cujus ſapientia mundi partes variæ variis dotibus ornatæ ſunt. *Deucalion*] Rex Theſſaliæ fuit, qui in magna aquarum inundatione confugit cum Pyrrha uxore in altiſſimos montes, Unde cùm repreſſis aquis deſcenderet, dictus é lapidibus genus hominum reparaſſe. Eadem fabula,ſexta ecloga attingitur,

Hinc lapides Pyrrha jactos——

Durum genus] Tanquam lapideum: quod in Græco feſtivius eſt,ὁ λᾶας,lapis, & ὁ λαὸς,populus.

Ergo age,terra
Pingue ſolum primis extemplo à menſibus anni
Fortes invertant tauri:glebaſque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas,

At ſi non fuerit tellus fœcunda, ſub ipſum
Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco.
Illic officiant lætis ne frugibus herbæ:
Hic ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.

Ergo agé] Revertitur ad arationem, eamque dupliciem dividit, fertilis agri, vernam, macri, autumnalem Columella libri undecimi capite ſecundo locum hunc ſic interpretatur: Novi veris principium non ſic obſervare ruſticus debet, quemadmodum aſtrologus, ut expectet certum diem illum qui veris initium facere dicitur: ſed aliquid etiam ſumat de parte hyemis: quoniam conſumptá brumá jam intepeſcit annus, permittitque clementior dies opera moliri. Poſſunt igitur ab Idibus Januariis, ut principem menſem anni Romani obſeruent, auſpicari culturarum officia: Et illa nimirum Januarii vernacula ſunt, quæ ibidem Columella dicit. Huic Columellæ interpretationi reſpondet Plinius antea citatus, idemque rurſus libri decimi octavi capite viceſimo ſexto: Cum Favonius flare cœperit, terra in futurum proſcinditur, Virgilio maximè authore, ut glebas ſol coquat. Utilior ſententia quæ non niſi temperatum ſolum in medio vere arari jubet, quoniam in pingui ſtatim ſulcos occupant herbæ, gracili, inſecuti æſtus exiccant: tum namque ſuccum futuris ſeminibus auferunt. Idem veró libri decimi octavi capite viceſimo quinto, Inter Brumam & æquinoctium flatus Favonii vernum tempus inchoat. *Pulverulenta*] Quæ in pulverem redigit, Metonymia eſt. *Coquat*] Exuſtis malis herbis, Metaphora eſt, ubi attingitur arationis hujus cauſſa, ut herbæ noxiæ exurantur. *Maturis ſolibus*] Fervidis caloribus. In utroque Metonymia eſt efficientis cauſſæ pro effectu. *At ſi non*] Terræ ſterilis aratio levior proponitur circa æquinoctium autumnale, cum Arcturus, inſignis Bootæ ſtella, oritur. tempore Virgilii oriebatur quarto die Septembris, nunc autem decimo quinto. Dicitur autem Arctúrus ἀπὸ τῆς οὐρᾶς τῆς ἄρκτου,

ἄρκτου, quia ſequitur caudam Urſæ, ait Servius. Columella libri undecimi capite ſecundo: Nonis Septembris Arcturus exoritur, ait. & idem libri ſecundi capite quarto. jubet exilem agrum arari circa finem Auguſti, ne humus effœta ſole peruratur: quod cum Virgilio conſentit. Atque ad hunc locum intelligendum & cæteros deinceps, de ortu & occaſu ſiderum notandum eſt nobis, triplicem poëtis ortum & occaſum dici: ἡλιακὸν, id eſt ſolarem, cum ſtella é radiis ſolis emergit, aut iiſdem abſconditur: (emerſum & occultationem diceremus) κοσμικὸν, cum oriente ſole ſtella ſupra noſtrum Horizontem attollitur, aut infra deprimitur: (matutinus ortus vel occaſus dicitur) ἀκρόνυχον, cum occidente ſole ſtella ſupra Horizontem attollitur, aut infra deprimitur, veſpertinus ortus vel occaſus dicitur. Ptolemæus ſic Græcé nominat, & Plinius Latiné ſic appellat libri decimi octavi capite viceſimo ſexto. Heſiodo autem ſecundo operum & dierum dicitur ἀκροκνέφαιος, qui Ptolemæo ἀκρόνυχος. Coſmicus autem ortus Arcturi hic ſignificatur, non autem acronychus, qui fit nono Calend. Mart. ut Columella libri undecimi capite ſecundo: vel ſexaginta diebus poſt brumam, ut Heſiodus libro ſecundo ſignificat. *Suſpendere*] Perſtringere, leviter attingere: Metaphora. *Sulco*] Aratione, Metonymia eſt, ut antea. *Illic*] Ratio eſt arationis utriuſque ex adjunctis, ut illic herbæ noxiæ tollantur, (quod iam attigit) hic nativus humor conſervetur. *Herbæ*] Carduus, lappæ, tribuli, lolium. *Arenam*] Arenoſam & ſterilem terram. Metonymia eſt talis, Agraria Ciceronis ſecunda, Tum arenam aliquam aut paludes emat.

Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum:
Aut ibi flava ſeres mutato ſidere farra,
Unde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ triſtiſque lupini

Suſtuleris fragiles calamos ſylvamque ſonantem,
Urit enim lini campum ſeges, urit avena,
Urunt lethæo perfuſa papavera ſomno.

Alternis] Tertium præceptum de ſoli alternatione, eaque duplici, arationis nempe & ſeminis. de quo ſic Plinius libri decimi octavi capite viceſimo primo: Virgilius alternis ceſſare arva ſuadet: & hoc ſi patiantur ruris ſpatia, utiliſſimum proculdubio. quód ſi neget conditio, far ſerendum unde lupinum aut vicia aut faba ſublata fuerint, & quæ terram faciant lætiorem. Idem libri decimi ſeptimi capite quinto; Et in frugibus quidem ſerendis eadem terra utilior intelligitur, quoties intermiſſa cultura quievit. *Alternis*] Viciſſim, ut,

Alternis dicetis: amant alterna Camœnæ,
ecloga tertia.

Tonſas] Meſſas, metaphora. *Novales*] Novale etiam neutro genere dicitur pro eodem: *Impius hæc tam culta novalia miles habebit?* ecloga prima. Novale autem eſt quod alternis annis ſeritur, ait Plinius libri decimi octavi capite decimo nono: vel ager novæ relictus ſementi, ut Feſtus: vel, quia intermiſſus renovatur, á novando novalis, ut Varro. Jureconſultis etiam eſt ager qui non antea cultus fuerat, ſed ſylva aut aliud quidpiam fuerat. quomodo etiam Plinius loquitur libri decimi ſeptimi capite quinquageſimo primo, cum de odore terræ loquitur: Talis ferè eſt, ait, in novalibus cæſa vetere ſylva. Heſiodo dicitur νειὸ ἀλεξιάρη, novalis expellens diras imprecationes, nempe quæ propter fœcunditatem ab agricolis imprecationes nullas capiat. *Segnem*) otioſum, nil ferentem. *Situ*) Situs interdum corruptio eſt ex humore & diuturnitate contracta. Sic Æneidos ſexto,

Et loca lenta ſitu —

Duraſcere) Confirmari, reſici, ſolidari. *Aut ibi*) Alternatio ſeminis. unde legumina, ut vicia, lupinum, le-

ctа

ſta ſunt, ibi far ſeratur. Segetem ſiquidem ſtercorant fruges, lupinum, faba, vicia, ait Plinius libri decimi ſeptimi capite nono. Columella libri ſecundi capite decimo quarto pleniús: Sed ex iis ſeminibus quæ retuli, idem Saſerna putat aliis ſtercorari & juvari agros, aliis rurſus peruri & emaciari. ſtercorari lupino, faba, vicia, ervo, lente, cicercula, piſo: peruri autem cicere, lino, milio, panico. *Flava*] Adorea, quæ flava ſunt. *Sidere*] Semine alias legitur: quod non alienum ſit. *Farra*] Far, ſpecies frumenti optimi, adoreum nempe: aliquando per Synecdochen pro quovis frumento, ut Servius exiſtimat. *Lætum*] Copioſum, ut lætis frugibus paulo anté. *Siliqua*] Folliculus eſt aut integumentum quo leguminum grana includuntur: ac legumina dicuntur ſiliquari, cum ſiliquas emittunt. *Quaſſante*] quaſſata, vox activa, at ſignificatio paſſiva eſt. *Legumen*] Seges omnis quæ manu legitur, non autem ſecatur, ut ipſum, faba, vicia, lupinum. Sic Varro libri primi capite triceſimo ſecundo, Legumina alii, ut gallicani quidam, legaria appellant: utraque dicta á legendo, quód ea non ſecantur, ſed vellendo leguntur. *Tenuis*] quæ vix ad triplicem fructum pervenit. *Triſtiſque lupini*] Lupinus vel lupinum genus leguminis amariſſimum, maceratum tamen calida aqua, homini cibo eſt: bovem autem unum modii ſinguli ſatiant. Circumagitur autem cum ſole, horasque agricolis etiam nubilo demonſtrat, ait Plinius libri decimi octavi capite decimo quarto: ubi & capite proximo ait idem, arva pingueſcere vicia & lupino. Cato etiam ſegetem ſtercorari docet lupino, faba, vicia. *Sylvamque*] Metaphora copiam & magnitudinem calamorum ſignificat *Urit*] Dividit á lætis leguminibus linum, avenam, papaver: quia frumento viribus paria ſunt, ait Servius. Cicer, quia vellitur & quia falſum eſt, hordeum, fœnum græcum, ervum: hæc omnia ſegetem exurunt, & omnia quæ velluntur. Nucleos in ſegetem ne indideris. Virgilius & lino ſegetem exuri, & avena & papavere arbitratur: Plinius libri decimi ſeptimi capite nono. Linum veró urit agrum, deterioremque

Suſtuleris fragiles calamos ſylvamque ſonantem,
Urit enim lini campum ſeges, urit avena,
Urunt lethæo perfuſa papavera ſomno.

Alternis] Tertium præceptum de ſoli alternatione, eaque duplici, arationis nempe & ſeminis. de quo ſic Plinius libri decimi octavi capite viceſimo primo: Virgilius alternis ceſſare arva ſuadet: & hoc ſi patiantur ruris ſpatia, utiliſſimum proculdubio. quód ſi neget conditio, far ſerendum unde lupinum aut vicia aut faba ſublata fuerint, & quæ terram faciant lætiorem. Idem libri decimi ſeptimi capite quinto, Et in frugibus quidem ſerendis eadem terra utilior intelligitur, quoties intermiſſa cultura quievit. *Alternis*] Viciſſim, ut,

Alternis dicetis: amant alterna Camœnæ,
ecloga tertia.

Tonſas] Meſſas, metaphora. *Novales*] Novale etiam neutro genere dicitur pro eodem: *Impius hæc tam culta novalia miles habebit?* ecloga prima. Novale autem eſt quod alternis annis ſeritur, ait Plinius libri decimi octavi capite decimo nono: vel ager novæ relictus ſementi, ut Feſtus: vel, quia intermiſſus renovatur, á novando novalis, ut Varro. Iureconſultis etiam eſt ager qui non antea cultus fuerat, ſed ſylva aut aliud quidpiam fuerat. quomodo etiam Plinius loquitur libri decimi ſeptimi capite quinquageſimo primo, cum de odore terræ loquitur: Talis feré eſt, ait, in novalibus cæſa vetere ſylva: Heſiodo dicitur νειὸ ἀλεξιάρη, novalis expellens diræ imprecationes, nempe quæ propter fœcunditatem ab agricolis imprecationes nullas capiat. *Segnem*) otioſum, nil ferentem. *Situ*) Situs interdum corruptio eſt ex humore & diuturnitate contracta. Sic Æneidos ſexto,

Et loca lenta ſitu ——

Dureſcere) Confirmari, refici, ſolidari. *Aut ibi*) Alternatio ſeminis. unde legumina, ut vicia, lupinum, le-

cta

ſta ſunt, ibi far ſeratur. Segetem ſiquidem ſtercorant fruges, lupinum, faba, vicia, ait Plinius libri decimi ſeptimi capite nono. Columella libri ſecundi capite decimo quarto plenius: Sed ex iis ſeminibus quæ retuli, idem Saſerna putat aliis ſtercorari & juvari agros, aliis rurſus peruri & emaciari. ſtercorari lupino, faba, vicia, ervo, lente, cicercula, piſo. peruri autem cicere, lino, milio, panico. *Flava*] adorea, quæ flava ſunt. *Sidere*] Semine alias legitur: quod non alienum ſit. *Farra*] Far, ſpecies frumenti optimi, adoreum nempe: aliquando per Synecdochen pro quovis frumento, ut Servius exiſtimat. *Lætum*] Copioſum, ut lætis frugibus paulo anté. *Siliqua*] Folliculus eſt aut integumentum quo leguminum grana includuntur: ac legumina dicuntur ſiliquari, cum ſiliquas emittunt. *Quaſſante*] quaſſata, vox activa, at ſignificatio paſſiva eſt. *Legumen*] Seges omnis quæ manu legitur, non autem ſecatur, ut ipſum, faba, vicia, lupinum. Sic Varro libri primi capite triceſimo ſecundo, Legumina alii, ut gallicani quidam, legaria appellant: utraque dicta á legendo, quód ea non ſecantur, ſed vellendo leguntur. *Tenuis*] quæ vix ad triplicem fructum pervenit. *Triſtiſque lupini*] Lupinus vel lupinum genus leguminis amariſſimum, maceratum tamen calida aqua, homini cibo eſt: bovem autem unum modii ſinguli ſatiant. Circumagitur autem cum ſole, horaſque agricolis etiam nubilo demonſtrat, ait Plinius libri decimi octavi capite decimo quarto: ubi & capite proximo ait idem, arva pingueſcere vicia & lupino. Cato etiam ſegetem ſtercorari docet lupino, faba, vicia. *Sylvamque*] Metaphora copiam & magnitudinem calamorum ſignificat. *Urit*] Dividit á lætis leguminibus linum, avenam, papaver: quia frumento viribus paria ſunt, ait Servius. Cicer, quia vellitur & quia falſum eſt, hordeum, fœnum græcum, ervum: hæc omnia ſegetem exurunt, & omnia quæ velluntur. Nucleos in ſegetem ne indideris. Virgilius & lino ſegetem exuri, & avena & papavere arbitratur: Plinius libri decimi ſeptimi capite nono. Linum veró urit agrum, deteriorem-

que ipſum facit, ait idem Plinius in prologo libri decimi noni. *Urit, urit,*] Anaphora. *Avena*] Eſt enim primum frumenti vitium avena, ait Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo. *Lethao*] Lethe, fluvius eſt Africæ juxta extremum Syrtium cornu. de quo Lucanus lib: o nono:

Quam juxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis.

Unde poetis fabulæ occaſio fuit, infernum eſſe oblivionis fluvium. λήθη Græcè eſt oblivio. *Papavera*] Papaveris ſuccus non modò ſoporiferа vi, ſed etiam mortifera per ſomnum. ſic multi interempti: & ideo Diagoras & Eraſiſtratus in totum damnatunt ut mortiferum. Plinius libri viceſimi capite decimo octavo.

Sed tamen alternis labor: arida tantum
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola, neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requieſcunt fœtibus arva:
Nec nulla interea eſt inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atq; levem ſtipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia concipiunt: ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quà ſuccus in herbas:
Seu durat magis, & venas adſtringit hiantes:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Sed tamen] Concluditur tertium præceptum, & attexitur quartū de fœcundando ſolo: cujus ſpecies exponuntur fimus, ciris, inceſſio ſtipularum. De quo toto genere Plinius libri decimi ſeptimi capitibus ſexto, ſeptimo, octavo, nono. *Saturare*] Fœcundare, lætificare: metaphora eſt. Fimum verò terræ miſcere plurimum refert Favonio flan-

te ac Luna ſitiente: Plinius libri decimi ſeptimi capite nono. *Effœtos*] Continua fertilitate laſſatos, exhauſtos, qui fœtum præterea ferre non poſſunt. *Cinerem*] Tranſpadanis cineris uſus adeo placet, ut anteponant fimo jumentorum, quod, quia leviſſimum eſt, ob id exurunt: Plinius libri decimi ſeptimi capite nono: ubi indicat, cinerem eſſe fimum jumentorum, ſed incenſum & redactum in cineres: quod fit fimo ad ſolem ſiccato & incenſo. Et Palladius inter genera ſtercorum, cineres ait optimos eſſe, libri primi capite triceſimo tertio. Columella libri ſecundi capite decimo quinto, cinerem inter ſpecies ſtercorum numerat, tametſi nil definit. Itaque ne hic marga Britannica aut Gallica intelligatur, qua terræ aluntur: aut etiam Græca, de qua Plinius libri decimi ſeptimi capite ſexto & ſeptimo & octavo. *Sic quoque*] Repetitur ſimilitudinis quadam ſpecie præceptum tertium de alternatione ſeminis primum, tum arationis. *Sæpe*] Tertia fœcundationis ſpecies ex incenſione ſtipularum: quam Plinius libri decimi ſeptimi capite triceſimo ita proponit: Sunt qui accendunt in arvo & ſtipulas, magno Virgilii præconio. ſumma autem ratio, vt herbarum ſemen exurant. Quatuor autem cauſſas Virgilius hic attingit, ut novum pabulum concipiatur, ut vitioſus humor exuratur, ut vires aperiantur, ut eædem adſtringantur. *Occultas*] Vulgo ignotas. Heraclitus enim, clarus ſapientiæ profeſſor, dixit ex igne omnia conſtare. itaque incenderentur agri, ut novæ vires acquirerentur. Et Varro libri primi capite quadrageſimo, ait occultum eſſe quoddam ſemen, quod noſtrum ſenſum lateat: nempe ſi ſit in aere, ut ait Phyſicus Anaxagoras, & ſi aqua, quæ influit in agrum, inferre ſoleat ut ſcribit Theophraſtus hæc ille. Itaque ex Heracliti aut Anaxagoræ ſententia poſſit ſic locus intelligi. *Venas*) Metaphora pro cavernis & ſpiramentis, quæ jam dixit. *Tenues*) Penetrabiles, ſubtiles: & intellige Noceant, aut ſimile quidpiam. *Rapidive potentia ſolis*) Periphraſis caloris, ex ipſius efficiente cauſſa. *Borea*) Βορέας, latinis eſt aquilo, ἀπὸ τῆς βοῆς

Digitized by Google

à ſono & ſtrepitu, dicitur, quia ſonorus:

Ac veluti annoſam valido cùm robore quercum
Alpini Borea nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: quarto Æneidos.

Penetrabile] Quod facilè penetrat: aliquando etiam (quæ forma nominis propria eſt) quod penetratur, ut Ovidius duodecimo Metamorphoſeos,

—corpus nullo penetrabile telo.

Multùm adeo, raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineasq; trahit crates, juvat arva: neq; illum
Flava Ceres alto nequicquam ſpectat olympo:
Et qui proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga,
Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro,
Exercetq; frequens tellurem, atque imperat arvis.

Multùm adeo] Quintum præceptum de ſecunda aratione: de qua Columella libri undecimi capite ſecundo: Ab idibus Martii eadem quæ ſuprà utique peragenda ſunt. Optimè autem uliginoſa & pinguia loca nunc demum proſcinduntur: & quæ menſe Januario vernacta fecimus, nunc ultima parte Martii ſunt iteranda. *Raſtris*] Raſtrum, & raſtra ſeu raſtri, inſtrumentum ruſticum eſt, quo glebæ franguntur, ut hic ferè definitur, & paulo pòſt,

—aſſiduis terram inſectabere raſtris.

Servius interpretatur ſarculis. *Vimineaſque*) Occa, inſtrumentum eſt dentibus ferreis aut ligneis, quo glebæ conteruntur, & agri ſuperficies coæquatur, & ſemina cooperiuntur: quod fit interdum vimineis cratibus. De hoc Plinius libri decimi octavi capite vigeſimo: Aratione per tranſverſum iterata, occatio ſequitur, ubi res poſcit, crate vel raſtro: & ſato ſemine iteratio. Hæc quoque, ubi conſuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro annexa: quod vocant Lirare operientes ſemina: unde primùm appellata Deliratio eſt. *Ceres*) periphraſis ubertatis ex efficiente cauſſa quæ putabatur. *Olympo*)

Olympo) Metaphora eſt pro cœlo, ubi Ceres eſſe credebatur. Sunt montes altiſſimi quatuor hoc nomine, in Theſſalia, Gallogræcia, Myſia, Æthiopia: & Olympus veluti ὅλος λαμπρὸς, totus nitidus. *Proſciſſo*) Cùm primum terra aratur, dicitur proſcindi: cum iterum, offringi, tertiò cum aratur jacto ſemine, lirari: Varro libri primi capite viceſimo nono. *Terga*) Glebas, Metaphora eſt. *Obliquum*) Omne arvum rectis ſulcis, mox & obliquis ſubigi debet: Plinius libri decimi octavi capite decimo nono.

Humida ſolſtitia atque hyemes orate ſerenas
Agricolæ. hyberno lætiſſima pulvere farra,
Lætus ager nullo tantum ſe Mœſia cultu
Jactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.
Quid dicam, jacto qui ſemine comminus arva
Inſequitur, cumuloſque ruit malè pinguis arenæ:
Deinde ſatis fluvium inducit, rivoſque ſequentes?
Et, quum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,
Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet, ſcatebriſque arentia temperat arva.

Humida) Superiora præcepta de ſolo fuerunt, ſequentia de ſemine & frugibus. vota autem ad pluviam æſtatis & hyemis ſiccitatem proponuntur, ubi notabis ſecundum locum invocati numinis. *Solſtitia*) Synecdoce eſt duplex, ſolſtitia pro ſolſtitio, pluralis nempe numerus pro ſingulari: & ſolſtitium pro æſtate, pars æſtatis pro tota æſtate. Eſt enim ſolſtitium pars æſtatis, cum ſol altiſſimus & proximus eſt nobis, ut nunc tertio & ſecundo Idus Junii, id eſt, undecimo & duodecimo die: ut bruma, contraria ſolis ſtatio ſit tertio & ſecundo Idus Decembris, id eſt, die undecimo & duodecimo. *Humida*) Imber tamen in herba utilis tantùm;

florentibus autem frumento & hordeo nocet, leguminibus innocuus, præterquam ciceri. Matureſcentia frumenta imbre læduntur, & hordeum magis. hæc Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo. Unde Virgilii præceptum generale non eſſe intelliges. *Serenas*) Hyemem quidem aquiloniam eſſe omnibus ſatis utiliſſimam, ait Plinius libri decimi ſeptimi capite duodecimo. Idem tamen author libri decimi ſeptimi capite ſecundo videtur iterum Virgilium nonnihil emendare; Ergo qui dixit ſerenas hyemes optandas, non pro arboribus vota fecit: nec per ſolſtitia imbres vitibus conducunt: hyberno vero pulvere fieri meſſes lætiores, luxuriantis ingenii ferilitate, dictum eſt. alioqui vota arborum communia ſunt frugumque, nives diutinas ſedere. Cauſſa, non ſolúm quia animam terræ evaneſcentem exhalatione, includunt & comprimunt, retroque agunt in vires frugum atque radices: verúm quód & liquorem ſenſim præbent, purum præterea leviſſimumque, quando nix aquarum cœleſtium ſpuma eſt. Ergo humor ex iis non univerſus ingurgitans diluenſque, ſed quomodo ſititur diſtillans velut ex ubere alit omnia quæ non inundat. tellus quoque illo modo fermenteſcit, & ſucci plena ac lacteſcentibus ſatis non effœta, cum tempus aperit, tepidis arridet horis. Ita maximé frumenta pingueſcunt, præterquam ubi calidus ſemper aër eſt, ut in Ægypto. Hæc ille. *Agricola*] Apoſtrophe. *Farra*] Synecdoche, pro ſegetibus. *Lætus*] Lætiſſima, lætus, polyptoton. *Nullo*] Illuſtratio per collationem minorum. *Mœſia*] Civitas eſt Phrygiæ, ait Servius: vel regio & civitas, ut ait Stephanus. Eſt & Mœſia, Europæ provincia, Pannoniæ vicina. *Gargara*] Gargarus, & Gargara numero plurali, eſt cacumen Idæ montis: κάρα κάρατος, caput capitis, propter altitudinem dicitur. Eſt ejuſdem nominis oppidum in radicibus Idæ, fertilitate memorabile:

Gargara quot meſſes, quot habet Methymna racemos:

Ovidius primo de arte. Hinc gargara bonorum, proverbium,

verbium, pro ſumma abundantia. de quo Macrobius Saturnal. quinto, & Eraſmus in Chiliadibus. *Quid dicam*] De frugibus deinde præcipitur: quarum duo prima genera ſunt, frumenta, ut triticum, ut hordeum, & legumina; ut faba & cicer. Differentia vero notior quam ut indicari deceat. Frumenti ipſius totidem genera, per tempora ſatu diviſa: hyberna; quæ circa Vergiliarum occaſum ſata terra per hyemem nutriuntur; ut triticum, far, hordeum: æſtiva; quæ æſtate ante Vergiliarum exortum ſeruntur, ut milium, panicum, ſeſama, horminum, irio Italiæ duntaxat ritu. alioquin in Græcia & Aſia omnia Vergiliarum occaſu ſeruntur: quædam autem utroque tempore in Italia: ex his quædam & tertio, veris ſcilicet. Aliqui verna milium, panicum, lentem, cicer, aliſcam appellant: Sementica autem, triticum, hordeum, fabam, napum, rapam: Plinius libri decimi octavi capite ſeptimo. Primum præceptum, de ſemine cooperiendo per lirationem. *Tumulos*] Synecdoche pro glebas. *Arena*) Metonymia, ut ante:

Hic ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.

Deinde] Secundum frugum præceptum, de earum irrigatione: cujus & cauſſa é temporis, loci, rei adjunctis & effectis proponitur. *Æſtuat*] Æſtu fervet, & quaſi ſuffocatur. *Supercilio*] Jugo, cacumine: metaphora eſt. *Clivoſi*] Clivus, proclivitas collis. Hinc limes clivoſus, clivis abundas, aut inclinatus & declivis. *Undam*] Aquam: ſynecdoche eſt ſpeciei pro genere. *Scatebris*] Ebullitionibus aquarum, in hiantes aridæ terræ venas influentium: quales nempe ſunt fontium ſcaturigines, unde nunc metaphora ſumpta eſt.

Quid qui, ne gravidis procumbat culmus ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba,
Quum primum ſulcos æquant ſata, quiq; paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans

Exit, & obducto latè tenet omnia limo:
Unde cava tepido ſudant humore lacunæ.

Quid) Tertium frugum præceptum de vitiis earum curandis: quorum ſpecies multæ ſunt. prima eſt luxuries, quæ eſt tum per depaſtionem, tum per deſiccationem: cujus utriuſque finis præponitur, ne culmus ſpicis ferendis impar, procumbat. *Quid*) Quantum, ſupple juvat arva. *Culmus*) Calamus frumenti á radice ad ſpicam uſque. *Ariſtis*) Metonymia eſt pro ſpicis. Spica autem continet granum & glumam, grani folliculum: cujus tennis acus, ariſta dicitur, quód prima areſcat. *Luxuriem*) Metaphora eſt, ut lætæ ſegetes, ſitire agros, gemmare vites. Luxurioſa frumenta ait in oratore Cicero. *Luxuriem*) Inter vitia ſegetum, luxuria eſt, cùm onerata fertilitate procumbunt: quæ caſtigatur dente pecoris in hèrba duntaxat: & depaſtæ quidem vel ſæpius, nullam in ſpica injuriam ſentiunt: retonſarum veró etiam ſemel, omnino certum eſt granum longius fieri, ſed inane caſſumque, ac ſatum non naſci. Babylone tamen bis ſecant, tertió depaſcunt: alioquin folia tantúm fierent. ſic quoque cum quinquageſimo fœnore meſſes reddit felicitas ſoli: verum diligentioribus cum centeſimo quinquageſimo. Hæc Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo: ubi conſiderabis mirabilem naturæ largitatem, centeſimo & quinquageſimo fœnore primam ſortem remunerantis. *Depaſcit*) Paſcendo abſumit: quomodo per ſimilitudinem ruſticam Cicero ait ſecundo de Oratore, cum de oratione Sulpicii loquitur: In qua nunc interdum, ut in herbis ruſtici ſolent dicere, in ſumma ubertate ineſt luxuries quædam, quæ ſtylo depaſcenda eſt. *Cùm primùm ſulcos æquant ſata*) Cum adhuc herbæ ſunt teneræ. addit etiam Plinius libri decimi octavi capite viceſimo primo. Sunt genera terræ, quarum ubertas peſtinari ſegetem in herba cogat. (cratis & hoc genus, dentatæ ſtylis ferreis) eadem nihilominus & depaſcuntur: quin depaſta, ſarculo iterum excitari neceſſarium. Huc etiam

etiam fortaſſe referendum ſit quod Plinius ait de aratione, libri decimi octavi capite decimo nono: Non omittemus unam etiamnum arandi rationem in Tranſalpina Italia, bellorum injuria excogitatam. Salaſſi cum ſubjectos Alpibus depopularentur agros, panicum miliumque jam excreſcens tentavere: poſtquam reſpuebat natura, inararunt. At illæ meſſes duplicatæ docuerunt quod nunc vocant artrare, id eſt aratrare, ut credo tunc dictum. hoc fit vel incipiente calamo, cum jam is bina ternave emiſerit folia. Nec recens ſubtrahemus exemplum, in Treverico agro, tertio ante hunc annum compertum. Nam cum hyeme prægelida captæ ſegetes eſſent, reſeverunt, reſarrientes campos menſe Martio, uberrimaſque meſſes habuerunt. *Quique paludis*) Secunda luxuriæ curatio per deſiccationem humidioris terræ, arena ſuperjecta, ait Mancinellus: vel potius facto ſulco, ut Columella libri ſecundi capite nono. Cui etiam contrarium remedium in contraria terra valebit. neque eſt cura difficilis quám diutiſſimé aqua rigandi, ut præpinguis ac denſa ubertas diluatur: Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo *Incertis menſibus*) Autumno & Vere. hyemis enim frigus eſt certum: æſtatis calor certus, ait Servius. *Abundans*) Extra ripas diffluens, redundans. *Obducto limo*) Superfuſo, ſuperlito. *Unde*) Hoc inundationis vitium eſt, unde vermiculi naſcuntur in radice, cum ſementem imbribus ſecutis, incluſerit repentinus calor humorem. gignuntur & in grano, cum ſpicæ calor infervеſcit. Eſt & Cantharus dictus ſcarabæus parvus frumenta erodens. Hæc Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo. *Lacuna*) Lacuna, eſt aquæ collectio, & á lacu derivatur.

Nec tamen (hæc quum ſint hominumq; boumq; labores
Verſando terram experti) nihil improbus anſer,
Strymoniæq; grues, & amaris intuba fibris
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipſe colendi

Haud facilem eſſe viam voluit, primuſq; per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.
Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipſaque tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat:
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædarique lupos juſſit, pontumque moveri:
Mellaque decuſſit foliis, ignemque removit:
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit.
Ut varias uſus meditando extunderet artes
Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam,
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas:
Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit,
Plejadas. Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras & fallere viſco
Inventum, & magnos canibus circundare ſaltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem,
Alta petens: pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ.
Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.
Tum variæ venere artes. LABOR *omnia vincit*
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit, quum jam glandes atq; arbuta ſacræ
Deficerent ſylvæ, & victum Dodona negaret.
Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos
Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in arvis

Carduus

Carduus: intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,
Lappæque tribuliq; : interque nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.
Quód niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris,
Et ſonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbras, votiſq; vocaveris imbrem:
Heu magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum,
Concuſſaq; famem in ſylvis ſolabere quercu.

Nec tamen] Proſequitur reliqua vitia ſegetum ex avibus, herbis, umbris. *Boumque labores*] Sic poſtea in eodem libro:

Et pluvia ingenti ſata læta boumque labores.

Improbus] Pullis anſerum urtica contactu mortifera: nec minús aviditas, nunc ſatietate nimia, nunc ſuamet vi, quando apprehenſa radice morſu ſæpe conantes avellere, anté colla ſua abrumpunt: Plinius libri decimi capite quinquageſimo nono. Ergo improbus, avidus, inſatiabilis: & de agreſti anſere præcipuè id intelligitur, ait Servius. *Strymoniaque*] Strymon, fluvius Thraciam & Macedoniam dividens. de quo quarto Georgico:

Rupe ſub adverſa deſerti ad Strymonis undam.

& decimo Æneidos:

—quales ſub nubibus atris
Strymoniæ dant ſigna grues —

Ad hunc igitur fluvium grues convenire ſolitæ ſunt. Sic Heſiodus adverſus aves:

Δμωὸς ἔχων μακέλλην πόνον ὀρνίθεσσι τιθείη.
Servus habens ligonem, negotium avibus faceſſat.

Intuba] Intubus aut intubum, herba ex cichoriorum genere: vulgo Endivia. *Fibris*] Fibræ ſunt oræ fluminum, ait Feſtus. hinc partes cujuſcunque viſceris, fibræ:

—Nec fibris requies datur ulla renatis;

ſexto Æneidos.

Umbra] Non faſtidienda hæc quoq; ſcientia, atq; non

Digitized by Google

in ultimis ponenda, quando quibuſque ſatis umbra aut nutrix aut noverca eſt. Juglandium quidem pinorumque & picearum & abietis, quæcunque attigêre, non dubié venenum eſt, ait Plinius de umbris arborum, libri decimi ſeptimi capite duodecimo. Quod ecloga ultima attingitur:

Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbra.

Pater] Digreditur in cauſſam vitiatarum frugum, eamque ex divina providentia repetit, ut homines labore acuantur. ubi tertium locum adhibiti ad agriculturam numinis annotabis. Locus eſt é primo Heſiodi:

κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι,
Occultarunt enim dii victum hominibus.

Pater) Eodem Heſiodi libro:

—πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
—pater hominumque deorumque.

Per artem) Ex Arato:

Ὥρη μὲν τ' ἀρόσαι νειὸς, ὥρη δὲ φυτεῦσαι·
Ἐκ Διὸς ἤδη πάντα πεφασμένα πάντοθι κεῖται.
Tempus quidem arandi novales, tempus quoq; plantandi:
E Jove jam omnia oſtenſa ubivis ſunt.

Veterno) Veternus morbus, ex nimio otio perpetuum ſomnum inducens. Quo morbo Georgius Trapezuntius, Orbilius grammaticus, Hermogenes ſophiſta, dicuntur literarum memoriam amiſiſſe. *Ante*) Illuſtratio per diſſimilitudinem aureæ ætatis & præſentis agriculturæ: Ætate aurea, communio rerum erat & naturalis abundantia. *Ipſaq; tellus*) De eodem quarta ecloga:

Molli paulatim flaveſcet campus ariſta:
Incultiſq; rubens pendebit ſentibus uva:
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

& ibidem,

—Omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, nec vinea falcem:
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator.

Aureæ

Auream veró ætatem illam ad Auguſtum refert ſexto Æneidos:

Auguſtus Cæſar, divûm genus aurea condet
Secula qui rurſus Latio, regnata per arva
Saturno quondam ——

Idem Æneidos octavo de Saturno:

Aureaq́, ut perhibent, illo ſub rege fuerunt
Secula: ſic placida populos in pace regebat.

Quod é primo Heſiodi deductum eſt, & ab Ovidio Metamorphoſeos primo poſtea tractatum. *Ille)* Antapodoſis diſſimilitudinis. *Serpentibus)* Contrarium in ætate aurea:

Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet: Aſſyrium vulgo naſcetur amomum:

ecloga quarta. *Prædarique)* Ne qua ſecuritas eſſet in paſcendo. contrá fuit ecloga quarta de ætate aurea:

Ipſa lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.

Et quinta in Daphnidis apotheoſi:

Nec lupus inſidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur. amat bonus otia Daphnis.

Pontumque) Pontus, deus maris: hîc pro mari ipſo per metonymiam ponitur. *Moveri)* Fluctibus, adverſus navigationis ſecuritatem. *Mellaque)* Contrá fuit ecloga quarta,

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Ignemq́) Videtur Heſiodum imitari:

κρύψε δ' πῦρ ——
Aſcondit veró ignem.

Ubi fingit Heſiodus Jovem indignatum, quód Prometheus ignem ferula ſubripuiſſet. per ignem veró prudentiam Logicam Plato interpretatur in Philebo: & illud innui videtur ſexto Æneidos,

Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo.

Poſſit etiam fortaſſis hic intelligi naturalis maturitas humani alimenti, quæ ab irato Jove detracta, labore hominibus & artificio requirenda fuit: præſertim cúm

mox dicatur:

Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.

Idem tamen furtum celebratur etiam ſexta ecloga:

Caucaſeaſq; refert volucres, furtumq; Promethei.

Vina] Contrarium fuit ecloga quarta:

Incultiſq; rubens pendebit ſentibus uva.

Ut varias] Repetitur inducti laboris cauſſa, humani nempe ingenii exercitatio per agriculturam, coquinariam, nauticam, venationem, piſcationem, metallicam.

Meditando] Notabis hîc Ariſtotelica artium principia, obſervationem & experientiam, vel potiùs fructus & fines. ut enim hinc artes profectæ ſunt, ſic eodem ſunt referendæ. *Sulcis*] Aratione. *Frumenti herbam*] Periphraſis eſt ſegetis, ait Servius: vel potiùs agriculturæ periphraſis in toto.

—& ſulcis frumenti quæreret herbam.

Et ſilicis] Periphraſis coquinariæ artis: cujus facultas ad coquendos cibos tota eſt ex igne: ubi etiam ſui calefaciendi vis & multa alia agendi ſignificari poteſt.

Cavatas alnos] Periphraſis eſt navis, quæ ex alno conficitur. contra fuit ecloga quarta:

Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces—

Navita] Epentheſis pro nauta, ut Servio placet, ſicuti Mavors pro Mars. *Numeros & nomina fecit*] Id eſt numeravit & nominavit. numeratæ autem ſunt 1022. in Septentrione 360, in Zodiaco 346, in Meridie 316.

Pleiadas] Stellæ ſunt ſeptem in dorſo tauri, (quæ Latinis Vergiliæ dicuntur á veris ſignificatione ex earum ortu) ἀπὸ τοῦ πλεῖν, á navigando, dictæ, quód ortu ſuo primæ navigationis tempus oſtendant. *Hyadas*] Hyades ſeptem ſunt ſtellæ in fronte Tauri: ἀπὸ τοῦ ὕειν, á pluendo: de quibus quarto Faſtorum:

At ſimul inducent obſcura crepuſcula noctem,
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.
Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas gratius ab imbre vocat.

Atlan-

Atlantides etiam dicuntur, quia Atlantis filiæ ſunt: item Hædi: á Latinis imperité nominantur Suculæ, quaſi á ſuibus dictæ ſint, ait Cicero ſecundo de natura deorum: & Plinius decimi octavi capite decimo quarto.

Lycaonis] Lycaon, Rex Arcadiæ, Calliſto filiam habuit, quæ á Iunone conuerſa eſt in urſam, quia amaretur á Ioue. at Jupiter miſeratus, in cœlum tranſtulit. Eſt autem maior Urſa, ſeu maior ſeptentrio, ſidus 35. ſtellis inſigne. nam 27. habet in forma, extra formam habet 8. Elice autem dicitur, quam Græci nautæ ducem navigationis ſpectant: cúm Sidonii Cynoſuram, id eſt minorem Urſam, ſpectarent. hodie nautæ ſpectant acum magnete tactam. *Tum laqueis*] Periphraſis eſt venationis ex ſuis inſtrumentis, effectis, ſubjectis. *Viſco*] Glutino ad aucupium apto. *Canibus circundare ſaltus*] E decima ecloga repetitum,

—non me vlla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circundare ſaltus.

Atque alius] Periphraſis eſt piſcationis ex ſuis inſtrumentis, effectis, ſubjectis. *Funda*] Genus retis hic ſignificat, á fundendo dictum: ait Servius. *Humida lina*] Periphraſis verriculi, quod & retis genus eſt. *Tum ferri*] Periphraſis eſt artis metallicæ ex una ſpecie. *Ferri rigor*] Id eſt, ars inventa indurandi ferri. *Arguta*] Stridulæ: ſic arguta ſilex ecloga quinta, & argutum nemus ecloga octava, & arguti olores nona dicuntur. *Lamina*] Lata portio metalli, ferri, plumbi, ſtanni, æris, argenti, auri: bractea, de poſterioribus præcipué: vel bractea, tenuior & argutior. vide Vallam libri quarti capite ſeptuageſimo quarto. Lamina etiam de ligni portionibus apud Plinium dicitur, cúm ait fagi ſectiles laminas. *Serra*] Ærariam fabricam alii Chalybas, alii Cyclopas: ferrum Heſiodus eos qui vocati ſunt Dactyli Idæi. Fabricam materiariam Dædalus primus reperit, & in ea ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam: ait Plinius libri ſeptimi capite quinquageſimo ſexto. *Nam primi*] Primi non ſerrabant, ſed cuneis tantúm ſcindo-

bant. *Tum variæ*] Complexio longioris inductionis, cujus ſumma cauſſa epiphonemate repetitur. *Labor*] Alluſio quædam eſt fortaſſis ad illud Heſiodium:

> *Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν*
> *Ἀθάνατοι.*
> *Ante virtutem ſudorem Dii poſuerunt*
> *Immortales.*

Sed ex Theocriti viceſimo quinto Idyllio ſumptus eſt locus:

> *Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει·*
> *Αὐτὰ τῶ μόχθοιο διδάσκαλος.*
> *Paupertas, Diophante, ſola artes excitat:*
> *Hæc laboris magiſtra,*

Et in prologo Perſius:

> *Quis expedivit pſittaco ſuum χαῖρε:*
> *Picaſq; docuit noſtra verba conari?*
> *Magiſter artis ingeniq; largitor*
> *Venter, negatas artifex ſequi voces.*

Et Horatius ſecunda epiſtola libri ſecundi:

> *Deciſis humilem pennis, inopemque paterni*
> *Et laris & fundi, paupertas impulit audax*
> *Ut verſus facerem.*

Prima] Prima pars inductionis repetitur de agricultura, & inventrix Ceres proponitur. *Arbuta*] Arbutus, arbor, cujus poma ſunt ceraſis ſimilia: de qua tertia ecloga:

> *Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis.*

item ſeptima.

> *Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra.*

Poma ipſa, ſunt arbuta: de quibus erit etiam poſtea.
Dodona] Civitas Epiri, cui vicinum nemus Jovi ſacrum eſt, glandibus abundans: unde fuit antea,

> *Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.*

In Dodone autem Jovis fons cùm ſit gelidus & immerſas faces extinguat, ſi extinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie ſemper deficit: qua de cauſſa *ἀνα-*

παυό-

πανσέληνον vocant: mox increſcens, ad medium noctis exuberat, ab eo rurſus ſenſim deficit. Plin. 2. 103. *Mox*] Revertitur ad inchoata frugum vitia, & eorum novas ſex ſpecies deſcribit. *Eſſet*] Conſumeret, perderet. *Rubigo*] proprié vitium eſt obſcœnæ libidinis, quod vlcus vocatur. Hîc vitium eſt frugum nullo minús noxium: frequentiſſimum in roſcido tractu convallibusque ac perflatum non habentibus. é diverſo carent eo ventoſa & excelſa: Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo. Niellam Galli vocant, quà nempe ſpicæ marceſcunt, & in pulverem fœtidum confriantur: & rubiginoſas ſegetes, niellatas vocant. De remedio rubiginis ibidem Plinius, & capite viceſimo nono: Rubigo quidem, maxima ſegetum peſtis, lauri ramis in arvo defixis, tranſit in eorum folia ex arvis: & adverſus eam peſtem Rubigalia Numa conſtituit anno regni ſui undecimo, quæ nunc aguntur ad undecimum Calendas Maji, quoniam tunc feré ſegetes rubigo occupat. *Segnis*] Inutilis, infœcundus. *Horreret*] Spinis videlicet acutis: ut de paliuro quinta ecloga:

—& ſpinis ſurgens paliurus acutis.

Carduus] Sylveſtris intelligatur. nam ſativus in magnis quondam menſarum deliciis fuit. De iis Plinius libri decimi noni capite octavo: Portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes conſciæ. & ejuſdem libri capite quarto, prodigia ventris appellat. *Sylva*] Metaphora, qualis antea jam fuit,

—fragiles calamos ſylvamque ſonantem.

Lappaque] Lappa canaria eſt quæ canibus: alia φιλάνθρωπος: quæ hominibus adhæret: alia perſonata, cujus foliis, quia ampla ſunt, ad perſonas hiſtriones utebantur. *Tribulique*] Tribulus, ſpinæ genus, á ſemine triangulari dictum, vel quód cuſpidatum trifariam feriat. Tribulus autem (ut Plinius libri viceſimi primi capite decimo ſexto) non niſi in paluſtribus naſcitur. Dira res alibi, juxta Nilum & Strymonem excipitur in cacabis. Idem

libri viceſimi ſecundi capite decimo: Thraces qui ad Strymonem habitant, foliis tribuli equos ſaginant, ipſi nucleo vivunt, panem facientes prædulcem & qui contrahit ventrem. Hemiſtichium tertio Georgico repetitur:

Lappaque tribuliq; abſint.——

Lolium] Herba quæ Gallis vulgo Yvrea, Græcis ζιζάνιον. Infelix à Virgilio dictum, ait Plinius libri viceſimi tertii capite viceſimo quinto. Hoc tamen mollitum ex aceto, coctum, impoſitumque, ſanat impetigines celeriús, quo ſæpius mutatum eſt: medeturque & podagris & aliis doloribus cum oxymelite. Hæc ille. Vitiat autem oculos, vt Ovidius primo Faſtorum teſtis eſt:

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

& proverbium hinc natum, quo Plautus utitur in Milite:

Mirum eſt lolio victitare te, tam vili tritico:

id eſt nil videre. *Steriles*] Steriles avenæ ad differentiam ſativarum, ut Servius. Primum autem omnium frumenti vitium, avena eſt, & hordeum in eam degenerat, ſicut ipſa frumenti fit inſtar, quippe cúm Germaniæ populi eam edant, neque alia pulte vivant: ait Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo. *Infelix*] Verſus eſt é quinta ecloga repetitus integer. Hæc veró reliqua frugum vitia Plinio ſunt libri decimi octavi capite decimo ſeptimo. Nam lolium, ait, & tribulum & carduum, lappamque, non minús quám rubum inter frugum morbos potiús, quám inter ipſius terræ peſtes numeraverim. *Quód*] Concluditur epilogo quartum præceptum, & é ſuperioribus aliquid dicitur. *Raſtris*] Illud é quinto ſoli præcepto fuit:

Multúm adeo, raſtris glebas qui frangit inertes.

Aves]. Propter illud, *improbus anſer. Opaci*] Vmbris opacati, non aprici. *Premes*] Amputabis. *Umbras*] Propter illud, *aut umbra nocet. Votiſque*] Propter illud, *Humida ſolſtitia.* ubi tertius numinis invocati locus iteratur. *Heu*] Exclamatio in ubertatem alienam: qua-

lis

lis deſcripta priús eſt,

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ:——
Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.

Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma,
Quis ſine nec potuere ſeri nec ſurgere meſſes:
Vomis, & inflexi primúm grave robur aratri,
Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra,
Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri:
Virgea præterea Celei viliſque ſupellex,
Arbuteæ crates, & myſtica vannus Iacchi:
Omnia quæ multo antè memor proviſa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuó in ſylvis magna vi flexa domatur
In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic á ſtirpe pedes temo protentus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorſo.
Cæditur & tilia antè jugo levis, altaque fagus,
Stivaque, quæ currus á tergo torqueat imos:
Et ſuſpenſa focis exploret robora fumus.
Poſſum multa tibi veterum præcepta referre,
Ni refugis, tenueſque piget cognoſcere curas.

Dicendum] Viginti proximis verſibus deſcribuntur é cautlis adjuvantibus inſtrumenta ad agri & ſegetis cultum pertinentia: quod præceptum & ad ſolum & ad ſpeciem rerum attinet. De his mutis inſtrumentis Varro libri primi capite viceſimo ſecundó copioſiús præcipit, de corbulis, doliis, fiſcinis, tribulis, malleis, raſtellis, & cæteris: Heſiodus etiam ſecundo Operum & dierum, ſed paulo diſſimiliter. *Duris agreſtibus*] Periphraſis agricolarum. *Eleuſinæ*] Eleuſis, civitas eſt Atticæ, ubi Ceres per Celeum regem hoſpitio ſuſcepta Triptolemum ejus

filium agriculturam docuit, & alatis ſerpentibus impoſitum per orbem dimiſit ad uſum frumenti hominibus declarandum, ait Servius. Eleuſina itaque mater, Ceres definitur. *Plauſtra*] Quibus demeſſæ ſegetes convehuntur:

—ἑκατὸν δέ τε δούρατ' ἁμάξης,
centum verò etiam ligna plauſtri, ait Heſiodus.

Tribulaque] Tribula aut tribulum, tabula lapidibus aut ferro aſperata, qua fruges teruntur. vide Varronem libri primi capite quinquageſimo ſecundo. Hinc Tribulare pro terere. *Traheaque*] Tribrachus (que trahe) Traha autem, & epentheſi trahea, genus vehiculi ſine rotis. *Virgea ſupellex*] Virgis & viminibus contexta, ut quali, corbes. *Celei*] Celeus, Rex Atticæ, pater Triptolemi. *Arbutea*] Ex arbuto factæ. *Myſtica vann.*] Vannus, ſeu (quod idem eſt) vallus, cribrum eſt Cereale, quo frumenta & legumina vennantur & ventilantur: quæ Iaccho ſacra & myſtica eſt, quia ſacra Iacchi ſeu Liberi patris, ad purgationem animæ ſpectant, ut hoc inſtrumentum ad purgationem frumentorum. *μύστης*, ſacra diſcens, myſteriorum peritus, ſacris initiatus; *ἀπὸ τοῦ μύειν*, ab occultando, quòd myſteria ſunt arcana & occulta. pro Myſtica, Pierius monet in Codice Romano legi muſtica. unde quidam interpres exiſtimat vannum muſteam, qua vina (quorum Deus eſt Iacchus) percolantur: at nihil hîc de vino agitur. *Iacchi*] *ἰάχω*, clamo, reſono: *ἰαχή*, clamor: hinc Iacchus gemino cc metri gratia, quia in Bacchanalibus magnus clamor & ſtrepitus fiat. *Omnia*] Inſtrumenta multo antè providenda quàm ſit his opus. *Continuò*] Proviſio aratri per ſuas partes, & earum ferè materiam, burim ex ulmo, temonem, aures, dentale, jugum è tilia & fago, ſtivam. *Domatur*] Metaphora. *Buris*] Buris, pars aratri poſterior decurvata: quaſi *βοὸς οὐρά*, bovis cauda, ait Servius. Bura dicitur apud Varronem de re Ruſtica libri primi capite decimo nono: Terram duram proſcindere boves niſi magnis viribus non poſſunt, & ſæpe fracta bura relinquunt vomerem

ſem in arvo. Et apud eundem authorem in lingua Latina deducitur á bobus bura. *Ulmus*] Quæ rigorem fortiſſimé ſervat ob idque cardinibus aſſamentiſque portarum utiliſſima, quia minimé torqueatur: Plinius libri decimi ſexti capite quadrageſimo. *Temo*] ad quem boves junguntur. *Bina*] Duæ, quibus ſulcus latior efficitur. *Dentalia*] Dentale, eſt lignum ad quod vomer includitur: dens etiam dicitur á Varrone. Heſiodus dentale jubet eſſe πρίνινον, id eſt ilignum. *Dorſo*] Dorſo duplici dentale dicitur, quia latum eſt, aut ejus utrumque latus eminet. *Tilia*] Molliſſima tilia eadem & calidiſſima. argumentum afferunt quód citiſſimé aſcias redundat. Plinius libri decimi ſexti capite quadrageſimo.

Jugo] Ad jugum. *Levis*) Ne ejus pondere boves laborent. *Fagus*) Grata paſtoribus arbor opacitate ſua. unde ſunt illa:

Tityre, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi:

ecloga prima:

Immo hæc quæ viridi nuper ſub tegmine fagi
Carmina deſcripſi—— ecloga quinta.

Facilis eſt fagus, quanquam & fragilis & tenera. eadem ſectilibus laminis in tenui flexilis, capſiſque & ſcriniis ſola utilis: Plinius libri decimi ſexti capite quadrageſimo tertio. *Stivaque*) Stiva, manica aratri, qua curſus aratri dirigitur, ut hîc poëta definit. Heſiodo ſtiva fit é lauro vel ulmo, non autem é tilia aut fago. *Currus imos*) Impreſsio vomeris ſignificatur, quæ altior aut levior eſt, prout ſtiva regitur: & patriam ſuam Virgilius reſpexit, ubi aratra rotis tanquam currus volvuntur. *Robora*) Synecdoche pro quibuslibet lignis: quæ, ſi ad fumum rimas non egerunt, probatæ ſunt ſoliditatis. Sic Heſiodus ſecundo:

Πηδάλιον δ' εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσαιο.

Clavum veró fabrefactum ſuper fumum ſuſpendito.

Poſſum) Locus attentionis ad ſequentia documenta per apophaſim. Veteres autem agriculturæ ſcriptores Varro capite primo primi libri de re Ruſtica, numerat

græcos quinquaginta. Ergo horum præcepta Virgilius intelligit, ut Catonis & Varronis etiam.

Area cumprimis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta ſolidanda tenaci:
Ne ſubeant herbæ, neu pulvere victa fatiſcat:
Tum variæ illudant peſtes. ſæpe exiguus mus
Sub terris poſuitque domos, atq; horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ:
Inventuſq; cavis bufo, & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt: populatq; ingentem farris acervum
Curculio, atque inopi metuens formica ſenecta.

Area] Deſcribitur area ex efficientibus cauſſis: ubi notat Servius ὑστερολογίαν. Nam primúm eſt area vertenda manu, tum ſolidanda, poſtremó æquanda: quem ordinem Virgilius hîc pervertit. De area Cato ſic præcipit: Aream ſic facito: Locum ubi facies, confodito, poſtea amurca conſpergito bene, ſinitoque combibat: poſtea comminuito glebas bene: deinde coæquato, & paviculis verberato: poſtea denuó conſpergito, ſinitoque areſcat. Si ita feceris, neque formicæ nocebunt, neque herbæ naſcentur. Varro libri primi de re Ruſtica capite quinquageſimo primo, loco deſcribit ſublimiori, quam perflet ventus, modicam pro magnitudine ſegetis, rotundam, medio pauló extumidam, ut, ſi pluerit, non conſiſtat aqua, & quám breuiſſimo itinere extra aream defluere poſſit: omne porró breviſſimum, in rotundo é medio ad extremum ſolida terra pavitam: maximé ſi eſt argilla, ne æſtu pæminoſa in rimis ejus grana obliteſcant, recipiant aquam, & oſtia aperiant muribus ac formicis. Itaque amurcam ex præcepto Catonis adhibet, quia ſit herbarum inimica, & formicarum & talparum venenum. Ait etiam apud nonnullos tectas areas eſſe propter pluvias: ubi autem tectæ ſunt, & loca ſunt calida, propé facienda umbracula, quó ſuccedant homines in æſtu

tempo-

tempore meridiano. Columella libri ſecundi capite viceſimo, aream in demeſſa faba & lecta ſtatuit; quia dum á pecudibus legumina proculcantur, herbæ etjam ungulis atteruntur: atque ita glabreſcit, & fit idonea trituris area: & amurcam quæ non acceperit ſalem, præcipit. Palladius libri primi capite triceſimo ſexto jubet aream non procul eſſe á villa, ut fraus minor timeatur, domini vel procuratoris vicinitate ſuſpecta. ſit autem, inquit, vel ſtrata ſilice, vel ſaxo montis exciſa, vel ſub ipſo trituræ tempore ungulis pecorum & aquæ admiſtione ſolidata: clauſa deinde & robuſtis munita cancellis propter armenta, quæ, cúm teritur, inducimus. Sit circa hanc locus alter planus & putus, in quem frumenta transfuſa refrigerentur, & horreis inferantur: quæ res in eorum durabilitate proficiet. fiat deinde undecunque proximum tectum, maximé in humidis regionibus, ſub quo propter imbres ſubitos frumenta, ſi neceſſitas coëgerit, raptim vel munda vel ſemitrita ponantur. Sit tamen area longé ab hortis, vineis atque pometis. Nam ſicut radicibus virgultorum proſunt lætamen & paleæ, ita inſidentes frondibus, eas perſecant atque arere compellunt. Plinius libri decimi octavi capite viceſimo nono, de area nihil præterea præcipit: niſi forté quód fimi bubuli dilutioris illitionem præcipit. Atque hæc authores illi de area: quæ in Gallia noſtra propter pluvias feré tecta eſt: nec uno tempore tritura fit. Mirum autem eſt amurcæ mentionem præteritam eſſe á Virgilio, cúm tam firmum contra peſtes, quas exponit, remedium ſit, & á veteribus tantopere prædicatum. *Cum primis*] Solœciſmum Chariſius hîc ſtatuit, quód præpoſitio Cum ponatur pro In. At Gell. libri decimi ſeptimi capite ſecundo, eam phraſim veterum ait fuiſſe. *Cylindro*] Cylindrus, columna lapidea rotabilis: á κυλίνδω, volvo. *Creta*] Creta in variis regionibus varia eſt, ut Plinius libri triceſimi quinti capite decimo ſeptimo. Itaque cretam tenacem nobis hic definit Virgilius, pro qua amurcam Cato præcipit. *Fatiſcat*] Id eſt fatim vel affatim.

hiſcat, oſtiaque aperiat muribus ac formicis. *Ne ſubeant*) Ratio eſt diligentioris areæ, ex adjunctis vitiis, quibus grana pereunt. *Exiguus mus*) Periphraſis eſt nitelæ, quæ & per diminutionem nitedula dicitur: Cicero pro Seſtio: Quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula Rempublicam conaretur arrodere. *Capti*) Caper hic ſolœciſmum notat, & notatur à quibuſdam non orationis, ſed rei error, quód non ſint oculis captæ talpæ, quæ nunquam viderint. At Capti pro debilibus dici poteſt: & talpis quadrupedum ſolis quamvis viſus non ineſt, oculorum tamen effigies ineſt, ſiquis prætentam detrahat membranulam, ut Plinius libri undecimi capite triceſimo ſeptimo author eſt. Varro etiam in Theſſalia ſuffoſſum ait à talpis oppidum, vt Plinius idem libri octavi capite viceſimo nono. *Bufo*) Rana terreſtris minimæ magnitudinis. *Populatque*) Populare, proprié eſt populi gratiam conciliare.

Atq; ut promeruit pater, patriam populavit meam:

ait Pacuvius. Per metaphoram eſt prædari, quod populari ſæpius dicitur. *Curculio*) Per ἀντίστοιχον, pro Gurgulio: quia nil aliud feré ſit quám guttur. Calendula vulgo dicitur. Animal parvum eſt, frumenta corrodens: quod infra quatuor acervi digitos (ut Plinius libri decimi octavi capite triceſimo) non deſcendit, nec ampliús periclitatur. Ne veró frumento noceat gurgulio, itemque mures, granarium amurca oblinendum monet.

Contemplator item, cum ſe nux plurima ſylvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes:
Si ſuperant fœtus pariter frumenta ſequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberet umbra,
Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Contemplator) Digreſſione proponitur prognoſticon futuræ ubertatis, é floribus amygdalæ folia ſuperantibus.

Digitized by Google

bus. Ex his autē quæ hyeme Aquila exoriente concipiunt, floret prima omnium amygdala, menſe Januario: Plinius libri decimi ſexti capite viceſimo quinto. *At ſi)* Prognoſticon contrariæ ſterilitatis ex contrario ſigno, Si foliis amygdalæ obruantur flores, ſterilitas indicatur. *Exuberet)* Huber, id eſt fœcundus: ſic hubero: Et cœlo quidem nunquam benignitas tanta, ut ſimul terras huberet foveatque, ait Plinius in panegyrico. hîc exhuberare pro ſuperare vel redundare.

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro priùs & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet,
Et quamvis igni exiguo properata maderent.
Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret. SIC *omnia fatis*
In pejus ruere, ac retro ſublapſa referri:
Non aliter quàm qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit: ſi brachia fortè remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

Semina) Redit ad propoſitam rerum ſpeciem, & præceptum de præparando ſemine conſtituit, ex ſuis cauſſis, nitro, amurca, igne, ſelectione ſeminis. *Medicare)* velut ægrota. ut Populo & Populor, ſic Medico & Medicor.

——ſenibus medicantur anhelis,

erit ſecundo Georgico. *Nitro)* Nitrum, ſimile eſt noſtri ſalis, ſed nihil habet gelidi rigoris, nihil ſalſi ſaporis: ſolet tamen juxta naturam ſalis durare caliditate, & nubiloſo aëre liqueſcere. nitro nunc caremus, ſed pro eo ſalem petræ adhibemus. de generibus ejus ex Media, Thracia, Macedonia, Ægypto, totaque ejus natura,

Plinius libri triceſimi primi capite decimo. *Amurca*] Sordes olei, ſed præcedentes. nam ſequentes dicuntur fæces. per c ſcribitur, ſed pronunciatur per g: ut C. Gajus, Cn. Gnæus. Hæc Servius de Amurca. *Grandior*] Effectus eſt hujus medicationis. *Siliquis*] De quibus antea:

Unde priùs lætum ſiliqua quaſſante legumen.

& Plinius libri decimi octavi capite decimo ſeptimo, de fabis videtur hunc locum interpretari: ubi de medicatione hac ita loquitur. Vino antè ſemina perfuſa minùs ægrotare exiſtimant. Virgilius nitro & amurca perfundi jubet fabam: ſic etiam grandeſcere promittit. quidam veró ſi triduo ante ſatum, urina & aqua maceretur, præcipuè adoleſcere putant. Reliqua ſemina cupreſſi foliis tuſis ſi miſceantur, non eſſe vermiculis obnoxia, nec ſi interlunio ſerantur. Quin & armo talpæ contacta ſemina, uberiora eſſe. Felle autem bubulo attingi ſemina utilius putant. Hæc ille ac etiam complura de medicamentis frugum: de quibus etiam Columella libri ſecundi capite nono: & Palladius libri primi capite triceſimo quinto. *Lecta*] Columella libri ſecundi capite nono hanc cauſſam diligenter explicat: Nam, quod ait Celſus, ubi mediocris eſt fructus, optimam quamque ſpicam legere oportet, ſeparatimque ex ea ſemen reponere: cùm rurſus amplior meſſis provenerit, quicquid exteretur, capiſterio expurgandum erit: & ſemper quod propter magnitudinem ac pondus in imo ſubſederit, ad ſemen reſervandum. Nam id plurimum confert, quia quamvis celeriùs locis humidis, tamen etiam ſiccis frumenta degenerant, niſi cura talis adhibeatur. Hoc præceptum Columella citat iterum libri ſecundi capite decimo, & ad omnes rerum ſpecies attinere indicat, non ad ſola frugum ſemina. itaque illic ad aquarum progeniem refert. Plinius libri decimi octavi capite viceſimo quatto, addit, ſemen optimum eſſe anniculum, bimum deterius, trimum peſſimum, ultrà ſterile. item, optimum eſt granum quod rubet, & dentibus

bus fractum, eundem habet colorem: deterius, cui plus intus albi eſt. Varro libri primi capite quadrageſimo: Semina videre oportet ne vetuſtate ſint exſucta, aut ne ſint admiſta; aut ne propter ſimilitudinem ſint adulterina. Semen vetus tantum valet in quibuſdam rebus, ut naturam commutet. Nam ex ſemine braſſicæ vetere ſato naſci ajunt rapa: & contra ex raporum, braſſicam. Idem rurſus capite quinquageſimo ſecundo: Quæ ſeges grandiſſima atque optima fuerit, ſeorſum in aream ſecerni oportet. *Manu*] Hinc dictum quidam volunt legumen, ait Servius. at Virgilius hic non de ſolis leguminibus; ſed de omnibus ſeminibus loquitur: & hoc præceptum ad omnem agricolationis rationem attinet, ut recte Columella ait. *Sic omnia*) Cauſſa tantæ diligentiæ in præparatione ſeminum, ad naturæ imbecillitatem & infirmitatem tuendum & reſtaurandum. *Non aliter*) Declaratur ſimilitudine navigii, celeritas culturæ, ad naturam ſeminum medicandam. *Lembum*) Naviculam admodum brevem, ut Servius. *Remigiis*) Metonymia, pro remis. *Remiſit*) Deſiit remigare. *Atque*) Non eſt conjunctio connexiva, ſed interdum comparativa, ut, Aliter ego feci atque tu: Aliquando adverbium eſt, ut hic pro Statim: & apud Ennium,

—atque accedit muros Romana juventus:

Gellius libri decimi capite viceſimo nono.

Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis,
Hædorumque dies ſervandi & lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividet orbem:
Exercete viri tauros, ſerite hordea campis,
Uſque ſub extremum brumæ intractabilis imbrem:

Necnon & lini ſegetem & cereale papaver
Tempus humo tegere: & jamdudum incumbere aratris,
Dum ſicca tellure licet, dum nubila pendent.

Præterea] Acceſſurus ad ſextum frugum præceptum de ſatione ſeminum, præfatur Aſtrologiæ parem in agricolis & nautis neceſſitatem. ubi notabis de communibus agriculturæ cauſſis cœlum proponi: quod attingebatur et iam priús,

Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit.

Arcturi] De quo jam dictum eſt,

——ſub ipſum
Arcturum ſat erit tenui ſuſpendere ſulco.

Hædorumque] Hœdi, ſunt ſtellæ duæ parvæ in ſiniſtra Erichthonii, in cujus etiam ſiniſtro humero inſidet Capra Amalthæa. *Lucidus anguis*] Tres angues in cœlo ſunt, primus Septentrionum medius, ſecundus Ophiuchi, tertius in ſignis Meridionalibus, & Hydra dicitur. Servius hîc Hydram ſumit: ego primum anguem malo, lucidum ſtellis 30, qui & iccirco poſteà magnus anguis dicetur. Arcturus oritur coſmicé decimo quinto die Septembris. *Oſtriferi*] Oſtrea plurima ferentis. Notabis hic maſculinum genus contra artem. *Abydi*] Abydus in Aſiatico Helleſponti litore, civitas eſt oppoſita Seſto civitati, in ejuſdem Helleſponti litore Europæo: tam vicinæ autem, ut eminús gemina Abydus appareat.

——dirimiq; procul non æquore viſa
Cœperat á gemina diſcedere Seſtos Abydo: Valerius Flaccus primo Argonauticω̃n. *Libra*) Propoſita Aſtrologiæ neceſſitate, jam per aſtra deſcribit ſationis tempora. de quibus Cato ſic breviter, cum de ſementi facienda præcipit: Ubi quiſque locus frigidiſſimus aquoſiſſimusque erit, ibi primum ſerito: in calidiſſimis locis ſementem poſtremúm fieri oportet. Virgilius igitur

primo

primo æquinoctium Autumni deſcribit per ingreſſum Solis in Libram. Calendis verò Octobris Sol in libram tranſitum faciebat: Columella libri undecimi capite ſecundo. Libra; ſidus Zodiaci ſolum inanimum. Olim Chelæ & brachia Scorpionis dicebantur, ut antea patuit. Stellas habet in forma 8: extra 9: juxta, habet 9 nil ad formam facientes. hic verò per Metonymiam intelligamus tempus Solis Libram ingredientis. *Die*) Non eſt contractio, ſed uſurpatio vetuſtatis: & ſic Salluſtius: Dubitavit aciè pars. Et ideò ſic declinatur, quia genitivus ſingularis nominativo plurali major eſſe non debet. Hæc ex Servio. At Gellius libri noni capite quarto legit Dies, non Die: & docet exemplis veterum, in genitivo ſingulari non Die ſed Dies eſſe. ſic enim pleraque ætas veterum declinavit: hæc facies, hujus facies: fames, hujus fames: ſic dies, hujus dies. Reperies tamen apud Ciceronem in emendatis exemplaribus contra Gellium, pernicie in genitivo, ut hic Die. *Pares horas*) Intellige ex æqualibus, de quibus jam dictum eſt. In æquinoctiis enim quia dies artificiales noctibus artificialibus ſunt æquales: ideo & horæ licet aliis diebus inæquales, tamen ſunt æquales inter ſe diurnæ nocturnis. *Et medium*) Et tota dies naturalis, id eſt completa Solis una converſio, facit artificialem diem nocti artificiali æqualem: quod ſub Æquatore habitantibus perpetuum eſt. *Hordea*) Hordeum inter æquinoctium Autumni & Brumam ſeri jubet, ut interpretatur Plinius libri decimi octavi capite decimo quarto. *Brumæ*)

Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis.

ait Ovidius primo Faſtorum. Solſtitium hybernum vulgo dicitur: propriè tamen Ciceroni, Virgilio, Plinio, Bruma dicitur, & accidit nunc 3 & 2 Idus Septembris: id eſt ejuſdem 12 & 11 die: Virgilii itaque tempore, 2 & 1. Democritus talem futuram hyemem arbitratur, qualis fuerit brumæ dies, & circa eum terni: itèm ſimilem Solſtitio æſtatem, ait Plinius libri decimi octavi capite

viceſimo ſexto. *Lini*) Plinius tamen linum & papaver vere ſerendum monet. libri decimi octavi capite viceſimo quarto. *Dum ſicca*) Periphraſis eſt temporis inter autumnum & brumam.

Vere fabis ſatio. tunc te quoque, Medica, putres
Accipiunt ſulci, & milio venit annua cura,
Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, & adverſo cedens Canis occidit aſtro.
At ſi triticeam in meſſem robuſtaque farra
Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis;
Anté tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſiaque ardentis decedat ſtella Coronæ,
Debita quám ſulcis committas ſemina; quamque
Invitæ properes anni ſpem credere terræ.
Multi ante occaſum Majæ cœpere: ſed illos
Expectata ſeges vanis eluſit avenis.
Si veró viciamq; ſeres, vilemq; faſelum,
Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis:
Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna Bootes:
Incipe. & ad medias ſementem extende pruinas.

Vere) Proponitur verna ſatio, fabæ, medicæ, milii. *Faba*) De qua Plinius libri decimi octavi capite duodecimo: Inter legumina maximus honor fabæ, ejuſque multiplex uſus omnium quadrupedum generi, maximé homini. ſeritur ante Vergiliarum occaſum, leguminum prima: ut antecedat hyemem. Virgilius eam per ver ſeri jubet, circumpadanæ Italiæ ritu: ſed major pars mavult fabalia maturæ ſationis, quám trimeſtrem fructum ejus. Nam ſiliquæ cauleſque gratiſſimi ſunt pabulo pecori. Naſcitur in pleriſque locis ſua ſponte, ſicut Septentrionalis Oceani inſulis, quas ob id Fabarias noſtri appellant. Hinc Plinius non omnino probat Virgilium,

&

& maturiorem videtur ſationem requirere. *Medica*) Apoſtrophe eſt poetica ad Medicam herbam, á Medis, quibus authoribus Dario Græciam vaſtante, in Europam primum venit. Magnum trifolium vulgo, & fœnum Burgundiæ dicitur. herba equis quam optima: cujus tanta dos eſt, ut uno ſatu amplius quam tricenis annis duret, ait Plinius libri decimi octavi capite decimo ſexto. *Milio*) Milio ſationem definit Columella libri undecimi capite ſecundo, circa Idus Aprilis. E milio panis multifarié conficitur, ait Plinius libri decimi octavi capite ſeptimo: ubi ait, ſuo tempore ex India in Italiam milium allatum, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. adoleſcit, inquit, ad pedes altitudine ſeptem, prægrandibus culmis: (Lobas vocant) omnium frugum fertiliſſimum: ex uno grano terni ſextarii gignuntur. Ait idem libri decimi octavi capite decimo, Æthiopibus non aliam frugem quám milii & hordei notam eſſe: & decimi quarti libri capite ſexto, ait é milio vinum fieri. *Annua*) Additur ad differentiam Medicæ, cui non annua cura, ſed tricenis duntaxat annis. *Candidus*) Deſcribitur accuratius Veris ſatio leguminibus propoſita, nempe cum Sol Taurum ingreditur. at decimoquinto Calendas Majas Sol in Taurum tranſitum fecit tempore Columellæ, ut ait ipſe libri undecimi capite ſecundo. Taurus autem dicitur candidus auratis cornibus, propter Hyadas ſeptem, quas habet in fronte, ut jam diximus. at Pleiadas fortaſſis hic ſatius videatur intelligi, id eſt Vergilias: quæ decimo Calendas Majas tum cum Sole oriebantur, ut ibidem Columella. Nec ver primum Virgilius ſignificare hic voluit, ſed potius jam medium aut ſummum. *Canis*) Pridie Calendas Majas Canis ſe veſpere celabat Columellæ tempore, ut ait ipſe ibidem. Itaque non unum diem ſignificare Virgilius voluit, ſed tempus illud á decimo quinto Calend. uſque ad initium Maji. *Adverſo* autem *aſtro*, propter oppoſitos affectus, nempe quód oriente altero, alterum occidit. Neque placent hic Servii com-

Digitized by Google

menta. Ab æquinoctio verno initium æſtatis die quadrageſimo octavo, & Vergiliarum exortus matutinus ſtatuitur, ait Plinius libri decimi octavi capite viceſimo quinto. Calendis Aprilis idem exortus numeratur, & totum ſidus Tauri oritur à dorſo, ubi ſunt Pleiades. Dies autem ortus Vergiliarum fuit tempore Plinii ſexto Idus Maji, ait libri decimi octavi capite viceſimo ſexto. *At ſi*) Satio frumenti deſcribitur matutino vel (quod idem eſt) coſmico occaſu Vergiliarum. quinto autem Calendas Novembres tum Vergiliæ occidebant, ut Columella libri undecimi capite ſecundo. Quod & Plinius libri decimi octavi capite viceſimo quinto notat, cum ait: Nos incipiemus à ſementibus frumenti, hoc eſt Vergiliarum occaſu matutino. quo capite de hoc occaſu varias opiniones recenſet. Occaſum, ait, Vergiliarum matutinum Heſiodus (nam hujus quoque nomine extat Aſtrologia) tradidit fieri cum æquinoctium Autumni conficeretur: Thales, viceſimo octavo die ab æquinoctio: Anaximander viceſimo nono: Eudæmon quadrageſimo octavo. Ipſe vero Plinius, Cæſaris (id eſt Soſigenis) aſtrologiam ſequitur, & ab æquinoctio Autumni ad Brumam quadrageſimo tertio die Vergiliarum matutinum occaſum ſtatuit, & ab eo hyemem inchoat, & folia arboribus decidere exiſtimat, eoque occaſu nubilo pluvioſam hyemem denunciat, ſereno aſperam. Et ejuſdem libri capite viceſimo nono de hoc ſidere rurſus ait: Vergiliæ privatim attinent ad fructus, ut quarum exortu æſtas incipiat, occaſu hyems, ſemeſtri ſpatio intra ſe meſſes vindemiasque & omnium maturitatem complexæ. Hæc ille. Eodem tamen die Pleiades oriuntur etiam acronycho ſeu veſpertino ortu. Ubi Plinius ſationis hujus tempus non omnino probat. Nam ſementibus (ait cap. 25.) tempora plerique præſumunt, & ab 11 die Autumnalis æquinoctii fruges ſerunt adveniente Coronæ exortu, continuis diebus certo propé imbrium promiſſo. Palladius initio libri duodecimi: Novembri menſe, ait, triticum

ſeremus,

ſeremus & far, ſatione legitima, ac ſementi ſolenni. *Triticeam*) Frumenti genera ſunt far, quod adoreum veteres appellavere, ſiligo, triticum, ait Plinius libri decimi octavi capite octavo. Hic duas ſpecies Virgilius per Synecdochen pro genere univerſo poſuit. Tritico autem nil eſt fertilius. hoc enim natura ei tribuit, quoniam eo maximé alat hominem, cum é modio, ſi ſit aptum ſolum, (quale in Byzantio Africæ campo) centeni quinquageni modii reddantur. Miſit ex eo loco Divo Auguſto procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) quadringenta, paucis minùs, germina: extantque ea de re epiſtolæ. Miſit & Neroni ſimiliter trecentas quadraginta ſtipulas ex uno grano. Plinius libri decimi octavi capite decimo.

Robuſta] Quia ex omni genere duriſſima & contra hyemes firmiſſima, ait Plinius libri decimi octavi capite octavo. & ibidem capite triceſimo ait annis quinquaginta in ſcrobibus durare & conſervari. *Ariſtis*] Metonymia pro frumentis. *Eoæ*] Ad coſmicum occaſum refertur. Vergiliæ enim veſpere tum celabantur, octavo Idus Aprilis, ut Columella libri undecimi capite ſecundo. *Gnoſiaque*) Gnoſus, nobile eſt in Creta oppidum: & nunc Gnoſia corona dicitur Ariadnes, quæ filia fuit Minois Cretenſium regis, amata á Baccho: & icirco corona ejus in cœlo locata eſt parte Septentrionali, inſignita ſtellis octo: & Gnoſia corona dicitur ad differentiam alterius coronæ cœleſtis, quæ viſitur in plaga Meridionali. *Decedat*) Occidat, occaſu non coſmico, ſed veſpertino: & hîc ſidera duo conjuncta ſunt ad ejuſdem temporis ſignificationem, ut antea Taurus & Canis. *Stella*) Synecdoche eſt partis pro toto ſidere. *Sulcis*) Sulcatis agris: Metonymia eſt. *Invitæ*) Quæ non ferat ſua ſponte, ſed per culturam coacta, ut antea fuit,

atque imperat arvis.

Multi) Illuſtratio ex diſsimilis temporis ſatione, ſed inutili. *Majæ*) Maja, una eſt Pleiadum vel Atlantidum

Digitized by Google

harum enim nomina ſunt , Electra , Alcyone, Celæno, Merope,Sterope, Taygeta, Maja. *Vanis*) ſterilibus, ut antea dixit. *Si vero*) Deſcribitur viciæ , faſeli, lentis ſatio,ex occaſu Bootis. Hanc totam chronologiam paululum corrigit Plinius libri decimi octavi capite viceſimo quarto: Virgilius triticum & fār á Vergiliarum occaſu ſeri jubet: viciam & faſeolos & lentem , Boote occidente. ſunt & qui ante Vergiliarum occaſum ſeri jubeant,duntaxat in arida terra calidiſque provinciis. *Viciamque*) De vicia, ut ſaginaret arva , jam dictum. Sationis ejus tria tempora ſunt. circa occaſum Arcturi, ut Decembri menſe paſcat, tunc optimé ſeritur in ſemen : æqué namque fert depaſta. ſecunda ſatio menſe Januario eſt : noviſſima Martio : Plinius libri decimi octavi capite decimo quinto. Unde intelliges præceptum Virgilii catholicum non eſſe. *Faſelum*) Faſelus & faſeolus, ſeu phaſelus & phaſeolus, leguminis genus, foliis venoſis,ut Plinius libri decimi octavi capite ſeptimo : quos ſerere, qua velis terra, licet ab Idibus Octobris in Calendas Novemb. ait Plinius libri decimi octavi capite duodecimo : ubi occaſum Bootæ tibi propé definitum vides. Faſelus veró Italis quám Gallis magis notus: & vilis nunc appellatur, propter copiam : quia omne quod abundat, vile eſt. *Peluſiaca*) Peluſium,eſt unum é ſeptem oſtiis Nili, & ejuſdem nominis oppidum in Ægypto, ubi lens optima:Martialis in Xeniis,

Accipe Niliacam, Peluſia munera, lentem.

Plinius ait ſe apud authores inveniſſe, æquanimitatem fieri veſcentibus ea : libri decimi octavi capite duodecimo. *Bootes*) Βοώτης, Bubulcus , cœleſte ſignum Septentrionale in cauda Urſæ majoris , 22 ſtellis formatis, & una informi, conſtans. præcipua autem eſt Arcturus, qui aliter Arctophylax dicitur, quia cuſtodiat τὴν ἄρκτον , id eſt Urſam. Quarto Non. Octobr. Auriga occidit mané, ait Columella libri 11 cap. 2. *Incipe*) Epilogus eſt quidam univerſæ ſationis, qua & vernum & autumnale tempus complectitur, uſque ad hyemis pruinas. Atque

adhuc

adhuc ad ſationis tempora, aſtrorum ortus & occaſus poeta propoſuit: ſed nimia *ejus* & cæca ſubtilitas Plinio videtur libri decimi octavi capite viceſimo quarto, cum res inter ruſticos geratur, literarumque expertes, non modó ſiderum. Et confitendum eſt, ait, cœlo maximé conſtare ea, quippe Virgilio *jubente* prædiſci ventos ante omnia ac ſiderum mores, neque aliter quám navigantibus ſervari. Spes ardua & immenſa, miſceri poſſe cœleſtium divinitatem imperitiæ. Hæc Plinii verba ſunt, quibus feſtivé Maronem cavillatur. deinde, quo lætiores agricolarum mentes ab hac Maronis aſtrologia diſcedant, toto capite viceſimo quinto & viceſimo ſexto proponit Aſtrologiæ difficultatem, ut anni ſit propé inexplicabilis ratio, quód tempeſtatum ſignificatio nunc præcurrat, nunc poſtveniat, effectis cœli ad terram modó citiús modó tardiús deciduis: quód conſtet omnis aſtrologia ſtatis & fixis ſideribus, quorum effectus aliis ſtellis turbetur: unde non ſoli homines, ſed animalia reliqua circa id ſagaciora, ut quo eorum vita conſtet, falluntur, ut papiliones & aves advenæ, cúm ſpem Veris afferant, interdum ſæviſſima hyeme affictantur. Tum aſtrologorum de iiſdem aſtris diſſenſiones proponit: ut de Vergiliarum occaſu, quas *jam* diximus, de ſectis, Chaldæa, Ægyptia, Græca, Latina, quam Cæſar Dictator addidit authore Soſigene: tandemque proponit varias in terris ſignificationes, cœleſtium ſignificationibus reſpondentes, ſiderumque ipſorum terreſtria ſigna indubitata, atque, ut ipſe ait, oracula, quorum ex eventu ſidera ſint agricolis intelligenda: non ad dies utique præfinitos expectanda tempeſtatum vadimonia. Et viceſimo ſeptimo capite, naturam velut exclamantem facit: Cur cœlum intueris agricola? cur ſidera quæris ruſtice? ecce tibi inter herbas tuas ſpargo peculiares ſtellas, ac, ne poſſis præterire, miraculo ſollicito. Videſne ut fulgor igni ſimilis, alarum compreſſu tegatur, ſecumque lucem habeat & noctem? dedi ecce tibi herbas horarum indices, heliotropium ac lupinum, quæ cum

Sole circumaguntur. cur etiam nunc altius ſpectas, cælumque ſcrutaris? habes ante pedes ecce Vergilias: in certis eæ diebus proveniunt, durantque fœdere ſideris hujuſce, partumque eas illius eſſe certum eſt. hirundinis viſus, idem tempus indicat: apicula procedens, fabam florere denuntiat, fabaque floreſcens eam evocat, cum germinare morum videris, injuriam poſtea frigoris timere nolito. lucentes cicindelæ ſationem tibi legumi-num oſtendunt.

Jam veró ſemper viridis ſemperque gravata
Lentiſcus triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu:
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Idem coronamentorum narciſsi, qui ter etiam florent, oſtendunt: ut primus flos primam ſationem, ſecundus mediam, tertius ultimam doceat. Jam veró hyemis adventus deciduis arborum foliis clarius quám Vergiliarum occaſu monſtratur, ut hoc ſignum habeas inter tuos vepres. pulegium florens Brumæ diem indicat: quæ qualis eſt, & terni circa eam dies, talem hyemem Democritus arbitratur. Secandi tempus, cum ſpica defloreſcere cœperit atque roborari: ſecandumque antequam marceſcat. ſolſtitium indicatur converſione foliorum tiliæ, populi albæ, ulmi, ſalicis. avis Vireo prodit ipſo ſolſtitii die: ut Parra item avis, oriente Sirio. ipſo die non apparet, donec occidat. tranſiſſe ſolſtitium caveto putes, niſi cúm incubantem videris palumbum. Ortum Procyonis ſeu caniculæ ſentiunt maria & terræ & multæ feræ: accendit ſolem, & magnam æſtus obtinet cauſſam. formica pleniluniorum & interluniorum rationem demonſtrat, quæ interlunio quieſcit, plenilunio etiam noctibus operatur. Hæc feré Plinius collegit, ut agricolas á cœli contemplatione ad agros ſuos revocaret, vereque (ut ait libri decimi noni prologo) oſtenderet non minus cõferre rura deprehendendo cœlo, quám ſideralem ſcientiam. At his Plinianis exclamationibus reſponderi poteſt, non illá ſcrupuloſam Aſtrologiæ ſubtilitatem agricolis á

Virgi-

Virgilio proponi, ſed ephemeridas á doctis digeſtas, & annua illa Aſtrologiæ breviaria, quæ vulgus Arabico verbo Almanach appellat: & quamvis multæ ſignificationes terreſtres cœleſtibus reſpondeant: attamen non omnes, nec omni vel tempore vel loco, reſpondere, & cauſſarum noticiam, & rationem, elementorum obſervatione præſtare. Columella quoque libri undecimi capite ſecundo, excuſat quidem ſe, quód contra cœli obſervationem aliquando diſſeruerit adverſus Chaldæos improbiſſimé pollicentes certis quaſi terminis, ita diebus ſtatis, aëris mutationes reſpondere: quód in ruris diſciplina non deſideretur ejuſmodi ſcrupuloſitas, ſed quod dicitur pingui Minerva, quantumvis utile contingat villico tempeſtatis futuræ præſagium.

Idcirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.
Quinq; tenent cœlum Zonæ: quarum una coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextrâ lævaq; trahuntur
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.
Has inter mediamq;, duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ divûm: & via ſecta per ambas,
Obliquus quá ſe ſignorum verteret ordo.
Mundus, ut ad Scythiam Riphæasq; arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.
Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur Anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi:
Illic (ut perhibent) aut intempeſta ſilet nox
Semper, & obtenta denſantur nocte tenebræ:

Aut redit à nobis aurora diemq; reducit:
Noſq; ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina Veſper.
Hinc tempeſtates dubio prædiſcere cœlo
Poſſumus: hinc meſſiſq; diem, tempuſq; ſerendi:
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere claſſes,
Aut tempeſtivam ſylvis evertere pinum:
Nec fruſtrà ſignorum obitus ſpeculamur & ortus,
Temporibuſq; parem diverſis quattuor annum.

Idcirco] Revertitur ad propoſitam Aſtrologiæ neceſſitatem, & tam variis frugum temporibus variam é variis cœli partibus cauſſam repetit. *Orbem*] Annum Servius intelligit dimenſum vere, æſtate, autumno, hyeme: potes etiam, ac melius, intelligere orbem terrarum, ad cujus plagas etiam ſequens accommodatur cœli diviſio: ut ſit ſenſus: Mundus eſt certis partibus diviſus, & obliqui circuli (per quem Sol meat) ſignis temperatus. *Duodena*] quæ ſunt, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. *Quinque*) Partitio univerſæ terræ ex ſuis adjunctis qualitatibus, in partes quinque cœli totidẽ partibus reſpondentes: de quibus Tibullus elegia ſecunda libri quarti: & Ovidius apertè primo libro Metamorphoſeos:

Utque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra
Parte ferunt Zonæ: quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.

Sed ante hos omnes, Ariſtoteles quinto capite ſecundi meteororum. *Tenent cœlum*) Cœlo reſpondent, cœli ambitum complent. *Zonæ*) Cinguli, plagæ & regiones. *Quarum*) Media plaga inter tropicos conſtat gradibus 47. Sic Ovidius:

Quarum

Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu.

Atque hic error veterum fuit á Plinio primúm & Ptolemæo refutatus; qui gentes in ea Zona habitantes deſcripſerunt. quin hodie temperies ibi ſumma pernoſcitur, æquatis dierum caloribus cum frigoribus noctium. ſub Æquatore ſiquidem æquinoctia perpetua ſunt: circa tropicos eſt ardentior regio. *Quam circum*) Deſcribit arcticam & antarcticam, id eſt ſeptentrionalem & auſtralem Zonam: quæ ſingulæ conſtant 23 gradibus & minutis 30: & ambæ conjunctæ, ſunt æquales Zonæ mediæ, & 47 gradus efficiunt. *Cærulea*] Septentrionalis tamen Zona licet incommoda, tamen habitatur á multis populis, ut conſtat: auſtralis autem, mari feré occupatur, & minus eſt coſmographis nota. *Has inter*) Deſcribit duas temperatas Zonas inter Tropicos & minimas Zonas. *Mortalibus*) Quarum alteram nos incolimus: alteram *οἱ ἀντίποδες* vel *ἀντίχθονες*. *Et via*) Declaravit adhuc quomodo certis partibus mundus eſſet diviſus: nunc igitur reſpicit ad illud,

Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.

Per) Inter. ſic Servius, ut curioſa Macrobii interpretatio videatur ad hunc locum tam multis verbis defendendum, qui duabus ſyllabis ſolvitur: & ſic mox dicetur, Anguis per duas Urſas, id eſt Inter. *Obliquus ordo*) λοξὸς κύκλος Ariſtoteli dicitur, & ei cauſſa rerum effectrix tribuitur, ut in argumento diximus. *Mundum*) Comparat accuratius extremas Zonas ex diſſimilibus adjunctis & effectis Zonarum cœleſtium illis reſpondentium. *Scythiam*) Synecdoche partis pro toto: Scythia, pars ad Zonam arcticam vergens. *Riphæas*) id eſt Scythicos montes. Riphæus autem, filius Gomer, Riphæos Scythas inſtituit. *Arces*) Metaphora pro ſummitates. *Conſurgit*) Virgilius ſuperam cœli partem in Arctica Zona ſtatuit, in antarctica autem inferam. Ariſtoteles autem ſecundi libri de cœlo ſecundo capite aliter, cúm dextram mundi partem tribuat orienti, ſiniſtram

occidenti, ſuperam in Auſtrali plaga ponit, inferam in Arctica: & auguralis Romanorum doctrina anticam mundi partem in meridie, poſticam in ſeptentrione ſtatuebat: quamvis adverſus Ariſtotelem, dextram in occidente, ſiniſtram in oriente poneret. Ac nimirum fortaſſis ut inferos quidam hîc eſſe putent, efficiunt quæ in illis ultimis mundi plagis memorantur. Glacies miſerabilem vocis humanæ gemitum edens, fidem facit, ibi hominum animas torqueri, ut in Iſlandia: & dæmones humana figura ſerviunt in Grunlandia, & ſylveſtres homines, qui nocte nautas infeſtant, interdiu non comparent. *Libyæ*] Synecdoche item partis pro toto, quia Libya, pars eſt ſpectans ad Auſtralem zonam. *Auſtros*] Auſter, meridionalis ventus, qui græcis eſt νότος. *Vertex.*] πόλος græcis, cardo mundi, circa quem mundus volvitur: qualis putatur ſtella in cauda Cynoſuræ: at polus mundi ab eadem receſſit quatuor gradibus. *Nobis*] habitantibus in zona temperata ſeptentrionali. *Styx*] palus inferorum: & hic ſynecdoche partis quæ fingitur in illa antarctica zona eſſe. *Maneſque*] Manum, bonum: hinc manes, dii boni: ſed per antiphraſim, dii inferorum, ait Servius. *Maximus*] Deſcribit apertiùs Arcticum polum tribus ſideribus vicinis, Angue & utraque Urſa. *Maximus*] Conſtat enim ſtellis 30, cum Ophiuchus conſtet tantùm 29, & Hydra 25: & lucidus anguis priùs dictus eſt. *Arctos*] ἄρκτος latinè urſa, duæ ſunt: Cynoſura, quæ etiam Phœnice dicitur, conſtans 7 ſtellis: & Helice, quæ Calliſto, conſtans 35 ſtellis. *Arctos, Arctos*] Anadiploſis, ut ecloga decima:

—vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo cujus amor—

Æquore tingi] Id eſt, quæ nunquam Italis occidunt. Opinionem autem illam Lactantius capite viceſimo quarto ſecundi Inſtitutionum, & D. Auguſtinus capite nono libri decimi ſexti de civitate Dei, irridentes antipodas ſequuntur. *Illic*] Incertam rem de zona antarctica proponit, aut perpetua nocte occultari, aut habere viciſſitudi-

nem

hem diei & noctis. Secunda pars diſtinctionis vera eſt: quin viginti ſidera illîc inventa ſunt Veneri & Jovi claritate ſimilia: tres imprimis Canopi, quó putatur á nonnullis Auſonius in illis monoſyllabis alluſiſſe:

Longa dies operoſa viro, ſed temperies nox,
Qua caret Æthiopum plaga pervigil, irrequies gens:
Semper ubi aeterna vertigine clara nitet lux.

Equis] De quibus Ovidius ſecunda Metamorph.,

Interea volucres Pyrois, Eous & Æthon.
Solis equi, quártusq; Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusq; repagula pulſant.

Veſper] Venus mané Lucifer, & hyberno tempore præit mané Solem, æſtivo veſperi ſequitur, & Veſper dicitur:

Ante diem clauſo componet Veſpero olympo,

ecloga ſexta:

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ,

ecloga decima. *Hinc*] Concluditur aſtrologiæ propoſita neceſſitas, & per partes illuſtratur, tanquam diſceretur: Quare per aſtrologiam licet tempeſtates meſſis, ſementis, navigationis, cæſuræ arborum, prædiſcere. *Tempeſtates*] De quarum ſignis mox permulta. *Meſſis*] Lex aptiſſima, antequam granum indureſcat, & cum jam traxerit colorem: oraculum veró, biduo celeriús meſſem facere potius quam triduo uberiús: Plinius libri decimi octavi capite triceſimo. *Serendi*] Autumno & Vere, ut jam dictum eſt. *Infidum remis impellere marmor*] Periphraſis navigandi. Hoc tempus Heſiodus á ſolſtitio definit quinquaginta diebus:

Ἤματα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο,
Ἐς τέλος ἐλθόντος θέρεος, καματώδεος ὥρης,
Ὡραῖος πέλεται θνητοῖς πλόος ——

Dies quinquaginta poſt verſiones ſolis,
Ad finem veniente æſtate laborioſo tempore,
Tempeſtiva eſt mortalibus navigatio.

Idem navigationem prohibet poſt occaſum Pleiadum:

ἄλλος δ' εἰαρινὸς πέλεται πλόος ἀνθρώποισιν.

Digitized by Google

Alia autem verna eſt navigatio hominibus, ait ibidem. *Marmor*] Metaphora eſt pro mari, quod mari mori ſimile eſt, vel æquore ſuo, vel candore. *Armatas deducere claſſes*] Id eſt navali prælio decertare. *Pinum*] Synecdoche pro quavis arbore & materia, ut georgici authores loquuntur, cujus cæſura, tempeſtiva debeat eſſe, ne ligna termites faciant, ſic enim ligni vermes appellantur, ait Servius: pinum tamen præcipué notavit; quia hinc naves efficiuntur:

—nec nautica pinus

Mutabit merces—fuit ecloga quarta.

Materiam quam effodies aut præcides, abs terra diebus ſeptem proximis, quibus Luna plena fuerit, optimé eximetur. Omnino caveto ne quam materiam doles neu cædas; neu tangas, ſi potes, niſi ſiccam, neu gelidam, neu rorulentam. Hæc Cato. Palladius libri duodecimi capite decimo quinto: Nunc materies ad fabricam cædenda eſt, cum Luna decreſcit. Idem libri decimi tertii capite ſecundo de menſe Decembri: Et materiam bene hoc menſe cædemus. *Temporibusque*] Annum parem & ſemper ſui ſimilem, quamvis ex quatuor diverſis partibus, vere, æſtate, autumno, hyeme, conſtantem.

Frigidus agricolam ſiquando continet imber;
Multa forent quæ mox cœlo properanda ſereno
Maturare datur. durum procudit arator
Vomeris obtuſi dentem: cavat arbore lintres:
Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornes:
Atq; Amerina parant lenta retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiſcina virga:
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo:
Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt. rivos deducere nulla

Relligio

Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumq́; gregem fluvio merſare ſalubri.
Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli,
Vilibus aut onerat pomis: lapidemq́; revertens
Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.

Frigidus] Deſcribuntur opera pluvioſorum dierum, quibus ab operibus propoſitis ceſſare cogitur agricola: ubi & præceptum de ruſticis inſtrumentis dilatarut, & quædam alia deſcribuntur, de quibus Cato: Per hyemem lucubratione hæc facito: Ridicas & palos, quos pridie in tecto poſueras, ſiccos dolato: faculas facito, ſtercus egerito. Item alibi, ubi tempeſtates malæ erunt, præcipit idem & dolia vincienda. medicanda. picanda. *Properanda maturare*] Duo verba hæc oppoſuit. Maturi enim fructus dicuntur nec acerbi & crudi, nec decidui & decocti. Sic quod neque ſerius neque tardiús agitur, maturari dicitur: quod Auguſtus duobus verbis diſertè expreſſit, *σπεῦδε βραδέως*, feſtina lentè. Vide Gellium libri decimi capite undecimo. *Lintres*] Fluviales naviculas. *Signum impreſſit*] Notam inurit. præteritum enim pro præſenti. *Numeros*] Teſſeras, quibus frumentorum numerus deſignatur. Nam numeros pro literis poſuit, quibus numeri continentur. *Vallos*] Foſſas & muros Servius interpretatur: ego palos & ſudes malo. nec enim foſſæ ſatis propriè dicerentur acui: & poſtea ſecundo Georgico ſcribitur:

Quadrifidasque ſudes & acuto robore vallos.

Bicornes] Quod ſecundo Georgico repetitur:

Fraxineaſque aptare ſudes, furcaſque bicornes.

Amerina] Ameria, oppidum Umbriæ in Italia, unde Roſcius á Cicerone defenſus. *Lenta*] Naturale eſt vitis epithetum.

Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis.

ſcit ecloga tertia; &c.

—lentæ texunt umbracula vites,

fuit ecloga nona. *Rubea*] Rubi, oppidum Campaniæ, abundans virgis & virgultis ac viminibus. Hinc virga Rubea dicitur, ut Amerina retinacula. Sic Servius interpretatur. Poteſt tamen de rubo intelligi, qui & flexilis eſt, & inter vitilia connumeratur. *Fiſcina*] De fiſco & fiſcella in eclogis dictum.

Viminibus mollique paras intexere junco?

fuit ſecunda ecloga.

Dum ſedet, & gracili fiſcellam texit hibiſco,

fuit ultima. Fiſcina idem. *Nunc torrete*] Repetitur idem ferè verſus primo Æneidos:

—Frugeſque receptas
Et torrere parant flammis & frangere ſaxo.

Ubi eſt hiſterologia panis priús faciendi, tum molendi frumenti. At hic aliter eſt. Jubet enim Virgilius fruges priús torreri, id eſt ſiccari, tum molî. *Frangite ſaxo*] Periphraſis pro Molite. *Quippe*] Deſcribit opera feſtis diebus permiſſa: ubi collatio quædam eſt majorum: Feſtis diebus quædam opera permittuntur, quanto magis igitur pluviis profeſtis? Hinc illa veterum ſunt oracula, malum patremfamilias, quiſquis interdiu faceret quod noctu poſſet, niſi tempeſtate cœli: pejorem, qui profeſtis diebus ageret quod feriatis deberet: peſſimum qui ſereno die ſub tecto potiús operaretur quám in agro. *Fas & jura*] Divina & humana jura. *Deducere*] Id eſt ſiccare: & pro contrario effectu contrarium antea fuit:

Deinde ſatis fluvium inducit rivoſq; ſequentes.

Huc Flacci in jure Pontificio peritiſſimi jocus ſpectat: Ferias magis viduis idoneas eſſe, quám virginibus ad nubendum. Viduarum enim nomine, veteres foſſas ſignificabant, quibus ſiccandis feriæ convenirent. *Sepem*] Virgultis & ſpinis: aut agreſti, é palis & longuriis: aut foſſa & aggere, aut tabulis é lapide & lateribus & terra conſtantem. Hæc ſiquidem ſepis genera ſunt, ut Varro docet de re Ruſtica libri primi capite decimo quarto.

quarto. *Inſidias avibus moliri*] Periphraſis pro aucupari. *Balantum*] Balare, proprium eſt ovium, ut canum latrare. Periphraſis igitur eſt ex genere & proprio adjuncto. Hoc tamen opus ad tertii libri potiús argumentum attinet. *Salubri*] Vetabant enim Pontifices feſtis diebus oves lavari, niſi ſcabiei vitandæ gratia, ſicut etiam ſegetem ſepiri: quod tamen Virgilius permiſſum ait. Vide Columellam libri ſecundi capite viceſimo ſecundo. *Sæpe*] Quædam ex agro in urbem comportantur feſtis diebus, ut oleum & poma: quædam reportantur, ut mola & pix ad picanda vaſa & uſus alios. *Lapidemque*] Periphraſis molæ, ut frumentariæ, fabariæ, olearıæ: quæ veteribus fuit aſinaria, quia verſaretur ab aſinis: aut truſatilis, quæ ab hominibus in piſtrinis. poſtea inventa eſt molendinaria, quæ ventis aut aquis ageretur. *Picem*] Cujus & natura & genera & uſus á Plinio declarantur. Cato de re Ruſtica capite tertio, dicere videtur hac de re: Per ferias potuiſſe foſſas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, ſpinas runcari, expinſi far, munditias fieri.

Ipſa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenideſque ſatæ: tum partu terra nefando
Cœumque, Iapetumque creat, ſævumque Typhoëa,
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atque Oſſæ frondoſum involvere Olympum:
Ter pater extructos disjecit fulmine montes.
Septima poſt decimam felix & ponere vites,
Et prenſos domitare boves, & licia telæ
Addere. Nona fuga melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida meliús ſe nocte dedere,

Aut quum Sole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves ſtipulæ meliùs, nocte arida prata
Tondentur: noctis lentus non deficit humor.
Et quidam ſeros hyberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroq; faces inſpicat acuto.
Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto conjux percurrit pectine telas:
Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.
At rubicunda Ceres medio ſuccidit̃ur æſtu:
Et medio toſtas æſtu terit area fruges.
Nudus ara, ſere nudus: hyems ignava colono.
Frigoribus parto agricolæ plerumq; fruuntur,
Mutuaq; inter ſe læti convivia curant.
Invitat genialis hyems, curaſq; reſolvit:
Ceu preſſa quum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.
Sed tamen & quernas glandes tunc ſtringere tẽpus,
Et lauri baccas, oleamq;, cruentaq; myrta:
Tunc gruibus pedicas & retia ponere cervis,
Auritoſq; ſequi lepores: tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ,
Quum nix alta jacet, glaciẽ quum flumina trudũt.

Ipſa dies] Deſcribit diſcrimina quatuor Lunarium dierum, quinti, ſeptimi, noni, decimi: quæ ſuperſtitioſa videtur, & certè Plinio parum probata libri decimi octavi capite tricesimo ſecundo. Virgilius, ait, etiam in numeros Lunæ quædam digerenda putavit, Democriti ſecutus oſtentationem. Hæc ille: ubi tradit tamen hanc generalem Lunæ legem, Omnia quæ cæduntur, carpuntur, tunduntur, innocentiùs decreſcente
Luna

Luna quàm creſcente fiunt. *Felices operum*] Quibus opera feliciter aguntur. Ex Heſiodo ſumptum, ubi quatuor verſibus idem pleniùs:

> *Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.*
> *Τάων εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὃς τάδε πάντα*
> *Εἰδὼς ἐργάζηται ἀναίτιος ἀθανάτοισιν,*
> *Ὄρνιθας κρίνων, καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων.*
> *Interdum noverca eſt dies, interdum mater*
> *Harum beatuſque & felix, qui hæc omnia*
> *Sciens operatus fuerit inculpatus Diis,*
> *Auguria obſervans & prævaricationes evitans.*

Quintam fuge] Quinta Luna ex ſuis effectis infauſta deſcribitur, quia monſtra procreat. Locus per partes illuſtratur. Hic autem numerus Palladi Deæ etiam ſterilis facer eſt.

> *Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί.*
> *Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐρινύας ἀμφιπολεύειν*
> *Ὅρκον γεινύμενον, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.*
> *Quintas verò evitato, quia difficiles ſunt & graves.*
> *In quinta enim ajunt Furias obambulare*
> *Perjurium vindicantes, quod contentio peperit malum*
> *perjuris.*

Orcus] Orcus, (Pierio aſpiratur) Deus inferni: Pallidus dicitur, ut mors pallida: & ex effectu Metonymia eſt. *Eumenideſque*] Furiæ infernales, filiæ Plutonis & Proſerpinæ: vel Acherontis & Noctis, ut aliis placet. Εὐμενὴς autem, benevolus dicitur, ergo κατὰ τὴν ἀντίφρασιν Eumenides dicuntur. *Cœum*] Gigantum nomina ſunt, quorum ſororem Famam terra Diis irata progenuit, ut eſt quartò Æneidos:

> *Illam terra parens, ira irritata Deorum,*
> *Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoq; ſororem*
> *Progenuit——*

Fratres] Othum & Ephialtum Neptuni filios, qui

novem digitis creſcebant ſingulis menſibus: quâ freti altitudine, cœlum voluerunt evertere: ſed confixi ſunt ſagittis Apollinis & Dianæ. *Pelio*] Monti Theſſaliæ. *Oſſam*] Montem Thraciæ. Hic verſus triplicem licentiam habet: primùm in *Conati* vocalis i non abſumitur, deinde in *Pelio*, o non abſumitur, & cùm longa ſit, tamen corripitur. *Oſſa)* Climax. *Olympum)* Montem Macedoniæ: de quo modò dictum eſt. De iis montibus Ovidius primo Faſtorum:

Sic petitur cœlum, non ut ferat Oſſam Olympus,
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.

Pater) Synecdoche generis pro ſpecie, ut antea jam fuit.

——Pater ipſe, colendi
Haud facilem eſſe viam voluit.

Septima) Amphibolia loci hujus, opiniones varias habere poteſt. Aut enim poeta dicit decimam ſeptimam Lunam, de qua videtur Heſiodus dicere:

Μέσση δ' ἑϐδομάτη Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν.
Media autem ſeptima Cereris ſacrum munus.

Nam ſeptima τοῦ μεσοῦντος eſt, id eſt, media eſt decima ſeptima. Secunda opinio eſt, felicem eſſe ſeptimam, ſed decimam feliciorem. quod etiam Heſiodus habet:

——καὶ ἑϐδόμη, ἱερὸν ἦμαρ.
& ſeptima, ſacra dies.

Item,

Ἐσθλὴ δ' ἀνδρογόνος δεκάτη.
Bona autem viripara decima.

Tertia opinio intelligit decimam quartam, quæ eſt nempe ſeptima altera poſt decimam, quæ appellatur ab Heſiodo media, & præ cæteris laudatur:

——περὶ πάντων ἱερὸν ἦμαρ
Μέσση.——
præ omnibus ſacra dies
Media.

Hæc

Hæc igitur eſt loci hujus ambiguitas: cujus tamen ſingulæ partes authoritatem ſuam habent. Cato tamen ut intermeſtrem, ſic dimidiatam Lunam non probat in egerendo ſtercore, cædenda materia: ſeptem dies á plena Luna probat. *Domitare*] Domitura boum in trimatu, poſtea ſera, anté præmatura: optimé cum domito juvencus imbuitur: Plinius libri octavi capite quadrageſimo quinto, de quo erit tertio Georgico. *Licia*] Fila quibus in telis textrices implicant ſtamina. ſignificant etiam ſtamen ipſum. Ergo texturam telæ tum felicem Virgilius futuram ait. *Nonam*] Hanc Heſiodus ſic exponit:

> Πρωτίστη δ' εἰνὰς παναπήμων ἀνθρώποισιν.
> Ἐσθλὴ μὲν γάρ τ' ἠδὲ φυτευέμεν, ἠδὲ γενέσθαι,
> Ἀνέρι τ' ἠδὲ γυναικὶ, καὶ οὔποτε πάγκακον ἦμαρ.
> *Prima veró nona prorſus innoxia hominibus.*
> *Bona ſiquidem eſt & ad plantandum, & ad generandum,*
> *Tam viro quám mulieri, nec umquam mala prorſus dies.*

Cæteros autem Virgilius deſpexit, quos Heſiodus perſecutus eſt, primum, quartum, ſextum, octavum, undecimum, duodecimum, decimum tertium, viceſimum, triceſimum. *Fuga*] Peregrinationi, aut fugæ á periculo, hoſte, tyranno & ſimilibus. *Furtis*] Quæ tum deprehenduntur. *Multa adeo*] Dinſtinguit noctis & diei rationem, & primúm proponit opera nocturna in eodem genere diurnis utiliora. *Aut quum*] Nocturno aut certé matutino tempore. *Eous*] Unus eſt ex equis Solis, ut jam diximus. *Prata*] Cato: Fœnum, inquit, ne ſeró ſeces. prius quam ſemen maturum ſit, ſecato. quidam pridie rigant, ubi ſunt rigua. noctibus roſcidis ſecari meliús. Quædam Italiæ partes poſt meſſem ſecant: Plinius libri decimi octavi capite viceſimo octavo. Hoc Virgilius de pratis tantillum. quibus optimi agri quintam laudem tribuit. alii dant primatũ bonis pratis. Cæſar Vopiſcus ædilitius cauſ-

ſam cúm ageret apud Cenſores, campos Roſeæ, Italiæ dixit eſſe ſumen, in quo relicta pertica poſtridie non appareret propter herbam: Varro libri primi capite ſeptimo. Idem ejuſdem libri capite quadrageſimo nono: primúm de pratis ſummiſſis: Herba cúm creſcere deſiit, & æſtu areſcit, ſubſecari falcibus debet. *Et quidam*] E nocturnis operibus alia viro, alia fœminæ dividit. *Faces*] Faces quid ſint, his duobus verſibus Virgilius definit. Fax enim fuſtis eſt inciſus, ceraque vel oleo inunctus ad lumen faciendum. Atque id nimirum eſt *ad ſeros hyberni luminis ignes.* *Ferro acuto*] Falce aut cultro. *Inſpicat*] In modum ſpicarum incidit & acuit. *Arguto*] ſtridulo. ſic in Bucolicis ilex arguta, & nemus argutum: & paulo anté in hoc libro:

Et ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ.

Percurrit] Contexit. *Pectine*] Pecten, textorium inſtrumentum, inter cujus dentes filum fingitur:

Inde operæ pretium pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri craſſique caloris,
Et male percuſſas textoris pectine Gallis:

ait Juvenalis Satyra 9.

Dulcis muſti] Significat defrutum, id eſt vinum decoctum uſque ad conſummationem dimidiæ partis: aut ſapam, quæ fit ad conſummationem duarum tertiarum: de quibus Plinius libri decimi quarti capite nono, & viceſimi tertii capite ſecundo. *Vulcano*] Igne: Metonymia eſt, ut Ceres pro frugibus. *Aheni*] Vaſis ænei: Metonymia eſt materiæ pro materiato opere. Columella libri duodecimi capite viceſimo hoc vaſis genus non probat: Ipſa autem vaſa, ait, quibus ſapa aut defrutum coquitur plumbea potiús quám ænea eſſe debent. Nam in coctura æruginem remittunt ænea, & medicaminis ſaporem vitiant. *At rubicunda*] Deſcribit ſecundo loco opera diurna nocturnis utiliora, ut meſſem, trituram, arationem, ſementem. *Ceres*] Frumentum. *Succiditur*] Metitur. *Nudus*] Nudus in principio & fine ſententiæ, eſt epanalepſis: ut,

Ambo

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Hic autem verſus eſt tertius, Paronis calumnia perſtrictus. cavillatus eſt enim primùm illud:

Tityre, ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?

Item illud:

Dic mihi Damœta, cujum pecus? Anne Latinum?
Non, verùm Aegonis. Noſtri ſic rure loquuntur.

Denique iſtud:

Nudus ara, ſere nudus: habebis frigore febrim.

At Virgilius nudum agricolam arando aut ſerendo eſſe noluit, ſed tantam ſerenitatem notavit, ut amictus poſſet deſpici. Locus eſt ex Heſiodo:

——γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν,
Γυμνὸν δ' ἀμᾶαν.

Nudus ſerito, nudus arato:
Nudus quoque metito.

Hyems] Deſcribuntur hyemis otia, primùm genialia, tum opera utilia. Otia illa, ſimilitudine nautica declarantur. *Preſſæ*] Onerariæ, vel potiùs jactatæ. *Coronas*] Aut veras coronas, aut ſpiras funium. ſic antea nautica ſimilitudine demonſtratur agriculturæ neceſſitas:

Non aliter quàm qui adverſo vix flumine Lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit:
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

Coronas] Idem verſus repetitur Æneidos quarto:

——vocat jam carbaſus auras,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

Ergo & ſolventes é portu, ut portum ſubeuntes, coronabant puppes. Quæ ferè attinent ad ſecundi & tertii libri argumentum. *Sed tamen*] Hyemis opera utilia ſecundo loco proponuntur, in legendis glandibus, baccis: in aucupio & venatione. *Quernas*] Non eſt artis, ſed uſus, ut ſunt ficulnus, ilignus, colurnus, á ficu, ilice, coluro aut corulo. *Glandes*] Glandis appellatione omnis fructus continetur, exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα appellantur, ut Cajus

ſam cùm ageret apud Cenſores, campos Roſeæ, Italiæ dixit eſſe ſumen, in quo relicta pertica poſtridie non appareret propter herbam: Varro libri primi capite ſeptimo. Idem ejuſdem libri capite quadrageſimo nono: primùm de pratis ſummiſſis: Herba cùm creſcere deſiit, & æſtu areſcit, ſubſecari falcibus debet. *Et quidam*] E nocturnis operibus alia viro, alia fœminæ dividit. *Faces*] Faces quid ſint, his duobus verſibus Virgilius definit. Fax enim fuſtis eſt inciſus, ceraque vel oleo inunctus ad lumen faciendum. Atque id nimium eſt *ad feros hyberni luminis ignes*. *Ferro acuto*] Falce aut cultro. *Inſpicat*] In modum ſpicarum incidit & acuit. *Arguto*] ſtridulo. ſic in Bucolicis ilex arguta, & nemus argutum: & paulo antè in hoc libro:

Et ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ.

Percurrit] Contexit. *Pectine*] Pecten, textorium inſtrumentum, inter cujus dentes filum ſtringitur:

Inde operæpretium pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ duri craſſique caloris,
Et male percuſſas textoris pectine Galli:

ait Juvenalis Satyra 9.

Dulcis muſti] Significat defrutum, id eſt vinum decoctum uſque ad conſummationem dimidiæ partis: aut ſapam, quæ fit ad conſummationem duarum tertiarum: de quibus Plinius libri decimi quarti capite nono, & viceſimi tertii capite ſecundo. *Vulcano*] Igne: Metonymia eſt, ut Ceres pro frugibus. *Aheni*] Vaſis ænei: Metonymia eſt materiæ pro materiato opere. Columella libri duodecimi capite viceſimo hoc vaſis genus non probat: Ipſa autem vaſa, ait, quibus ſapa aut defrutum coquitur, plumbea potiùs quàm ænea eſſe debent. Nam in coctura æruginem remittunt ænea, & medicaminis ſaporem vitiant. *At rubicunda*] Deſcribit ſecundo loco opera diurna nocturnis utiliora, ut meſſem, trituram, arationem, ſementem. *Ceres*] Frumentum. *Succiditur*] Metitur. *Nudus*] Nudus in principio & fine ſententiæ, eſt epanalepſis: ut,

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Hic autem verſus eſt tertius, Paronis calumnia perſtrictus, cavillatus eſt enim primúm illud:

Tityre, ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?

Item illud:

Dic mihi Damœta, cujum pecus? Anne Latinum?
Non, verùm Aegonis. Noſ[illegible] ſic rure loquuntur.

Denique iſtud:

Nudus ara, ſere nudus: habebis frigore febrim.

At Virgilius nudum agricolam arando aut ſerendo eſſe noluit, ſed tantam ſerenitatem notavit, ut amictus poſſet deſpici. Locus eſt ex Heſiodo:

—γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν,
Γυμνὸν δ' ἀμάειν.

Nudus ſerito, nudus arato:
Nudus quoque metito.

Hyems] Deſcribuntur hyemis otia, primúm genialia, tum opera utilia. Otia illa, ſimilitudine nautica declarantur. *Preſſæ*] Onerariæ, vel potiús jactatæ. *Coronas*] Aut veras coronas, aut ſpiras funium. ſic antea nautica ſimilitudine demonſtratur agriculturæ neceſſitas:

Non aliter quàm qui adverſo vix flumine Lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia forté remiſit:
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.

Coronas] Idem verſus repetitur Æneidos quarto:

—vocat jam carbaſus auras,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

Ergo & ſolventes é portu, ut portum ſubeuntes, coronabant puppes. Quæ feré attinent ad ſecundi & tertii libri argumentum. *Sed tamen*] Hyemis opera utilia ſecundo loco proponuntur; in legendis glandibus, baccis: in aucupio & venatione. *Quernas*] Non eſt artis, ſed uſus, ut ſunt ficulnus, ilignus, colurnus, á ficu, ilice, coluro aut corulo. *Glandes*] Glandis appellatione omnis fructus continetur, exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα appellantur, ut Cajus

iuriſconſultus ait. Glandem tamen, quæ propriè intelligitur, ferunt robur, eſculus, cornus, ilex, ſuber. Plinius libri decimi ſexti capite ſexto. *Baccas*] Minutiores arborum fructus, ut lauri, olivæ: hîc tamen diſtinguit. *Cruenta*] Inſtar cruoris rubeſcentia. *Myrta*] Fructus myrti, quæ Veneri ſacra eſt, ut ecloga tertiâ patuit:

Formoſa myrtus Veneri ——

Pedicas] Quibus illarum pedes illaqueantur. *Gruibus*] Synecdoche ſpeciei pro toto genere avium. *Auritoſque*] Magnis auribus præditos. aliter autem Plautus in Truculento dixit:

Plùris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.

Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt. *Stuppea verbera*] Dicit lora fundæ, ſtuppa facta, id eſt chordas, quibus colligatur funda. *Balearis*] Optimæ, qualis eſt apud Baleares inſulas Hiſpaniæ, funda quondam bellicoſas, ut conſtat è Plinio, libri tertii capite quinto: vel potiùs ex hiſtoriis Romanis. Balearis igitur pro Optimæ, eſt ſynecdoche. *Quum*] Periphraſis ſummæ hyemis. *Glaciem*] Id eſt, cùm glacies aquis ſupernatat.

Quid tempeſtates Autumni & ſidera dicam?
Atq; ubi jam breviorq; dies, & mollior æſtas,
Quæ vigilanda viris: vel quum ruit imbriferū Ver:
Spicea jam campis quum meſſis inhorruit, & quum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent?
Sæpe ego, quum flavis meſſorem induceret arvis
Agricola, & fragili jam ſtringeret hordea culmo:
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ gravidam latè ſegetem ab radicibus imis
Sublimè expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumq; levem ſtipulaſq; volantes.
Sæpe etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum:

Et

Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collecta ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti ſata læta boumq; labores
Diluit: implentur foſſæ, & cava flumina creſcunt
Cum ſonitu, fervetq; fretis ſpirantibus æquor.
Ipſe pater, media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit: ingeminant Auſtri & denſiſſimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.
Hoc metuens, cœli menſes & ſidera ſerva,
Frigida Saturni ſeſe quó ſtella receptet,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.
In primis venerare deos: atq; annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis,
Extremæ ſub caſum hyemis, jam vere ſereno.
Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina:
Tunc ſomni dulces, denſæq; in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte favos & miti dilue Baccho:
Terq; novas circum felix eat hoſtia fruges.
Omnis quam chorus & ſocii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta: neq; antè
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quám Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Quid] Proponuntur Autumni & Veris tempeſtates, & deinde ad earum captionem ſigna deſcribentur. *Ruit*)

Declinat. *Spicea*] Meſſis. *Inhorruit*] Id eſt culmi confirmari cœperunt. propriè enim ſpicus, aut ſpica, aut ſpicum, (idem enim tribus his generibus dicitur) cùm per culmi folliculum, id eſt extremum tumorem, ariſtæ adhuc tenues in modum ſpiculi eminent: abuſivé autem pro frugibus. Itaque duobus his verſibus idem definitur Veris inclinantis tempus per ſpiceam meſſem & frumenta lactentia. Lactantem autem deum Varro fuiſſe tradit, qui ſe infundit ſegetibus, & eas facit lacteſcere. Lactare autem dicitur mater, quæ lac præbet. Lactere, fœtus cui lac præbetur. Sic apud Varronem ſecundo de re Ruſtica. Lactentes cum matribus ne cubent. de ſue loquitur. Ergo lactentia frumenta, quibus tanquam lac præbetur: & metaphora eſt. *Sæpe ego*] Deinceps meteorologia eſt de tempeſtatibus, & earum ſignis: meteorologia, cauſſa communis univerſæ Georgicæ, ut deus & cœlum. Deſcribuntur itaque tres ſpecies tempeſtatum, ventorum, pluviarum, fulminum. Tempeſtas igitur ventorum, prima deſcribitur ex effectis, quod maturas ſegetes eruat. *Flavis*] Maturis: Metonymia eſt adjuncti coloris. ſic flava Ceres priùs dicta eſt. *Stringeret*] Secaret, dictum aliter,

——glandes tunc ſtringere tempus.

Prælia] Plinius libri decimi octavi capite triceſimo quinto citat hunc locum. Præſagia, ait, tempeſtatum placuiſſe Virgilio magnopere video. ſiquidem in ipſam meſſem ſæpe concurrere prælia ventorum damnoſa imperitis refert. Tradunt enim eundem Democritum metente fratre ejus Damaſo, ardentiſſimo æſtu, oraſſe ut reliquæ ſegeti parceret, raperetque deſecta ſub tectum, paucis mox horis ſævo imbre vaticinatione approbata. *Gravidam*] Copioſam & abundantem, id eſt granis gravidam. *Sublimé*] Per ſublimie, ait Servius: at Sublimé adverbium eſt, pro ſublimiter, quo utitur Cato, Cicero ſecundo de Natura deorum: Extenuatus aer ſublimé fertur. Et idem prima Tuſculana: Perſpicuum debet eſſe, animos, ſive ſint animales, id eſt ſpirabiles, ſive ignei,

ſublimé

ſublimé ferri. Virgilius ecloga nona.

Cantantes ſublimé ferent ad ſidera cygni.

Sublimé] Phyſicæ eſt rationis. nam ventorum motus eſt ſurſum, cúm exhalatio calida & ſicca ſublimé feruntur, ut Ariſtoteles meteororum libri ſecundi capite quarto. *Ita turbine*] Illuſtratio per ſimilitudinem tempeſtatis, è turbine: Si ventus majore depreſſæ nubis eruperit ſpecu, ſed minús alto quám procella, nec ſine fragore, turbinem vocant, proxima quæque proſternentem: Plinius libri ſecundi capite quadrageſimo octavo. *Hyemis*] Tempeſtas. ſic enim aliquando ſumitur, ut ſecundo Æneidos:

——ſæpe illos aſpera ponti
Intercluſit hyems.

Hîc tempeſtas aut ventus intelligitur. & ſic Græcè χειμὼν, hyems & tempeſtas dicitur. *Sæpe*] Deſcribitur tempeſtas pluviæ ex materia, effectis, adjunctis: quód ex nube fiat, fruges diluat, fremitum excitet. *Agmen*] Proprié eſt exercitus incedens: μεταφορικῶς pro impetu, ut Aeneidos ſecundo,

——illi agmine facto
Laocoonta petunt.

Collecta] Materies pluviæ notatur é nubibus. é vapore namque nubes, unde pluvia, ex qua etiam rurſus vapor. hæc enim κύκλῳ γένεσις Ariſtoteli dicitur decimo tertio capite ſecundi Poſteriorum. *Ex alto*] Ex Aquilone, ait Servius: ego malim E ſublimi loco. *Ruit*] Sic Aeneidos primo:

Fluctibus oppreſſos Troas cœlique ruina.

Boumque labores] Sic antea:

Nec tamen, hæc cúm ſint hominumq; boumq; labores.

Diluit] Diſſolvit, eoque diſperdit. *Fervetque fretis*] Alluſio eſt ad freti notationem. fretum enim á fervendo dictum, quód inſtar aquæ ferventis in fretum ſæpe incurrat æſtus, atque efferveſcat. *Ipſe pater*] Deſcribitur tempeſtas fulminum ex adjuncto lonitu & ejus terrore: item ex effectis, quód alta loca feriat. *Ipſe pater*) Peri-

phraſis eſt Jovis, ut antea,

——pater ipſe, colendi
Haud facilem eſſe viam voluit.——

Superiorum trium planetarum ignes ſunt qui decidui ad terras, fulminum nomen habeant, ſed maximé ex his medio loco ſiti: fortaſſis quoniam contagium nimii humoris ex ſuperiore circulo atque ardoris ſubjecto per hunc modum egerat: ideoque dictum Jovem fulmina jaculari. Plinius libri ſecundi capite viceſimo. *Molitur*] Jaculatur. *Terra*] Id eſt, terræ incolæ: Metonymia eſt ſubjecti pro adjuncto. *Humilis*] Metonymia, ut Orcus pallidus. *Atho*] Athos, mons Græciæ altiſſimus, á Xerxe perfoſſus & navigatus. in accuſativo facit Atho, ut ἕως, νέως, λαγώς. *Rhodopen*] Montem Thraciæ, de quo ecloga ſexta:

Nec tantum Rhodope miratur & Iſmarus Orphea.

Item octava:

Iſmarus aut Rhodope aut extremi Garamantes.

Ceraunia] ὁ κεραυνὸς, fulmen: κεραύνιος Ζεὺς, fulminator Jupiter. Hinc Ceraunii, vel Ceraunia, montes Epeiri nominantur, quia fulminibus ſæpe feriantur. *Ingeminat*] Revocatur prima & ſecunda tempeſtas. *Hoc metuens*] Ad cautionem & proviſionem propoſitarum tempeſtatum generales phyſicæ cauſſæ repetuntur é cœlo & deo. *Frigida*] Hunc locum Plinius notavit libri decimi octavi capite viceſimo quinto: Virgilius, ait, errantium quoque ſiderum rationem ediſcendam præcepit, admonens obſervandum frigidæ Saturni ſtellæ tranſitum. Sidus autem Saturni minimum videtur, quia ſummum: triceſimo anno curſum conficit, gelidæ ac rigentis naturæ, ait idem libri ſecundi capite octavo. *Quó ſeſe receptet*] Cum quo ſidere conjungatur. nam cum alio atque alio ſidere, alias & alias vires habet. *Ignis Cyllenius*] Periphraſis eſt Mercurii, in Cyllene, monte Arcadiæ, geniti: cujus ſidus eſt inconſtans, quia feré naturam ſequitur eorum ſiderum cum quibus junctus fuerit: ideoque Nuntius deorum fingitur. Mercurius autem modó ante Solis exortum

ortum, modó poſt occaſum ſplendens, nunquam ab eo viginti tribus partibus remotior, ait Plinius libri ſecundi capite octavo. *In primis*] Hic quartus eſt locus invocati numinis, & ſuperioribus inſignior: & Ceres dea frugum, imprimis appellatur, ut antea *Liber & alma Ceres*. Item duobus præterea locis, ut dea frugum, colitur:

——neq; illum

Flava Ceres alto nequicquam ſpectat olympo.

Item: *Prima Ceres ferro mortales vertere terram*

Inſtituit——

Itaque huic magnæ frugum deæ vota fiant, ait poeta, ut res ſuæ tutelæ ſubjectas tueatur. Sic Heſiodus ſecundo Operum & Dierum:

Εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ, Δημήτερί θ' ἁγνῇ,

Ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν.

Supplicia vero Jovi terreſtri, Cererią; Caſtæ,

Proventum ut impleant, Cereris ſacrum munus.

Tunc agni] Deſcribitur ſacrum Cereris ex ſubjectis & adjunctis ad ipſum pertinentibus: delicatis epulis, noctibus, locis, lacte, melle, vino, hoſtia ambarvali, invocatione, ſaltatione. *Pingues*] Ideoque ad epulandum & ſacrificandum apti. *Molliſſima*] Delicatiſſima, cúm omnis aſperitas deferbuerit. Sic ecloga quinta de ſacro Daphnidis:

Et multo imprimis hilarans convivia Baccho.

Dulces] Propter vacuitatem ſollicitudinum, aut anni temperiem. *Denſaque*] Propter arbores frondeſcentes, ſic ecloga quinta,

Ante focum, ſi frigus erit: ſi meſſis, in umbra.

Adoret] Propitiet: ab ador, frumento, quo diis olim ſacrificabatur. *Lacte*] Lacte, melle, vino ſignificat Cereri ſacrificatum. Macrobius tamen de hac re ſic ait Saturnal. libri tertii capite undecimo: Poeta ſciens Cereri mulſo libari, adjecit, *——miti dilue Baccho*; ſcilicet miteſcere vinum dicens, cúm mulſum cœperit fieri. Plinius libri decimi octavi capite quarto, ait ab Ariſtæo primúm vino mel miſtum ſuavitate præcipua,

Favos] Metonymia eſt ſubiecti pro adjuncto. Favus enim, cellula eſt ubi mel conficitur. *Baccho*) Vino, Metonymia eſt. *Terque*) Periphraſis eſt Ambarvalis hoſtiæ, quæ ter circum arva ducebatur, cum immolabatur: de quo dictum jam ecloga tertia:

Cúm faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

Item: *— & cúm ſolennia vota*

Reddemus Nymphis, & cúm luſtrabimus agros:

ecloga quinta. *Felix*) Fœcunda. hæc enim hoſtia, porca frequenter erat, eaque gravida. vel felicem dicit per Metonymiam, quia felices & fœcundos agros efficiat. *Ovantes*) Ovare, eſt lætari, lætitiamque aut voce aut geſtu demonſtrare: ab ohe, Interiectione gaudentis, aut oo, clamore militari, deducitur, interpoſito v. Hinc ovatio, ſpecies triumphi. *Et Cererem*) Orent ut ſalva meſſis domum perducatur. *Ariſtis*) Frumentis. *Torta quercu*) Querna corona; in memoriam vetuſtatis, quæ quernis glandibus victitavit, & ad mitiorem victum Cereris beneficio tranſiit. *Det motus*) Sic ecloga quinta cantus & ſaltatio adhibetur:

Cantabunt mihi Damœtas & Lyctius Aegon:
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

Atq; hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis,
Æſtuſq; pluviaſq; & agentes frigora ventos:
Ipſe pater ſtatuit quid menſtrua Luna moneret?
Quo ſigno caderent Auſtri: quid ſæpe videntes
Agricolæ, propiús ſtabulis armenta tenerent.
Continuò ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor, aut reſonantia longè
Litora miſceri, & nemorum increbreſcere murmur.
Iam ſibi tum curvis malè temperat unda carinis,
Quum medio celeres revolant ex æquore mergi.

Clamorem

Clamoremq; ferunt ad litora, quumq; marinæ
In ſicco ludunt fulicæ: notasq; paludes
Deſerit, atq; altam ſupra volat ardea nubem.
Sæpe etiam ſtellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctisq; per umbras
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus:
Sæpe levem paleam & frondes volitare caducas,
Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.

Atq; hæc] Prognoſtica tempeſtatum rebus naturalibus divinitus ſunt impreſſa, ut à Deo moniti, caveremus, ubi de communibus cauſſis Deus & ejus erga hominum genus providentia conſideranda eſt. *Æſtus, pluvias, ventos*] Hæc tempeſtatum genera nimirum propoſita ſunt è fulminibus, pluviis, ventis. *Ipſe pater*] Periphraſis Jovis: ut bis antea,

----Pater ipſe colendi: Item,
Ipſe pater media.----

Menſtrua] Quæ quoque menſe curſum abſolveret. *Auſtri*] Venti: ſynecdoche ſpeciei pro genere. Porrò ſigna ſequentia de Arato ſumpta ſunt, ſed è multis pauca, nec eodem ſemper modo: Plinius autem omnia ferè collegit. *Continuò*] Prognoſtica ventorum, undecim deſcribuntur ex adjunctis: tumor maris, fragor montium, maris ſonitus, nemorum murmur, mergi ad litora revolatus & clamor, fulicarum luſus in arena, ardeæ ſublimis volatus, ſtellarum caſus, paleæ volatus & frondium, plumarum in aqua colluſio. *Surgentibus*] Orientibus. *Freta ponti*] Mare: ſynecdoche ſpeciei pro genere. *Tumeſcere*] De hoc ſigno Plinius libri decimi octavi capite triceſimo quinto: ubi & de cæteris: Mare ſæpe & ſilentio intumeſcit, flatuque altius ſolito jam intra ſe eſſe ventos fatetur. Aratus:

Σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα
Γιγνέσθω.

Atqui ſignum tibi venti etiam intumeſcens mare
Eſto.

Aridus fragor] Qualis ex aridis arboribus editur, cùm franguntur. montium ſonitus Plinio dicitur hoc ſecundum prognoſticum. Aratus:

---- κορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι.
Cacuminaq́; ſonantia montis ſumma.

Reſonantia litora] Tertium ſignum: de quo ſic Plinius: Mare ſi in tranquillo portu à curſu ſtabit, & murmuraverit intra ſe, ventum prædicit: ſi identidem, & hyemem & imbrem. litoris ripæq; ſi reſonabunt tranquilla, aſperam tempeſtatem: item maris ipſius tranquillus ſonitus, ſpumæve diſperſæ aut aquæ bullientes. Aratus:

---- καὶ μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες,
Ἀκταί τ' εἰνάλιοι, ὁπότ' εὔδιοι ἠχήεσσαι
Γίγνονται.

& multum margines inſonantes;
Litoraq́; marina, cùm ſerena arguta
Fiunt.

Nemorum murmur] Hoc quartum ſignum Plinio dicitur nemorum mugitus. Atq; in tertio & quarto ſigno fallitur Servius, qui putat tertium primo, & quartum ſecundo idem eſſe, & à Virgilio dici bis idem. nõ enim bis idem, ſed duo diverſa dicuntur. *Jam ſibi*] Quintum prognoſticum. de quo Plinius: Mergi anateſque pennas roſtro purgantes, ventum: cæteræque aquaticæ aves concurſantes, grues in mediterranea feſtinantes, mergi maria aut ſtagna fugientes. *Carinis*] Navibus: ſynecdoche partis pro toto. Carina enim, pars eſt navis inferior. *Mergi*] Mergus, eſt avis, quæ cibum captans, aſſiduè mergitur in aquis. Aratus:

Πολλάκι δ' ἀγελάδες νῆσσαι, ἢ εἰναλίδῖναι
Αἴθυιαι χερσαῖα τινάσσονται πτερύγεσσιν.
Sæpe autem feræ anates, aut in mari urinatores
Mergi terras quatiunt alis.

Fulica] Sextum prognoſticum. Fulica autem, ſeu Fulix, eſt avis marina aut ſtagnenſis, paulò ſupra magnitudi-

tudinem columbæ, dicta à furvo (id eſt, nigro) colore: Patiſini Diabolum vocant. Id Aratus paulò ſecus:

> Καὶ ποτε καὶ κέπφοι, ὁπότ' εὔδιοι ποτέωνται,
> Ἀντία μελλόντων ἀνέμων εἰληδὰ φέρονται.
> *Interdum etiam fulicæ, cùm ſerenæ volitent,*
> *Contra futuros ventos glomeratim feruntur.*

Marinæ] Ad differentiam ſtagnenſium aut fluviatilium. Plinius fulicæ matutinum clangorem memorat: & Cicero primo de Divinatione ait:

> *Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,*
> *Nuntiat horribiles clamans inſtare procellas.*

Ardea] Septimum prognoſticum. Ardea autem avis appellatur, quòd ardua ſit. quidā putant avem eſſe, quæ Græcis ἐρωδιὸς appellatur: de qua eſt ſeptimo Æneidos:

> ---- *locus ardea quondam*
> *Dictus avis, & nunc magnum manet ardea nomen.*

Aratus paulò ſecus:

> Καὶ δ' αὖ ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον
> Ἐξ ἁλὸς ἔρχηται, φωνῇ περὶ πολλὰ λεληκώς,
> Κινυμένου κε θάλασσαν ὑπερφορέοιτ' ἀνέμοιο.
> *Quinetiam ad terram cùm ardeola non ritè*
> *E mari venit, voce multùm perſtrepens,*
> *Commoto utiq; vento ſuper mare fertur.* Item:
> Ἢ ἐπὶ κῦμα διώκει ἐρωδιὸς ὀξὺ λεληκώς.
> *Aut ad aquam feſtinat ardea acutè vociferans.*

Sæpe etiam] Octavum è ſtellarum deciduis ignibus. Diſcurſus autem nunquam temerè fiunt, ut non ex ea parte truces venti cooriantur, ait Plinius libri ſecundi capite triceſimoquinto. De iiſdem & Ptolemæus: Excurſiones & eruptiones ſtellarum, ſiquidem ab uno angulo fiant, ab eo futurum ventum declarant: ſin à contrariis angulis, prælia ventorum: ac ſi à quatuor, omnis generis tempeſtates, fulgurum & tonitruum & ejuſmodi. Plinius verò putat, ex igne collucentes illos ſtellarum oculos conſtare, ſecundi libri capite quinto. Et ibidem

[illegible] bus: *Illa nimio alimento tracti* [illegible] abundantia reddunt, cùm decidere [illegible] os quoque id luminibus accenſis, li- [illegible] accidere. Ariſtoteles non igneas ſtel- [illegible] quinta eſſentia conſtare: ſtellarum de- [illegible] m facit exhalationẽ calidam & ſiccam: [illegible] cauſſam, ſtellas cœleſtes. Harum au- [illegible] prognoſticon Plinius libri decimi octavi [illegible] quinto, tradit pleniſſimè. Tertio (ait) lo- [illegible] m obſervationem eſſe oportet. Diſcurrere ex [illegible] rdum, ventique protinus ſequuntur. in qua- [illegible] præſagivere: cœlum cùm æqualiter totum [illegible] duin, articulis temporum quos propoſuimus, [illegible] ſerenum præſagibunt & frigidum. Si ver & [illegible] ſine riguo aliquo tranſierint, Autumnum ſere- [illegible] & denſum minuſque ventoſum facient. Autumni ſe- [illegible] tas ventoſam hyemem facit. cùm repente ſtellarum [illegible] por obumbratur: & id neque nubilo, neque caligine: pluvia aut graves denuntiantur tempeſtates. Si volitare plures ſtellæ videbuntur, quò ferentur albeſcentes, ventos ex iis partibus nuntiabunt: aut ſi curſitabunt, certos: ſi id in pluribus partibus fiet, inconſtantes ventos effundent: ſi ſtellarum errantium aliquam orbes incluſerint, imbres. Sunt in ſigno Cancri duæ ſtellæ parvæ, Aſelli appellatæ, exiguum inter illas ſpatium obtinente nubecula, quam Præſepia appellant. hæc cùm cœlo ſereno apparere deſierit, atrox hyems ſequitur: Si alteram earum Aquiloniam caligo abſtulerit, Auſter ſævit. ſi Auſtrinam, Aquilo. Arcus cùm ſunt duplices, pluvias nuntiant: à pluviis ſerenitatem non perinde certam: circuli novi circa ſidera aliqua, pluviam. Aratus:

Καὶ διὰ νύκτα μέλαιναν ὅτ' ἀστέρες ἀίσσωσι
Ταρφέα, τοὶ δ' ὄπιθεν ῥυμοὶ ὑπολευκαίνωνται,
Δειδέχθαι κείνοις αὐτὴν ὁδὸν ἐρχομένοιο
Πνεύματος.

Item per noctem atram cùm ſtellæ præcipites ruunt

Crebrò,

Crebrò, atq; à tergo tractus ſubalbeſcunt,
Accipito per illas eadem via venientem
Ventum.

Sæpe levem] Nonum de paleis volitantibus. *Frondes*] Decimum de foliis volitantibus. *Aut ſumma*] Undecimum de plumis, aquæ innatantibus. Aratus:

Ἤδη καὶ πάπποι, λευκῆς γήρειον ἀκάνθης,
Σῆμ' ἐχέοντ' ἀνέμου, κωφῆς ἁλὸς ὁππότε πολλοὶ
Ἄκροι ἐπιπλείωσι, τὰ μὲν πρόσθεν, ἄλλα δ' ὀπίσω.
Jam etiam lanugo, albi ſenium cardui,
Indicium fit venti, muti maris quando multi
In ſummitate natant, partim antè, partim pòſt.

De tribus ultimis prognoſticis ſic Plinius libri decimioctavi capite triceſimoquinto: Et ſine aura, quæ ſentiatur, folia ludentia: lanugo populi aut ſpinæ volitans, àquiſque pluma innatans.

At Boreæ de parte trucis quum fulminat, & quum
Euriq; Zephyriq; tonat domus, omnia plenis
Rura natant foſſis: atque omnis navita ponto
Humida vela legit. nunquam imprudentibus imber
Obfuit. aut illum ſurgentem vallibus imis
Aëriæ fugêre grues. aut bucula cælum
Suſpiciens, patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et veterem in in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius & tectis penetralibus extulit ova
Anguſtum formica terens iter: & bibit ingens
Arcus: & è paſtu decedens agmine magno
Corvorum increpuit denſis exercitus alis.
Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri,
Certatim largos humeris infundere rores:

capite octavo ait de ſideribus: Illa nimio alimento tracti humoris igneam vim abundantia reddunt, cùm decidere creduntur, ut apud nos quoque id luminibus accenſis, liquore olei notamus accidere. Ariſtoteles non igneas ſtellas cenſet eſſe, ſed quinta eſſentia conſtare: ſtellarum deciduarum materiam facit exhalationē calidam & ſiccam: efficientem verò cauſſam, ſtellas cœleſtes. Harum autem ſtellarum prognoſticon Plinius libri decimi octavi capite triceſimo quinto, tradit pleniſſimè. Tertio (ait) loco, ſtellarum obſervationem eſſe oportet. Diſcurrere ex videntur interdum, ventique protinus ſequuntur. in quarum parte ita præſagivere: cœlum cùm æqualiter totum erit ſplendidum, articulis temporum quos propoſuimus, Autumnum ſerenum præſagibunt & frigidum. Si ver & æſtas non ſine riguo aliquo tranſierint, Autumnum ſerenum & denſum minuſque ventoſum facient. Autumni ſerenitas ventoſam hyemem facit. cùm repente ſtellarum fulgor obumbratur: & id neque nubilo, neque caligine: pluvia aut graves denuntiantur tempeſtates. Si volitare plures ſtellæ videbuntur, quò ferentur albeſcentes, ventos ex iis partibus nuntiabunt: aut ſi curſitabunt, certos: ſi id in pluribus partibus fiet, inconſtantes ventos effundent: ſi ſtellarum errantium aliquam orbes incinſerint, imbres. Sunt in ſigno Cancri duæ ſtellæ parvæ, Aſelli appellatæ, exiguum inter illas ſpatium obtinente nubecula, quam Præſepia appellant. hæc cùm cœlo ſereno apparere deſierit, atrox hyems ſequitur: Si alteram earum Aquiloniam caligo abſtulerit, Auſter ſævit. ſi Auſtrinam, Aquilo. Arcus cùm ſunt duplices, pluvias nuntiant: à pluviis ſerenitatem non perinde certam: circuli novi circa ſidera aliqua, pluviam. Aratus:

Καὶ διὰ νύκτα μέλαιναν ὅτ' ἀστέρες ἀΐσσωσι
Ταρφέα, τοὶ δ' ὄπιθεν ῥυμοὶ ὑπολευκαίνωνται,
Δειδέχθαι κείνοις αὐτὴν ὁδὸν ἐρχομένοιο
Πνεύματος.

Item per noctem atram cùm ſtellæ præcipites ruunt

Crebrò,

Crebrò, atq; à tergo tractus ſubalbeſcunt,
Accipito per illas eadem via venientem
Ventum.

Sæpe levem] Nonum de paleis volitantibus. *Frondes*] Decimum de foliis volitantibus. *Aut ſumma*] Undecimum de plumis, aquæ innatantibus. Aratus:

Ἤδη καὶ πάπποι, λευκῆς γήρειον ἀκάνθης,
Σῆμ' ἐγένοντ' ἀνέμου, κωφῆς ἁλὸς ὁππότε πολλοὶ
Ἄκροι ἐπιπλείωσι, τὰ μὲν πρόσθεν, ἄλλα δ' ὀπίσσω.
Jam etiam lanugo, albi ſenium cardui,
Indicium fit venti, muti maris quando multi
In ſummitate natant, partim antè, partim pòſt.

De tribus ultimis prognoſticis ſic Plinius libri decimioctavi capite tricesſimoquinto: Et ſine aura, quæ ſentiatur, folia ludentia: lanugo populi aut ſpinæ volitans, aquiſque pluma innatans.

At Boreæ de parte trucis quum fulminat, & quum
Euriq; Zephyriq; tonat domus, omnia plenis
Rura natant foſſis: atque omnis navita ponto
Humida vela legit. nunquam imprudentibus imber
Obfuit. aut illum ſurgentem vallibus imis
Aëriæ fugêre grues. aut bucula cælum
Suſpiciens, patulis captavit naribus auras:
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et veterem in in limo ranæ cecinere querelam.
Sæpius & tectis penetralibus extulit ova
Anguſtum formica terens iter: & bibit ingens
Arcus: & è paſtu decedens agmine magno
Corvorum increpuit denſis exercitus alis.
Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri,
Certatim largos humeris infundere rores:

Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et ſtudio incaſſum videas geſtire lavandi.
Tum cornix rauca pluviam vocat improba voce,
Aut caput objectat querulum venientibus undis,
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivêre hyemem, teſta quum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

At Borea] Adhuc ventorum prognoſtica fuerunt: pluviarum prognoſtica ſequuntur, numero tredecim. Primum eſt de fulmine Septentrionali: ſecundum, de tonitru Orientis & Occidentis. De utroque confuſè Plinius libri decimioctavi capite triceſimoquinto: Cùm æſtate vehementiùs tonuerit, quàm fulſerit, ventos ex ea parte denuntiat: contra, ſi minùs tonuerit, imbrem. cùm ſereno cælo fulget, pluviæ erunt & tonitrua, & hyemabit: atrociſſimè autem, cùm ex omnibus cæli partibus fulgurabit. cùm ab Aquilone tantùm, in poſterum diem aquam portendit. cùm ab Auſtro vel Coro aut Favonio nocte ſerena fulguraverit, ventũ & imbrem ex iiſdem regionibus demonſtrabit. tonitrua matutina ventum ſignificant, imbrem meridiana. Aratus:

Αὐτὰρ ὅτ' ἐξ Εὔροιο καὶ ἐκ Νότου ἀστράπτησιν,
Ἄλλοτε δ' ἐκ Ζεφύροιο, καὶ ἄλλοτε παρ Βορέαο·
Δὴ τότε τις πελάγει ἐνὶ δείδιε ναυτίλος ἀνήρ.
Caterùm cùm ex Euro & ex Auſtro fulgurat,
Tum etiam è Zephyro, & interdum à Borea:
Certè tum quiſpiam in pelago timuerit nauta.

Eurique Zephyrique] Eurus ad ortum, Zephyrus ad occaſum contrarium. de quibus Ovidius primo Metamorphoſeos:

Eurus ad auroram Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaq;, & radiis juga ſubdita matutinis:

Veſper

Veſper, & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro.

Ergo his duobus ventis definitur ortus & occaſus. *Omnia plenis*] Periphraſis denſiſſimæ pluviæ ex effectis. *Nunquam imprudentibus*] Id eſt, Tam manifeſta ſunt ſigna pluviæ, ut imprudens ab ea falli nemo poſſit. *Aut illum*] Tertium ſignum pluviæ, ex altiſſimo gruum volatu. At Plinius libri decimi octavi capite triceſimoquinto: Grues ſilentio per ſublime volantes, ſerenitatem præſagiunt. *Aëria*] Sublimes aut ſublime volantes. Sic ecloga prima dicitur aëria ulmus:

Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.

Item tertia:

---- aëria quò congeſſere palumbes.

Aut bucula] Quartum de boum reſpiratione. Bucula, parva bos, commodioris metri cauſſa pro bove. De quo Plinius libri decimioctavi capite triceſimoquinto: Et boves cœlum olfactantes, ſeque lambentes contra pilum. Aratus:

Καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο
Οὐρανὸν εἰσανιδόντες, ἀπ' αἰθέρος ὠσφρήσαντο.
Etiam boves jam ante pluviam cœleſtem,
Cœlum intuiti, ab æthere olfaciunt.

Hirundo] De quo Plinius ibidem: Hirundo tam juxta aquam volitans, ut penna ſæpe percutiat. Aratus:

Ἢ λίμνην πέρι δηθὰ χελιδόνες ἀίσσονται,
Γαστέρι τύπτουσαι αὔτως εἰλυμένον ὕδωρ.
Aut paludem circum identidem hirundines agitãtur,
Ventre verberantes incaſſum circumvolutã undam.

Et veterem] Sextum è coaxatione ranarum, quæ quondam conqueſtæ ſunt, à Jove ſibi datum pro rege lignum, ut in apologo Æſopi. deinde Hydrum illis tyrannum dedit, à quo devoratæ ſunt. Itaque querelam auxerunt. Ergo hæc vetus querela. Aut intellige Lycios paſtores in ranas converſos à Cerere Proſerpinam quærente, ait Servius: aut à Latona (ut Ovidius ſexto Metamorpho-

ſcos) quia eam fonte prohibuiſſent. *Querelam*] Βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ, nimirum, quod apud Ariſtophanem eſt in Ranis. Aratus:

> Ἦ μᾶλλον δειλαὶ γενεαί, ὕδροισιν ὄνειαρ,
> Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.
> *Aut magis miſera progenies, Hydris eſca,*
> *Indidem ex aqua patres coaxant ramularum.*

Sapius] Septimum è formicis ova efferentibus de quo Plin. ibidem: Segniter & contra induſtriam ſuam abſconditæ formicę, vel cōcurſantes, aut ova progerentes. Arat⁹:

> Καὶ κοίλης μύρμηκες ὀχῆς ἐξ ὤεα πάντα
> Θᾶσσον ἀνηνέγκαντο· καὶ ἀθρόοι ὤφθεν ἴουλοι
> Τείχη ἀνέρποντες.
> *Etiam cavo formica ex foramine ova omnia*
> *Ocyus efferunt: atq; cumulatim cernuntur juli*
> *Muros aſſerpentes.*]

Arcus] Octavum, è hauſtu Iridis, quæ Latinis eſt arcus cœleſtis. Fit autem Iris è nube roſcida Soli oppoſita: in qua radii Solis refringuntur, & imaginem Solis malè exprimunt. hinc triplex color, puniceus, viridis, purpureus, quartus xanthus. ſi quis præterea apparet, interdum eſt punicei viridiſque medius. Cùm duæ ſunt, debilior, fortioris eſt imago: ſi tertia ſit, eſt imago ſecundæ. Iris, ſublimis eſt humili ſole, humilis autem ſublimi, & inter æquinoctia tantùm. Vide Ariſtotelem quarto & quinto capite tertii Meteororū: & Plinium ſecundi libri capite quinquageſimo nono. Arcus autem cùm ſunt duplices, pluvias nuntiant, à pluviis ſerenitatem non perinde certam. ut jam patuit. Aratus:

> Ἢ διδύμη ἔζωσε διὰ μέγαν οὐρανὸν ἶρις.
> *Et gemina circuncingit magnum cœlum Iris.*

Aut è paſtu] Nonum è crocitatione corvorum. de quo Plinius ibidem: Corvique ſingultu quodam latrantes, ſeq; concutientes, ſi continuabunt, ventos: ſi vero carptim vocem reſorbebunt, ventoſum imbrem. Aratus,

> Δή ποτε καὶ γενεαὶ κοράκων καὶ φῦλα κολοιῶν,

Ὕδατος

Ὕδατος ἐρχομένοιο Διὸς παρὰ σῆμα γένοιτο,
Φαινόμενοι ἀγεληδὰ, καὶ ἰρήκεσσιν ὁμοῖον
Φθεγξάμενοι.
Quandoq; etiam genera corvorum, & turma gracu-
Pluviæ venientis è cælo ſignum fiunt, (lorum,
Viſi gregatim, & accipitrum inſtar
Garrientes. Et:

---- Καὶ τε κόρακες δίους σταλαγμοὺς
Φωνῇ ἐμιμήσαντο σὺν ὕδατος ἐρχομένοιο.
Ἤ ποτε κρώξαντε βαρείῃ δισσάκι φωνῇ,
Μακρὸν ἐπιρροιζεῦσι τιναξάμενοι πτερὰ πυκνά.
---- *Etiamnum corvi magnas guttas*
Voce imitantur ſimul pluvia veniente:
Vel quandoq; etiã crocitantes gravi congemina voce,
Multum conſtrepitant, quatientes alas frequentes.

Jam varias] Decimum è balneis avium. de quo Plinius ibidem: Et cum terreſtres volucres contra aquã clangores dabunt perfundentes ſeſe, ſed maximè cornix. Aratus:

Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰνάλιαι ὄρνιθες
Ἄπληστον κλύζονται ἐνιέμεναι ὑδάτεσσιν.
Sæpe paluſtres aut marinæ aves
Inſaturabiliter ſe abluunt immittentes in aquas.

Aſia] Aſia, prima longa, palus eſt Myſiæ, ut Servius author eſt hîc, & in illud ſeptimi Æneidos:

---- *ſonat amnis & Aſia longè*
Pulſa palus.

Poſſis fortaſſe Aſia pro Limoſa dicere: quia ἄσις, εως, dicitur Græcè ἰλὺς, limus: & Iliados β.

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.
Limoſo in prato Cayſtri circa fluenta.

Sic enim ἀσίῳ, ἀντὶ τοῦ ἰλυώδει, pro Limoſo ſumitur. Cayſter verò fluvius Meoniæ eſt, qui in mare delabitur inter Colophonem & Epheſum. *Rimatur*] Rimari, proprium eſt porcorum, glandes è terræ rimis eruentium. hinc Rimantur pro Paſcuntur. *Fretis*] Aquis: ſynecdoche. *Incaſ-*

ſum] Quia plumæ prohibent aquam. Hoc autẽ præſagiũ, ut ſuperiora, ex Varrone in illis verſibus ſunt libro quinto:

Tum liceat pelagi volucres tardaque paludis,
Cernere inexpleto ſtudio certare lavandi,
Et velut inſolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et bos ſuſpiciens cœlum (mirabile viſu)
Naribus aërium patulis decerpſit odorem.
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Tum cornix] Undecimum, de nimia cornicatione cornicis. *Improba*] Moleſta. Aratus:

Ἤ που καὶ λακέρυζα παρ' ἠϊόνι προὐχούσῃ
Χείματος ἐρχομένου, χέρσῳ ὑπέκυψε κορώνη·
Ἤ που καὶ ποταμοῖο ἐβάψατο μέχρι παρ' ἄκρους
Ὤμους ἐκ κεφαλῆς, ἢ καὶ μάλα πᾶσα κολυμβᾷ,
Ἢ πολλὴ στρέφεται παρ' ὕδωρ παχέα κρώζουσα.
Aut alicubi etiam garrula ad littus prominens
Tempeſtate inſtante, terræ ſubſidit cornix:
Aut etiam flumini ſe immerſit uſq; ad ſummos
Humeros à capite, vel etiam plane tota ſubternatat,
Vel frequens verſatur propè undam craſsè crocitans.

Sola] Contrarium mox erit de corvis:

Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces.

Nam plures & voce tenui ſerenum denuntiant.

Et ſola ſicca ſecum ſpatiatur] Sigmatiſmos ejuſmodi eſt quinto Æneidos:

Tum rauca aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant.

Hic ejuſdem literæ concurſus non minùs eſt jucundus quàm notabilis: recteq; hîc ab Erythræo Virgilius adverſus Servium & Quintilianum defenditur, hunc concurſum ut vitioſum damnantes. *Nec nocturna*] Duodecimum ex lucernæ oleo ſcintillante. Aratus:

Ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρωνται περὶ μύξαν,
Νύκτα κατὰ σκοτίην· μηδ' ἢν ὑπὸ χείματος ὥρῃ
Λύχνων ἄλλοτε μέν τε φάος κατὰ κόσμον ὀρώρῃ,

Ἄλλοτε

Ἄλλοτε δ' ἀίσσωσιν ἀπὸ φλόγες, ἠύτε κοῦφαι
Πομφόλυγες· μηδ' εἴ κεν ἐπ' αὐτόφι μαρμαίρωσιν
Ἀκτῖνες.
Aut lucernæ fungi congregentur circa labium,
Noctem per caliginoſam: nec ſi ſub hyemis tempore
Lucernarũ aliàs quidem lumen decenter moveatur,
Aliàs verò delabantur flammæ, ceu leves
Bullæ: neque ſi in ipſa lucerna ſplendeant
Radij.

Teſta] Teſtacea lucerna: Metonymia materiæ pro materiato opere. Ridiculum eſt, quod hîc ait Servius, non dici lucernam, quia vilius ſit, non lychnum, quia gravius: ſed medium, teſtam, quia medius hîc ſit ſtylus. *Fungos*] Nam, ut ait Plinius, cùm aër humidus eſſe cœperit, favilla, quæ cum fumo ſolet egredi, prohibita aëris craſſitate, in lucernis reſidet, & quaſdam velut fungorum imitatur imagines. Hæc Servius Plinio attribuit, neque locum citat. At Plinius libri decimioctavi capite tricesimo quinto de præſagiis ignis ſic ait: Ab his terreni ignes proximè ſignificant. pallidi namque murmurantesque, tempeſtatum nuntii ſentiuntur: pluviæ etiam, in lucernis fungi. ſi flexuosè volitet flamma, ventum: & lumina cùm ex ſeſe flammas elidunt, aut vix accenduntur: item cùm in eo ſplendentes coacervantur ſcintillæ: vel cùm tollentibus ollas carbo cohæreſcit, aut cùm contectus ignis è ſe favillam diſcutit, ſcintillamve emittit: vel cùm ignis in foco concreſcit, & cùm carbo vehementer perlucet. Hæc ibi Plinius de præſagiis ignis ad pluviam, ſed multò pluribus ad ventum. Quare cùm Servius Plinium vel authorem alium citabit, negligentiæ culpa tibi non fuerit, ſi authores ipſos adeas, & convenias, an ea ſentiant.

Nec minùs ex imbri Soles & aperta ſerena
Proſpicere & certis poteris cognoſcere ſignis.
Nam neq; tum ſtellis acies obtuſa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna,

Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad Solem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones. non ore ſolutos
Immundi meminere ſues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campoq; recumbunt;
Solis & occaſum ſervans, de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet Noctua cantus.
Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus:
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacunq; illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus: quà ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.
Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant, & ſæpe cubilibus altis
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti,
Inter ſe in foliis ſtrepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcesq; reviſere nidos.
Haud equidem, credo, quia ſit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verùm, ubi tempeſtas & cœli mobilis humor
Mutavere vias, & Iupiter humidus auſtris
Denſat erant quæ rara modò, & quæ denſa, relaxat;
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.

Nec minus] Serenitatis ſigna novem deſcribuntur. Primum, è claritate ſtellarum. nam cùm earũ fulgor obumbratur, & id neque nubilo neque caligine, pluvia aut grãves

ves denuntiantur tempeſtates: Plinius libri decimi octavi capite triceſimo quinto. *Soles*] Serenitates: Metonymia efficientis pro effectu. *Signis*] Paulò antè fuit,

Atq; hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis.

Nec fratris] Secundum ſignum, è claritate Lunæ orientis: hujus enim verſus hæc ſententia eſt: Nec Luna obnoxia radiis fratris videtur obtuſa ſurgere. *Fratris*] Solis: cujus eſt ſoror, cùm Latonæ gemelli ſint. *Tenuia*] Tertium, de floccorum volatu. Eſt autem floccus particula lanæ diviſa à velleribus, inutiliter evolans. *Tenuia*] Proceleuſmaticus quatuor brevium pro dactylo. *Non tepidum*] Quartum, de Alcedoniis diebus, nempe quibus Alcedones nidificant. eſt autem Alcedo, vel, ut Græcis eſt, Alcyon, avis paulo amplior paſſere, colore cyaneo, ex parte majore, tantùm purpureis & candidis admiſtis pennis, collo gracili ac procero: ſeptemque diebus ante Brumam nidificat in mari, & ſeptem poſtea fœtificat: qui dies, Halcyonides Græcis, Halcedonii Latinis dicuntur: quibus diebus mare placidum & navigabile eſt: Plinius libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo, & libri decimi capite triceſimo ſecundo, & libri decimi octavi capite viceſimo ſexto. Hinc proverbium & apud Plautum in Caſſina:

Halcedonia ſunt circa forum:

pro ſumma tranquillitate. Græcis, ut ait Eraſmus, uſitatum proverbium, Ἀλκυονίδας ἡμέρας ἄγεις, Halcyonios dies agis. ἅλς, mare: κύω pario. hinc: ἀλκυὼν, velut in mari pariens dicitur. *Dilecta Thetidi*] Ceyx, filius Luciferi uxorem habuit Halcyonen. à qua cùm prohibitus iſſet ad cōſulendum Apollinem de ſtatu regni, naufragio ipſe periit, & ob id Halcyone ſe in mare præcipitavit: tumque miſeratione Thetidos & Luciferi in Halcyones aves ambo ſunt converſi, pro quibus Halcyon eſt communis. hæc è Servio. Cauſſa verò cur dilectæ Thetidi dicantur, phyſica eſt, quòd maria fœturæ Halcyonum ſubſternantur. *Non ore*] Quintum, de ſuibus non jactantibus manipulos, cùm pabulum rimantur. Aratus:

—— οὐδὲ σύες φορυτῷ ἐπιμαργαίνουσι.

neque ſues in luto furentes.

Simili negatione ſuperiora ſigna conſtant: ſtellæ non obtuſæ: non obtuſa Luna: non feruntur vellera: Halcyones non pandunt alas. *Immundi*] Lutulenti. *Aut nebula*] Sextum, è nebularum depreſſione. Aratus:

Εἰ δέ κεν ἠερόεσσα παρὲξ ὄρεος μεγάλοιο
Πυθμένα τείνηται νεφέλη, ἄκραι δὲ κολῶναι
Φαίνωνται καθαροὶ, μάλα κεν τόθ' ὑπεύδιος εἴης.
Εὔδιος κ' εἴης καὶ ὅτε πλατέος παρὰ πόντου
Φαίνηται χθαμαλὴ νεφέλη, μηδ' ὑψόθι κύρῃ,
Ἀλλ' αὐτοῦ πλαταμῶνι παραθλίβηται ὁμοίη:
Cæterùm ſi tenuis per montis magni
Vallem extendatur nebula, ſumma verò cacumina
Appareant pura, valde tunc ſerenus fueris.
Serenus ſanè fueris etiã, quando vaſtũ circa pontum
Videtur humilis nebula, neq; in alto exiſtit,
Sed inibi planiciei maritimæ deprimitur ſimilis.

Solis] Septimum, de veſpertino ſilentio noctuæ. noctua enim eſt in imbre garrula: at ſereno, tempeſtatem. Plinius libri decimioctavi capite triceſimoquinto. Ergo ſilentium, ſerenitatis præſagium eſt. Noctua autem, lucifuga avis: de cujus contra cęteras aves ſolerti dimicatione Plinius libri decimi capite decimoſeptimo. Nyctimene cum patre concubuit: at facinore cognito, in ſylvis delituit: ubi Deorum voluntate converſa eſt in avem omnibus avibus admirabilem, ait Servius. Νυκτιμένη autem Græcis eſt, quæ nobis Noctua. Aratus:

---- καὶ νυκτερίη γλαύξ
Ἥσυχον ἀείδουσα, μαραινομένου χειμῶνος
Γινέσθω τοι σῆμα.

& nocturna noctua
Tranquillè canens, marceſcentis tempeſtatis
Eſto tibi ſignum.

Nequicquam] Id eſt, Non: & hoc ſignum negatione definitur, ut ſuperiora. *Apparet*] Octavum, de Niſo perſequen-

ſequente Scyllam. Fabula jam nobis expoſita eſt ſexta ecloga: pleniſſimè autem in opuſculo Virgilii, cujus totum argumentum in hac fabula conſumitur, quomodo Niſus, rex Megarenſium, mutatus eſt in Haliæetum, ſpeciem Aquilæ, quæ pullos ſuos implumes etiamnum percutiens ſubinde cogit adverſos Solis radios intueri: &, ſi conniventem humectantemque animadvertit, præcipitat è nido, velut adulterinum & degenerem: illum cujus acies contrà ſteterit, educat: Plinius libri decimi capite tertio. Falconem quidam putant. Scylla in Cirim avem mutata, quæ putatur eſſe caſſita ſeu galerita aut alauda. *Purpurea*] Fatalis fuerat Niſo coma purpurea, & quamdiu ea duraret, tamdiu regnum ejus duraturum. Itaq; cùm Scylla patri detractam comam Minoi hoſti obtuliſſet, Megara capta eſt. Ergo à perditrice filia pater has ſceleris pœnas repetit. Similis fati fuerat Samſoni ſua coma. *Scyila*] Quidam putant piſcem eſſe: at. Virgilius in Ciri avem deſcribit, & metamorphoſim inſtituit:

----gracili mentum producere roſtro:
Tum qua ſe medium capitis diſcrimen agebat,
Ecce repente velut patrios imitatus honores,
Puniceam concuſſit apex in vertice criſtam:
At mollis varios intexens pluma colores,
Marmoreum volucri veſtivit tegmine corpus,
Lentaq; perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partes, minioq; infecta rubenti
Crura, novamq; aciem obduxit ſqualida pellis:
Et pedibus teneris ungues confixit acutos.

Et Ovidius eandem fabulam octavo Metamorphoſeos ſimiliter interpretatur. *Quacunque*] Hi quatuor poſtremi verſus è Ciri repetuntur, ubi præponitur comparatio hæc:

Namq; ut in æthereo ſignorum munere præſtans
(Unum quem duplici ſtellarum munere vidi)
Scorpius alternis clarum fugat Oriona:
Sic inter ſeſe triſtes Haliæetus iras
Et Ciris memori ſervant ad ſecula fato.

Quacunque illa levem fugiens ſec----

Tum liquidas] Nonum de clara & geminata crocitatione corvorum. *Cubilibus*] Non ubi fœtificant, ſed ubi cubant. Nam Virgilius videtur hîc dicere corvos præſenſione futuræ ſerenitatis, de reviſendis pullis admoneri. Plinius autem ait corvos oblivioſos eſſe, & plerumque ad nidos ſuos non reverti. ſed quadam ratione naturę hęc congerunt ad ſuos nidos, quæ vermes poſſint creare: ex quib⁹ relicti eorum pulli aluntur. Horum oblivionem probat ex abſconditis rebus quas relinquunt. quod etiam muſtelæ dicuntur efficere. Hæc Servius ait Plinium dicere: locum ubi dicat requiſito. Plin. certè ait libri decimi capite duodecimo, à corvis pullos è nidis expelli, & ad volandũ cogi, & carnibus ali, & robuſtos longius fugari. attamen hæc corvorum oblivio videtur à Davide Pſal. 146. ſignificari, cùm ait: Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Et fortaſſis ſecundo Faſtorum ob eandem cauſſam corvus, cùm miſſus eſſet ab Apolline, fingitur

Immemor imperij ſediſſe ſub arbore ----

& modò, ut dixi, Virgilius dicere videtur, corvos pullorum oblitos, de his reviſendis præſagio ſerenitatis admoneri. Aratus:

Καὶ κόρακες μοῦνοι μὲν ἐρημαῖοι βοόωντες
Δισσάκις, αὐτὰρ ἔπειτα μέγα θρόα κεκλήγοντες,
Πλειότεροι δ' ἀγεληδὸν ἐπὴν κοίτοιο μέδωνται
Φωνῆς ἔμπλειοι· χαίρειν κέ τις οἰήσαιτο.
Οἷα τὰ μὲν βοόωσι λιγαινομένοισιν ὁμοῖα·
Πολλὰ δὲ δενδρείοιο περὶ φλόον, ἄλλοτ' ἐπ' αὐτοῦ
Ἧχί τε κείουσιν, καὶ ὑπότροποι ἀπτερύονται.

Item corvi privati & ſolitarij vociferantes
Ingeminanter, ac poſtea turmatim clamitantes,
Frequentius verò congregati, quando cubilis memores ſunt
Voce pleni: lætari etiam quis putaverit:

Sic

Sic enim vociferantur jucundantium in morem.
Sæpe item arboris per ramos, quandoq; ſuper ipſam
Ubi cubant, etiam reduces alas excutiunt.

Neſcio qua] Repetitur hic verſus ex parte quarto Georgico de apibus, ubi flores legerint:

----hinc neſcio qua dulcedine læta,
Progeniem nidosque fovent.

Haud equidem] Prolepſis de cauſſa horum in mutis animantibus præſagiorum per diſſimilitudinem: Id quidem ratione & futuri prudentia, qualis fuerit in hominibus, non faciunt: ſed naturali aëriæ affectionis & qualitatis ſenſu, quo impelluntur. poſſit enim prudentia quædam videri, ut quarto Georgico de apibus dicitur:

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusq; maris, cœlumq; profundum.

Et hujus ſententiæ fuit author Pythagoras, qui linguas etiam avium interpretandas ſuſceperat. Pythagoream igitur hanc opinionem Virgilius modò non probat. *Fato*] Aſtrologico intellige, cui ratio poſſit obſiſtere, atque adeo imperare. *Jupiter*] Aër: Metonymia. *Denſat denſa*] Paronomaſia. *Species*] Affectiones. *Animorum*] Animus, conſilii eſt: anima, vitæ, ait Servius decimo Æneidos, verſu

Una eademq; via ſanguisq; animusq; ſequuntur.

Differentia tamen hæc confunditur, ut hîc animus corvis attribuitur. *Lætæ pecudes*] Decimum præſagium hîc notari poſſit, à Plinio etiam diſtinctum libri decimi octavi capite triceſimo quinto: Nec mirum aquaticas, aut in totum volucres, præſagia aëris ſentire: pecora exultantia, & indecora laſcivia ludentia, eandem ſignificationem habent. *Ovantes*] Metaphora ut antea,

---ſocii comitantur ovantes.

Si verò Solem ad rapidum Lunasq; ſequentes
Ordine reſpicies, nunquam te craſtina fallet

Hora: neque inſidiis noctis capiere ſerenæ.
Luna revertentes quum primùm colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoq́ parabitur imber.
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit. vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namque is certiſſimus author)
Pura, neque obtuſis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem, pluvia ventisq́ carebunt:
Votaq́ ſervati ſolvent in littore nautæ
Glauco & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoq́ & exo iens, & quum ſe condet in undas,
Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequentur,
Et quæ manè refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioq́ refugerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres: (namque urget ab alto,
Arboribusq́ ſatisq́ Notus pecoriq́ ſiniſter)
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila, ſeſe
Diverſi erumpent radii: aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Heu malè tum mites defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo quum jam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis. nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cœruleus pluviam denuntiat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisq́ videbis

Ferve-

Fervere. non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat convellere funem.
At ſi, quum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit, fruſtra terrebere nimbis,
Et claro ſylvas cernes Aquilone moveri.
Denique quid veſper ſerus vehat, unde ſerenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auſter:
Sol tibi ſigna dabit. Solem quis dicere falſum
Audeat?

Si verò] Prognoſtica Solis & Lunæ proponit: ſed ὕστερον πρότερον tria Lunæ prognoſtica deſcribit. *Craſtina*] Poſtera, ſequens. *Hora*] Dies: ſynecdoche partis pro toto. *Luna*] Primum præſagium, Luna creſcens obſcura, pluviam terra mariq́ue denuntiat. *At ſi*] Luna creſcens rubea ſignificat ventos. *Virgineum*] Metaphora: Qualis eſt in virginibus. *Sin ortu*] Tertium, Luna creſcens pura, ſignificat ſerenitatem reliqui menſis. *Quarto*] Quartam Lunam maximè obſervat Ægyptus. ſi ſplendens exorta, puro nitore fulſerit, ſerenitatem: ſi rubicunda, ventos: ſi nigra, pluvias portendere creditur: Plinius libri decimi octavi capite triceſimoquinto. ubi quædam ſunt à Virgilii prognoſticis paulò diverſa: ſed alia complura eodem capite tradit idem author de diebus Lunæ, quos ferè omnes perſequitur, tertium, quartum, quintum, ſeptimum, undecimum, plenilunium, decimumquintum, decimumſextum, decimumnonum, viceſimumtertium, viceſimumſeptimum, interlunium. Aratus etiam prior & permulta docuit, ſed hæc tria præcipuè comprehendit:

Πάντῃ γὰρ καθαρῇ κε μάλ' εὔδια τεκμήραιο·
Πάντῃ δ' ἐρευθομένῃ, δοκέειν ἀνέμοιο κελεύθους·
Ἄλλοθι δ' ἄλλο μελαινομένῃ, δοκέειν ὑετοῖο.
Omnino enim pura cùm eſt, ſerenitatem obſervato:
Omnino verò rubente, conjicito venti meatus:
Aliàs aliter nigricante, conjicito pluviam.

Naſcentur] Repetitur Æneidos tertio:

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Pluvia ventiſque carebunt] Sereni erunt. *Votaque*] Illuſtratio ex adjunctis, quòd tãta ſit futura ſerenitas, ut nautę à tempeſtatibus liberi, marinis Diis ſacra faciant. *Glauco*] Glaucus, Deus maris. Fuit autẽ piſcator primò, qui piſces captos ſupra ripam explicauit, dum retia ſiccarentur. At illi contacta herba colligentes ſeſe in mare proſilierunt. Glaucus eam herbam deguſtans, immortalitatem aſſecutus eſt, ut eſt decimotertio Metamorph. apud Ovidium. *Panopeæ*] Panope, & Panopea, metri cauſſa, Doridis filia, nympha maris. Nomen à perſpicuitate factum: πᾶν, totum, ὀπτεύω, video. *Inoo*] Ino, Cadmi filia, Græcis Λευκοθέα, Latinis Matuta: (de qua apud Ovidium ſexto Faſtorum, & quarto Metamorphoſεων) mater Melicertæ, qui hinc Inous dicitur. *Melicertæ*] Melicerta, Deus maris cum matre Ino. Palæmon etiã Græcis, Latinis verò Portumnus dicitur. *Glauco*] Hunc verſum Virgilius à Parthenio, quo in Græcis præceptore uſus eſt, (ait Erythræus) accepit:

Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ, καὶ εἰναλίῳ Μελικέρτῃ·

Glauco & Nereo, & marino Melicertæ.

Vide Gellium libri decimitertii capite viceſimoquinto. *Sol quoque*] Prognoſtica Solis Orientis & Occidentis ſeptem ſequuntur. Aratus:

Ἠελίοιο δέ τοι μελέτω ἑκάτερθεν ἰόντος·
Ἠελίῳ καὶ μᾶλλον ἐοικότα σήματα κεῖται·
Ἀμφότερον δυώοντι, καὶ ἐκ περάτης ἀνιόντι.
Solis autem tibi cura ſit utrinque euntis:
Soli etiam magis nota ſigna ponuntur:
Utrobique, occidenti, & ex imo aſcendenti.

Quo loco ſeptem Virgilii ſequentia ſigna; & alia complura deſcribuntur. *Et quæ*] Nota duplicem hîc ortum, κοσμικὸν Solis, & ἀκρόνυχον ſiderum: Solis occaſus definitur. Solis autem ſigna vigintiſeptem Plinius libri decimioctavi capite triceſimoquinto proponit, è Sole, Solis radiis, & circulis. *Ille*] Orientis tria ſigna: primum,

primum, eſt pluviæ, ſi Sol oriens fuerit maculoſus: quò referri poſſunt quatuor Plinii ſigna, ſcilicet, oriens concavus, & radii ejus non illuſtres eminentes, aut longè per nubes porrecti, & ipſe medius inanis: tum nubes nigræ rubentibus intervenientes. *Arboribus*] Auſtri, qui Græcis eſt νότος, natura hic mirificè comprehenditur, ut peſtilens arboribus, frugibus, pecoribus. *Aut ubi*] Secundum & tertium, grandinis, è Solis interruptis obſcura nube radiis, & ex ipſo oriente pallido: quò referri poſſunt quatuor præterea Plinii ſigna de radiis præcedentibus, de nubibus præcedentibus, tum conglobatis, tum rubeis & ſparſis partim ad Auſtrum, partim ad Aquilonem. *Tithoni*] Tithonus, frater Laomedontis, maritus Auroræ, & in cicadam converſus. Hoc autem verſu definitur ortus Solis. Aurora enim propriè eſt diluculum, dicta quia ab igne Solis aureo aëre areſcit, ait Varro de lingua Latina. Hic autem verſus repetitur quarto Æneidos:

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Item nono:

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Heu magnum] Talis exclamatio fuit antea:

Heu magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum!

Hoc etiam] Occidentis Solis tria ſigna ex adjunctis coloribus. *Emenſo.*] percurſo, paſſivè dictum. *Olympo*] Cælo, ut antea jam ſæpius. *Igneus*] Candens Plinio Sol dicitur ad idem ſignum. *Sin maculæ*] Huc duo Plinii ſigna referri poſſunt: de puro ortu & non fervente: de nubibus ab ortu repulſis & ad occaſum abeuntibus: de orientis Solis orbe æqualiter diffluente: de nubibus occidentis rubentibus: de ſereno tum occidente, tum oriente ſequente, ait Plinius. Præterea ad pluviam tria ſigna, ex orientis & occidentis tum rubentibus tum contractis radiis, & incumbentibus à Meridie nubibus: ad ventum tria, de nubibus incumbentibus, de

ſam] Quia plumæ prohibent aquam. Hoc auté præſagiū, ut ſuperiora, ex Varrone in illis verſibus ſunt libro quinto:

Tum liceat pelagi volucres tardaque paludis,
Cernere inexpleto ſtudio certare lavandi,
Et velut inſolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo:
Et bos ſuſpiciens cœlum (mirabile viſu)
Naribus aërium patulis decerpſit odorem.
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Tum cornix] Undecimum, de nimia cornicatione cornicis. *Improba*] Moleſta. Aratus:

Ἤ που καὶ λακέρυζα παρ' ἠϊόνι προὐχούσῃ
Χείματος ἐρχομένου, χέρσῳ ὑπέκυψε κορώνη·
Ἤ που καὶ ποταμοῖο ἐβάψατο μέχρι παρ' ἄκρους
Ὤμους ἐκ κεφαλῆς, ἢ καὶ μάλα πᾶσα κολυμβᾷ,
Ἢ πολλὴ στρέφεται παρ' ὕδωρ παχέα κρώζουσα.
Aut alicubi etiam garrula ad littus prominens
Tempeſtate inſtante, terra ſubſidit cornix:
Aut etiam flumini ſe immerſit uſq; ad ſummos
Humeros à capite, vel etiam plane tota ſubternatat,
Vel frequens verſatur propè undam craſsè crocitans.

Sola] Contrarium mox erit de corvis:

Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces.

Nam plures & voce tenui ſerenum denuntiant.

Et ſola ſicca ſecum ſpatiatur] Sigmatiſmos ejuſmodi eſt quinto Æneidos:

Tum rauca aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant.

Hic ejuſdem literæ concurſus non minùs eſt jucundus quàm notabilis: recteq; hic ab Erythræo Virgilius adverſus Servium & Quintilianum defenditur, hunc concurſum ut vitioſum damnantes. *Nec nocturna*] Duodecimum ex lucernæ oleo ſcintillante. Aratus:

Ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρωνται περὶ μύξαν,
Νύκτα κατὰ σκοτίην· μηδ' ἢν ὑπὸ χείματος ὥρη
Λύχνων ἄλλοτε μέν τε φάος κατὰ κόσμον ὀρώρη,

Ἄλλοτ

Ἄλλοτε δ' ἀίσσωσιν ἀπὸ φλόγες, ἠΰτε κοῦφαι
Πομφόλυγες· μηδ' εἴ κεν ἐπ' αὐτόφι μαρμαίρωσιν
Ἀκτῖνες.
Aut lucernæ fungi congregentur circa labium,
Noctem per caliginoſam: nec ſi ſub hyemis tempore
Lucernarũ aliâs quidem lumen decenter moveatur,
Aliâs verò delabantur flammæ, ceu leves
Bullæ: neque ſi in ipſa lucerna ſplendeant
Radij.

Teſta] Teſtacea lucerna: Metonymia materiæ pro materiato opere. Ridiculum eſt, quod hîc ait Servius, non dici lucernam, quia vilius ſit, non lychnum, quia gravius: ſed medium, teſtam, quia medius hîc ſit ſtylus. *Fungos*] Nam, ut ait Plinius, cùm aër humidus eſſe cœperit, favilla, quæ cum fumo ſolet egredi, prohibita aëris craſſitate, in lucernis reſidet, & quaſdam velut fungorum imitatur imagines. Hæc Servius Plinio attribuit, neque locum citat. At Plinius libri decimiooctavi capite triceſimo quinto de præſagiis ignis ſic ait: Ab his terreni ignes proximè ſignificant. pallidi namque murmuranteſque, tempeſtatum nuntii ſentiuntur: pluviæ etiam, in lucernis fungi. ſi flexuosè volitet flamma, ventum: & lumina cùm ex ſeſe flammas elidunt, aut vix accenduntur: item cùm in eo ſplendentes coacervantur ſcintillæ: vel cùm tollentibus ollas carbo cohæreſcit, aut cùm contectus ignis è ſe favillam diſcutit, ſcintillamve emittit: vel cùm ignis in foco concreſcit, & cùm carbo vehementer perlucet. Hæc ibi Plinius de præſagiis ignis ad pluviam, ſed multò pluribus ad ventum. Quare cùm Servius Plinium vel authorem alium citabit, negligentiæ culpa tibi non fuerit, ſi authores ipſos adeas, & convenias, an ea ſentiant.

Nec minùs ex imbri Soles & aperta ſerena
Proſpicere & certis poteris cognoſcere ſignis.
Nam neq; tum ſtellis acies obtuſa videtur,
Nec fratris radiis obnoxia ſurgere Luna,

Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad Solem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones. non ore ſolutos
Immundi meminere ſues jactare maniplos.
At nebulæ magis ima petunt, campoq; recumbunt;
Solis & occaſum ſervans, de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet Noctua cantus.
Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus:
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacunq; illa levem fugiens ſecat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
Inſequitur Niſus: quà ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat æthera pennis.
Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant, & ſæpe cubilibus altis
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti,
Inter ſe in foliis ſtrepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulceſq; reviſere nidos.
Haud equidem, credo, quia ſit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verùm, ubi tempeſtas & cœli mobilis humor
Mutavere vias, & Iupiter humidus auſtris
Denſat erant quæ rara modò, & quæ denſa, relaxat;
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.

Nec minus] Serenitatis ſigna novem deſcribuntur. Primum, è claritate ſtellarum. nam cùm earũ fulgor obumbratur, & id neque nubilo neque caligine, pluvia aut gra-

ves

ves denunciantur tempeſtates: Plinius libri decimi octavi capite triceſimo quinto. *Soles*] Serenitates: Metonymia efficientis pro effectu. *Signis*] Paulò antè fuit,

Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis.

Nec fratris] Secundum ſignum, è claritate Lunæ orientis: hujus enim verſus hæc ſententia eſt: Nec Luna obnoxia radiis fratris videtur obtuſa ſurgere. *Fratris*] Solis: cujus eſt ſoror, cùm Latonæ gemelli ſint. *Tenuia*] Tertium, de floccorum volatu. Eſt autem floccus particula lanæ diviſa à velleribus, inutiliter evolans. *Tenuia*] Proceleuſmaticus quatuor brevium pro dactylo. *Non tepidum*] Quartum, de Alcedoniis diebus, nempe quibus Alcedones nidificant. eſt autem Alcedo, vel, ut Græcis eſt, Alcyon, avis paulo amplior paſſere, colore cyaneo, ex parte majore, tantùm purpureis & candidis admiſtis pennis, collo gracili ac procero: ſeptemque diebus ante Brumam nidificat in mari, & ſeptem poſtea fœtificat: qui dies, Halcyonides Græcis, Halcedonii Latinis dicuntur: quibus diebus mare placidum & navigabile eſt: Plinius libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo, & libri decimi capite triceſimo ſecundo, & libri decimi octavi capite viceſimo ſexto. Hinc proverbium & apud Plautum in Caſſina:

Halcedonia ſunt circa forum:

pro ſumma tranquillitate. Græcis, ut ait Eraſmus, uſitatum proverbium, Ἀλκυονίτιδας ἡμέρας ἄγεις, Halcyonios dies agis. ἅλς, mare: κύω pario. hinc: ἀλκυὼν, velut in mari pariens dicitur. *Dilecta Thetidi*] Ceyx, filius Luciferi uxorem habuit Halcyonen. à qua cùm prohibitus iſſet ad cõſulendum Apollinem de ſtatu regni, naufragio ipſe periit, & ob id Halcyone ſe in mare præcipitavit: tumque miſeratione Thetidos & Luciferi in Halcyones aves ambo ſunt converſi, pro quibus Halcyon eſt communis. hæc è Servio. Cauſſa verò cur dilectæ Thetidi dicantur, phyſica eſt, quòd maria fœturæ Halcyonum ſubſternantur. *Non ore*] Quintum, de ſuibus non jactantibus manipulos, cùm pabulum rimantur. Aratus:

——— ἠδὲ σύες φορυτῷ ἐπιμαργαίνουσαι.

neque ſues in luto furentes.

Simili negatione ſuperiora ſigna conſtant: ſtellæ non obtuſæ: non obtuſa Luna: non feruntur vellera: Halcyones non pandunt alas. *Immundi*] Lutulenti. *Aut nebula*] Sextum, è nebularum depreſſione. Aratus:

Εἰ γέ μὲν ἠερόεσσα πάρεξ ὄρεος μεγάλοιο
Πυθμένα τείνηται νεφέλη, ἄκραι δὲ κολῶναι
Φαίνωνται καθαροὶ, μάλα κὲν τόθ' ὑπεύδιος εἴης.
Εὔδιος κ' εἴης καὶ ὅτε πλατέος περὶ πόντου
Φαίνηται χθαμαλὴ νεφέλη, μηδ' ὑψόθι κύρῃ,
Ἀλλ' αὐτοῦ πλαταμῶνι παραθλίβηται ὁμοίη:
Caterùm ſi tenuis per montis magni
Vallem extendatur nebula, ſumma vero cacumina
Appareant pura, valde tunc ſerenus fueris.
Serenus ſanè fueris etiã, quando vaſtũ circa pontum
Videtur humilis nebula, neq; in alto exiſtit,
Sed inibi planiciei maritima deprimitur ſimilis.

Solis] Septimum, de veſpertino ſilentio noctuæ. noctuà enim eſt in imbre garrula: at ſereno, tempeſtatem. Plinius libri decimioctavi capite triceſimoquinto. Ergo ſilentium, ſerenitatis præſagium eſt. Noctua autem, lucifuga avis: de cujus contra cęteras aves ſolerti dimicatione Plinius libri decimi capite decimoſeptimo. Nyctimene cum patre concubuit: at facinore cognito, in ſylvis delituit: ubi Deorum voluntate converſa eſt in avem omnibus avibus admirabilem, ait Servius. Νυκτιμένη autem Græcis eſt, quæ nobis Noctua. Aratus:

---- καὶ νυκτερίη γλαὺξ
Ἥσυχον ἀείδουσα, μαραινομένου χειμῶνος
Γινέσθω τοι σῆμα.

& nocturna noctua
Tranquillè canens, marceſcentis tempeſtatis
Eſto tibi ſignum.

Nequicquam] Id eſt, Non: & hoc ſignum negatione definitur, ut ſuperiora. *Apparet*] Octavum, de Niſo perſequen-

ſequente Scyllam. Fabula jam nobis expoſita eſt ſexta ecloga: pleniſſimè autem in opuſculo Virgilii, cujus totum argumentum in hac fabula conſumitur, quomodo Niſus, rex Megarenſium, mutatus eſt in Haliæetum, ſpeciem Aquilæ, quæ pullos ſuos implumes etiamnum percutiens ſubinde cogit adverſos Solis radios intueri: &, ſi conniventem humectantemque animadvertit, præcipitat è nido, velut adulterinum & degenerem: illum cujus acies contrà ſteterit, educat: Plinius libri decimi capite tertio. Falconem quidam putant. Scylla in Cirim avem mutata, quæ putatur eſſe caſſita ſeu galerita aut alauda. *Purpurea*] Fatalis fuerat Niſo coma purpurea, & quamdiu ea duraret, tamdiu regnum ejus duraturum. Itaq; cùm Scylla patri detractam comam Minoi hoſti obtuliſſet, Megara capta eſt. Ergo à perditrice filia pater has ſceleris pœnas repetit. Similis fati fuerat Samſoni ſua coma. *Scylla*] Quidam putant piſcem eſſe: at Virgilius in Ciri avem deſcribit, & metamorphoſim inſtituit:

----gracili mentum producere roſtro:
Tum qua ſe medium capitis diſcrimen agebat,
Ecce repente velut patrios imitatus honores,
Puniceam concuſſit apex in vertice criſtam:
At mollis varios intexens pluma colores,
Marmoreum volucri veſtivit tegmine corpus,
Lentaq; perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partes, minioq; infecta rubenti
Crura, novamq; aciem obduxit ſqualida pellis:
Et pedibus teneris ungues confixit acutos.

Et Ovidius eandem fabulam octavo Metamorphoſeos ſimiliter interpretatur. *Quacunque*] Hi quatuor poſtremi verſus è Ciri repetuntur, ubi præponitur comparatio hæc:

Namq; ut in æthereo ſignorum munere præſtans
(Unum quem duplici ſtellarum munere vidi)
Scorpius alternis clarum fugat Oriona:
Sic inter ſeſe triſtes Haliaetus iras
Et Ciris memori ſervant ad ſecula fato.

Quacunq́; illa levem fugiens ſec----

Tum liquidas] Nonum de clara & geminata crocitatione corvorum. *Cubilibus*] Non ubi fœtificant, ſed ubi cubant. Nam Virgilius videtur hîc dicere corvos præſenſione futuræ ſerenitatis, de reviſendis pullis admoneri. Plinius autem ait corvos obliviosos eſſe, & plerumque ad nidos ſuos non reverti. ſed quadam ratione naturę hęc congerunt ad ſuos nidos, quæ vermes poſſint creare: ex quib⁹ relicti eorum pulli aluntur. Horum oblivionem probat ex abſconditis rebus quas relinquunt. quod etiam muſtelæ dicuntur efficere. Hæc Servius ait Plinium dicere: locum ubi dicat requirito. Plin. certè ait libri decimi capite duodecimo, à corvis pullos è nidis expelli, & ad volandū cogi, & carnibus ali, & robuſtos longiùs fugari. attamen hæc corvorum oblivio videtur à Davide Pſal. 146. ſignificari, cùm ait: Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Et fortaſſis ſecundo Faſtorum ob eandem cauſſam corvus, cùm miſſus eſſet ab Apolline, fingitur

Immemor imperij ſediſſe ſub arbore ----

& modò, ut dixi, Virgilius dicere videtur, corvos pullorum oblitos, de his reviſendis præſagio ſerenitatis admoneri. Aratus:

Καὶ κόρακες μοῦνοι μὲν ἐρημαῖοι βοόωντες
Δισσάκις, αὐτὰρ ἔπειτα μεταθρόα κεκλήγοντες,
Πλειότεροι δ' ἀγεληδὸν ἐπὴν κοίτοιο μέδωνται
Φωνῆς ἔμπλειοι· χαίρειν κέ τις οἰήσαιτο.
Οἷα τὰ μὲν βοόωσι λιγαινομένοισιν ὁμοῖα.
Πολλὰ δὲ δενδρείοιο περὶ φλόον, ἄλλοτ' ἐπ' αὐτὸν
Ἧχί τε κείουσιν, καὶ ὑπότροποι ἀπτερύονται.

Item corvi privati & ſolitarij vociferantes
Ingeminanter, ac poſtea turmatim clamitantes,
Frequentius verò congregati, quando cubilis memores ſunt
Voce pleni: lætari etiam quis putaverit:

Sic

Sic enim vociferantur jucundantium in morem.
Sæpe item arboris per ramos, quandoq; ſuper ipſam
Ubi cubant, etiam reduces alas excutiunt.

Neſcio qua] Repetitur hic verſus ex parte quarto Georgico de apibus, ubi flores legerint:

---hinc neſcio qua dulcedine læta,
Progeniem nidosque fovent.

Haud equidem] Prolepſis de cauſſa horum in mutis animantibus præſagiorum per diſſimilitudinem: Id quidem ratione & futuri prudentia, qualis fuerit in hominibus, non faciunt: ſed naturali aëriæ affectionis & qualitatis ſenſu, quo impelluntur. poſſit enim prudentia quædam videri, ut quarto Georgico de apibus dicitur:

His quidam ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusq; maris, cœlumq; profundum.

Et hujus ſententiæ fuit author Pythagoras, qui linguas etiam avium interpretandas ſuſceperat. Pythagoream igitur hanc opinionem Virgilius modò non probat. *Fato*] Aſtrologico intellige, cui ratio poſſit obſiſtere, atque adeo imperare. *Jupiter*] Aër: Metonymia. *Denſat denſa*] Paronomaſia. *Species*] Affectiones. *Animorum*] Animus, conſilii eſt: anima, vitæ, ait Servius decimo Æneidos, verſu

Una eademq; via ſanguisq; animusq; ſequuntur.

Differentia tamen hæc confunditur, ut hîc animus corvis attribuitur. *Læta pecudes*] Decimum præſagium hîc notari poſſit, à Plinio etiam diſtinctum libri decimi octavi capite triceſimo quinto: Nec mirum aquaticas, aut in totum volucres, præſagia aëris ſentire: pecora exultantia, & indecora laſcivia ludentia, eandem ſignificationem habent. *Ovantes*] Metaphora ut antea,

- --ſocii comitantur ovantes.

Si verò Solem ad rapidum Lunasq; ſequentes
Ordine reſpicies, nunquam te craſtina fallet

Hora: neque inſidiis noctis capiere ſerenæ.
Luna revertentes quum primùm colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoq; parabitur imber.
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit. vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namque is certiſſimus author)
Pura, neque obtuſis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem, pluvia ventiſq; carebunt:
Votaq; ſervati ſolvent in littore nautæ
Glauco & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoq; & exoriens, & quum ſe condet in undas,
Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequentur,
Et quæ manè refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioq; refugerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres: (namque urget ab alto,
Arboribuſq; ſatiſq; Notus pecoriq; ſiniſter)
Aut ubi ſub lucem denſa inter nubila, ſeſe
Diverſi erumpent radii: aut ubi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Heu malè tum mites defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo quum jam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis. nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbiſq; videbis

Ferve-

Fervere. non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat convellere funem.
At ſi, quum referetq́; diem, condetq́; relatum,
Lucidus orbis erit, fruſtra terrebere nimbis,
Et claro ſyluas cernes Aquilone moveri.
Denique quid veſper ſerus vehat, unde ſerenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auſter:
Sol tibi ſigna dabit. Solem quis dicere falſum
Audeat?

Si verò] Prognoſtica Solis & Lunæ proponit: ſed ὕστερον πρότερον tria Lunæ prognoſtica deſcribit. *Craſtina*] Poſtera, ſequens. *Hora*] Dies: ſynecdoche partis pro toto. *Luna*] Primum præſagium, Luna creſcens obſcura, pluviam terra mariq́ue denuntiat. *At ſi*] Luna creſcens rubea ſignificat ventos. *Virgineum*] Metaphora: Qualis eſt in virginibus. *Si ortu*] Tertium, Luna creſcens pura, ſignificat ſerenitatem reliqui menſis. *Quarto*] Quartam Lunam maximè obſervat Ægyptus. ſi ſplendens exorta, puro nitore fulſerit, ſerenitatem: ſi rubicunda, ventos: ſi nigra, pluvias portendere creditur: Plinius libri decimi octavi capite triceſimoquinto. ubi quædam ſunt à Virgilii prognoſticis paulò diverſa: ſed alia complura eodem capite tradit idem author de diebus Lunæ, quos ferè omnes perſequitur, tertium, quartum, quintum, ſeptimum, undecimum, plenilunium, decimumquintum, decimumſextum, decimumnonum, viceſimumtertium, viceſimumſeptimum, interlunium. Aratus etiam prior & permulta docuit, ſed hæc tria præcipuè comprehendit:

Πάντῃ γὰρ καθαρῇ κε μάλ' εὔδια τεκμήραιο·
Πάντα δ' ἐρευθομένῃ, δοκέειν ἀνέμοιο κελεύθους·
Ἄλλοθι δ' ἄλλο μελαινομένῃ, δοκέειν ὑετοῖο.
Omnino enim pura cùm eſt, ſerenitatem obſervato:
Omnino verò rubente, conjicito venti meatus:
Aliàs aliter nigricante, conjicito pluviam.

primum, eſt pluviæ, ſi Sol oriens fuerit maculoſus: quò referri poſſunt quatuor Plinii ſigna, ſcilicet, oriens concavus, & radii ejus non illuſtres eminentes, aut longè per nubes porrecti, & ipſe medius inanis: tum nubes nigræ rubentibus intervenientes. *Arboribus*] Auſtri, qui Græcis eſt νότος, natura hic mirificè comprehenditur, ut peſtilens arboribus, frugibus, pecoribus. *Aut ubi*] Secundum & tertium, grandinis, è Solis interruptis obſcura nube radiis, & ex ipſo oriente pallido: quò referri poſſunt quatuor præterea Plinii ſigna de radiis præcedentibus, de nubibus præcedentibus, tum conglobatis, tum rubeis & ſparſis partim ad Auſtrum, partim ad Aquilonem. *Tithoni*] Tithonus, frater Laomedontis, maritus Auroræ, & in cicadam converſus. Hoc autem verſu definitur ortus Solis. Aurora enim propriè eſt diluculum, dicta quia ab igne Solis aureo aër areſcit, ait Varro de lingua Latina. Hic autem verſus repetitur quarto Æneidos:

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Item nono:

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Heu magnam] Talis exclamatio fuit antea:

Heu magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum!

Hoc etiam] Occidentis Solis tria ſigna ex adjunctis coloribus. *Emenſo.*] percurſo, paſſivè dictum. *Olympo*] Cælo, ut antea jam ſæpius. *Igneus*] Candens Plinio Sol dicitur ad idem ſignum. *Sin maculæ*] Huc duo Plinii ſigna referri poſſunt: de puro ortu & non fervente: de nubibus ab ortu repulſis & ad occaſum abeuntibus: de orientis Solis orbe æqualiter diffluente: de nubibus occidentis rubentibus: de ſereno tum occidente, tum oriente ſequente, ait Plinius. Præterea ad pluviam tria ſigna, ex orientis & occidentis tum rubentibus tum contractis radiis, & incumbentibus à Meridie nubibus: ad ventum tria, de nubibus incumbentibus, de

atro circulo Occidentis, quà rumpetur, de orbe Orientem cingente, quà aperitur ad tempeſtatem. Totidem de candido Occidentis circulo, de nubibus ſolem circumcludentibus, quanto minus luminis relinquit, tanto turbidior tempeſtas de duplici orbe. *Claro*] Claritatem faciente & ſerenitatem, Metonymia, ut *pallidus orcus*.

---- Ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemq́ & operta tumeſcere bella.
Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Quum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaq́ æternam timuerunt ſecula noctem.
Tempore quanquam illo tellus quoq́ & æquora ponti,
Obſcœniq́ canes, importunæq́ volucres,
Signa dabant. quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumq́ globos liquefactaq́ volvere ſaxa?
Armorum ſonitum toto Germania cælo
Audijt: inſolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoq́ per lucos vulgo exaudita ſilentes
Ingens: & ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis: pecudesq́ locutæ
Infandum: ſiſtunt amnes: terræq́ dehiſcunt:
Et mœſtum illacrymat templis ebur: æraq́ ſudant.
Proluit inſano contorquens vortice ſylvas
Fluviorum rex Eridanus, camposq́ per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Triſtibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor ceſſavit, & altæ
Per noctem reſonare lupis ululantibus urbes.
Non aliâs cælo ceciderunt plura ſereno.

Fulgu-

Fulgura: nec diri toties arſere cometæ.
Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:
Nec fuit indignum ſuperis bis ſanguine noſtro
Emathiam & latos Æmi pingueſcere campos.
Scilicet & tempus veniet, quum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra rubigine pila,
Aut gravibus raſtris galeas pulſabit inanes,
Grandiaq; effoſſis mirabitur oſſa ſepulcris.
Dij patrij indigetes, & Romule, Veſtaq; mater,
Quæ Thuſcum Tyberim & Romana palatia ſervas,
Hunc ſaltem everſo juvenem ſuccurrere ſeclo
Ne prohibete. ſatis jam pridem ſanguine noſtro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ:
Iam pridem nobis cæli te regia, Cæſar,
Invidet, atq; hominum queritur curare triumphos.
Quippe ubi fas verſum, atq; nefas, tot bella per orbem,
Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos: ſqualent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes
Arma ferunt: ſævit toto Mars impius orbe.
Vt, quum carceribus ſeſe effudere quadrigæ:
Addunt ſe in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Ille etiam] Concluditur primus liber digreſſione in obitum Cæſaris, uno & viginti ſignis veluti deploratum & vindicatum, ut minùs ſint mira tempeſtatum pro-

gnoſtica, cùm rerum etiam humanarum ſigna appareant. De iis ſignis & Plutarchus in vita Cæſaris, & Appianus in Bellis civilibus, & Ovidius decimo quinto Metamorphoſeos. *Cæcus tumultus*] Conjurationes & inſidias. *Operta bella*] Idem mutatis verbis dicit. *Ille etiam*] Primum de Solis defectu, Cæſaris obitum ſecuto: de quo Plinius libri ſecundi capite tricesimo: Fiunt prodigioſi & longiores Solis defectus: qualis occiſo dictatore Cæſare & Antoniano bello, totius penè anni pallore continuo. Ovidius:

---Solis quoq; triſtis imago
Lurida ſollicitis præbebat lumina terris.

Addit præterea,

Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparſus erat, ſparſi lunares ſanguine currus.

Ferrugine] Ferrugo, eſt ferri rubigo. hinc per Metaphoram color compreſſæ purpuræ ruffus, nigroris, ruboris quaſi violaceus. *Secula*] Homines eorum ſeculorum: Metonymia eſt. *Tempore*] Attexuntur reliqua veluti collatione majorum: Quanquam non Sol tantùm ſed etiam pleraque alia oſtenta. *Tellus*] Secundum è terræ motu. *Æquora*] Tertium, ex inundatione maris, parum tamen explicatum. *Obſcœnique*] Quartum, è latratu canum obſcœno. tum enim canes, luporum modo ululatunt. Obſcœnum autem ex ob & cano, interpoſita ſ litera, euphoniæ gratia: abominabilis augurii nomen, ut Æneidos tertio,

Obſcœnas pelagi ferro fœdare volucres:

& tum ſine diphthōgo ſcriberetur, & canes obſcœni dicerentur latratus abominabilis. Alii derivant ab ob & cœnum: vel ἀπὸ τοῦ κυνός. De hoc ſigno Ovidius.

Inque foro, circumq; domos & templa Deorum,
Nocturnos ululaſſe canes ----

Importuna] Quintum, de cantu volucrum funeſtarum, ut ſtrigum, bubonum, noctuarum.

Triſtia mille locis ſtygius dedit omina bubo,

Ovidius. *Quoties*] Sextum, de Ætnæ globis. Ætna autem

autem mons Siciliæ nocturnis mirus incendiis (ait Plinius libri tertii capite octavo) flagrans in tantum, ut quinquagena & centena millia paſſuum arenas flammarum eructet, ait idem libri ſecundi capite centeſimo tertio. Ante mortem autem Cæſaris, Servius ait tantam flammam erupiſſe, ut non modò vicinæ urbes, ſed etiam Rhegina civitas afflaretur. *Cyclopum*] Cyclopes, ut ait Plinius libri ſeptimi capite quinquageſimo ſexto, ærariam & ferream fabricam inveniſſe dicuntur. hinc poëtis facti ſunt miniſtri Vulcani: de quibus octavo Æneidos:

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Brontesque Steropesque. & nudus membra Pyracmon.

Finguntur autem monoculi, ut Polyphemus, oculo uno in fronte rotundo: à κύκλ@, καὶ ὤψ, ὠπὸς, circulus & viſus. *Undantem*] Velut undas facientem: metaphora eſt. *Armorum*] Septimum, de ſonitu armorum: de quo Plinius libri ſecundi capite quinquageſimo ſeptimo: Armorum crepitus, & tubæ ſonitus auditos è cælo Cimbricis bellis accepimus, crebrosq; & priùs & poſtea. Ovidius:

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesq; tubas, auditaque cornua cælo.
Præmonuiſſe nefas----

Inſolitis] Octavum, ex Alpium tremore. Alpibus autem montibus Italia dividitur à Gallia & Germania. *Vox*] Nonum, de vocibus ſpirituum in ſacris lucis: Ovidius,

---- cantusq; feruntur
Auditi ſanctis & verba minacia lucis.

Et ſimulacra] Decimum, de nocturnis umbris:

----umbrasq; ſilentum
Erraviſſe ferunt----

Pecudesque] Undecimum, de pecudum locutione: de qua Euſebius: Bos Romę in ſuburbano ad aratorem locuta eſt fruſtra ſe urgeri: non enim frumenta, ſed homines

brevi defuturos. *Siſtunt*] Duodecimum, de curſu amnium inhibitò. *Terra*] Decimum tertium, de terræ hiatu, *Et mæſtum*] Decimum quartum, de lacrymis eburnearum in téplis ſtatuarum. ebur enim, Metonymia eſt materiæ pro materiato ſuo.

Mille locis lacrymavit ebur----Ovidius.

Æraque] Decimum quintum, de ſignis æneis ſudantibus. *Robur*] Decimum ſextum ſignum, de Eridani inundatione: *Rex Eridanus*] Plinius libri tertii capite decimo ſexto, conſumpſit integrum caput in hiſtoriam hujus fluminis. Oritur è gremio Veſuli montis condenſque ſe cunieulo, & in Forovibienſium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior: nec amnes tantùm Appenninos Alpinoſque navigabiles capiens, ſed lacus quoque immenſos, in eum ſeſe exonerantes: omni numero triginta flumina in mare Adriaticum defert. (unde fortaſſis jam rex fluviorum dicitur) Græcis Eridanus dicitur, Padus Latinis, aut Gallis potiùs unde oritur: quia circa ejus fontem arbor multa ſit picea quę pades gallicè vocetur. hæc Plinius. Rex verò fluviorum fortaſſis etiam dicitur honoris cæleſtis gratia, quia inter meridiei ſidera Eridanus triginta quatuor ſtellis clarus viſitur. *Nec tempore*] Decimum ſeptimum, de fibris victimarum. de quo & ibidem Ovidius:

Victima nulla litat, magnoſque inſtare tumultus
Fibra monet, cæſumq́; caput reperitur in extis.

Aut puteis] Decimum octavum, de puteorum aquis cruentis: quod Ovidius paulo ſecus:

Sæpe inter nimbos gutta cecidere cruenta.

Alta] Decimum nonum, de luporum in oppidis ululatu: quòd Ovidius cum obſcœno latratu videtur confudiſſe. *Non altas*] Viceſimum, de fulguribus crebris: quò referri poteſt illud Ovidii,

Sæpe faces viſa mediis ardere ſub aſtris.

Diri] Viceſimum primum & ultimum. *Cometa*] Id eſt crinitæ

crinitæ ſtellæ: materies eſt exhalatio calida & ſicca: efficiens cauſſa, ſol & aſtra. Nec multi ſimul eſſe poſſunt: quia materies tam multa ſimul eſſe non poteſt. Hæc ex Ariſtotele in meteoris libri primi capite ſeptimo. Plinius tamen libri ſecundi capite viceſimo quinto de cauſſis dubius eſt. Sunt, ait, qui & hæc ſidera perpetua eſſe credant, ſuoque ambitu ire, ſed non niſi relicta à ſole cerni. Alii verò, qui naſci humore fortuito & ignea vi, ideoque ſolvi. De numero (quod mireris) reprehendit Ariſtotelem quòd tradat ſimul plures cerni. Cæterùm ait eſſe terrificum magna ex parte, ac non leviter piatum. Et huc pertinet illud in decimo Æneidos:

Non ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent----

Cometes in uno licet totius orbis loco, attamen cultus eſt in templo Romæ; admodum fauſtus divo Auguſto judicatus ab ipſo: qui incipiente eo, apparuit ludis quos faciebat Veneri genetrici ſuæ non multo poſt obitum patris Cæſaris. oriebatur circa undecimam horam diei, clarus omnibus terris & conſpicuus. Eo ſigno ſignificari vulgus credidit Cæſaris animam inter deorum immortalium numina receptam: & eo nomine id inſigne ſimulacro capitis ejus (quod mox in foro conſecravit Auguſtus) adjectum eſt: ſed Auguſtus interiore gaudio ſibi illum natum, ſeque in eo naſci, interpretatus eſt. Et ſanè, ſi ſpectetur Octaviani ſeculi felicitas, ſalutaris cometes ille fuit. Hæc ex Plinio, libri ſecundi capite viceſimo quinto: unde colliges cometam interdum eſſe melioris ſtatus auſpicem. *Ergo inter ſeſe*] Exponitur eventus ſuperiorum præſagiorum de bellis civilibus, quibus vindicata eſt cædes Cæſaris. *Paribus telis*] Sic primo Pharſaliæ Lucanus:

Signa pares aquilas & pila minantia pilis.

Romanas acies] Cæſaris primùm adverſus Pompeium, tum Octavii & Antonii adverſus Brutum & Caſſium.

Digitized by Google

Philippi] Civitas Theſſaliæ, ait Servius. Ptolemæus in Macedonia ſtatuit. Datos olim Appiano dicta, Crenides Diodoro: oppidum non ſolùm illis cladibus, ſed multo magis epiſtola Pauli clarum. *Nec fuit*] Iteratur idem mutatis verbis. *Emathiam*] Theſſaliam, ait Servius: at Plinius contra libri quarti capite decimo: Macedonia poſtea 150. populorum, duobus inclyta regibus, quondamque terrarum imperio: Emathia antè dicta. *Æmi*] Æmus vel Hæmus, Rex Thraciæ, maritus Rhodopes: ambo arrogantes adeò, ut ſe Jovem & Junonem eſſe dicerent. Itaque mutati ſunt in montes ſui nominis.

Threïciam Rhodopen habet angulus unus & Æmum,

Nunc gelidos montes, mortalia pectora quondam:
Nomina ſummorum ſibi qui tribuere deorum.

Metamorphoſeos ſexto. *Scilicet*] Illuſtratio ex adjunctis bellicarum cladium reliquiis, pilis, galeis, oſſibus cæſorum. *Incurvo*]

---- & curvi formam accipit ulmus aratri, fuit antea.

Scabra] Aſpera: à ſcabie dicitur, quòd ſcabies aſperitatem afferat. *Gravibus*] Sic antea,

---- & iniquo pondere raſtri.

Inanes] Vacuas capitibus, cum quibus tamen confoſſæ fuerant. *Dii*] Deprecatio ad patrios penates, ne Auguſtum, patriæ ſuccurrentem prohibeant, eum nempe in cœlum transferentes. Ubi concluditur ἀποθέωσις Auguſti, initio propoſita, illo loco:

Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura deorum
Concilia, incertum eſt.----

Patrii] Qui patriæ præſidetis. *Indigetes*] Qui cum diis vitam agitis ex hominibus conſecrati. Servius hîc putat deſcribi numen urbis, quod nominari nephas eſſet: & Tribunum, qui auſus eſſet enuntiare, in crucem ſublatum. *Veſtaque*] Veſta ἀπὸ τῆς ἑστίας dicta: quod Ovidius ſexto Faſtorum indicat:

Nec tu aliud Veſtam quàm puram intellige flammam:
Nataque de flamma corpora multa vides.

Quod idem Cicero de legibus ſecundo innuit: Ergo Romæ virgines veſtales conſecratæ ſunt, quæ ignem Veſtæ perpetuum ſervarent: qui ſi extinctus eſſet, accenſa per fomites ex igne flam̃a purus & cœleſtis ignis eliciebatur. *Thuſcum*] Tiberis fluvius, quo Roma ſic alluitur, ut Lutetia alluitur Sequana: Thuſcus ideo hic dicitur, quia Thuſciam ab Umbris, Sabinis, Latinis dividit. *Juvenem*] Sic ecloga prima:

Hic illum vidi juvenem---

cùm auguſtum diceret. *Satis*] Ratio deprecationis ex adjunctis pœnis, quas civilibus bellis Roma pertulerit. Malorum autem cauſſa fingitur perjurium Laomedontis, ad tacitam excuſationem Octavianæ tyrannidis. Porrò Laomedon, rex fuit Trojæ, pater Priami, qui ædificatorum Pergamorum mercede Apollinem & Neptunum, qui opus illud effecerant, fraudavit: ut numina tot poſteà ſeculis, pœnas tamen perjurii à poſteritate repetant. *Quippe*] Bellorum civilium cauſſa iterum improbitati hominum tribuitur, ad eandem Cæſaris, alioqui tot malorum authoris, excuſationem. *Non ullus*] ὑποτύπωσις afflictæ agriculturæ. *Hinc*] Amplificatio bellorum per inductionem partium. *Euphrates*] Fluvius Meſopotamiæ, hîc per Metonymiam pro incolis, & per ſynecdochen ſignificat populos Orientis. *Sic*] In uno verbo Tropus eſt duplex, & metalepſim videlicet à Quintiliano propoſitam magis quàm explicatam, continet. *Germania*] Tropus item hic duplex, Metonymia & Synecdoche. *Sævit*] Concluſio inductionis. *Ut cùm*] Illuſtratur propoſita excuſatio ſimilitudine, cujus redditio ex antecedentibus eſt repetenda: Quemadmodum quadrigæ tanto feruntur impetu, ut auriga cohibere non poſſit: ita omnes populi, Martis quodam ardore adeo inflammati ſunt, ut Impe-

tator Octavius retinere nequeat. Quadrigæ igitur populos, Aurigæ imperatorem comparatum intelliges. Servius autem neſcio quam Rhetoricam & Logicam nobis oſtendit: Sanè ſciendum, inquit, translationem hanc eſſe, non comparationem: quæ ſi ponatur in fine, vitioſum eſt. Fallitur in utroque Servius. comparatio enim eſt, non translatio: nec quia in fine eſt, ideò vitioſa eſt. Interdum enim res ſequitur, ſimile præcedit: ut quinta ecloga,

Ut Cereri Bacchoq; tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient.

Aliquando contra, ut bis in hoc libro:

Non aliter quàm qui adverſo, &c.

Item. *Ceu preſſa cùm jam portum, &c.*

Qua de re poterat Quintilianus Servium monere, qui libri octavi capite tertio hunc Virgilii locum ſatis apertè explicat. Itaque memineris Servium licet in grammaticis diligentem & attentum, in logicis tamen eſſe rudem. *Carceribus*] Circus maximus Romæ ovata figura fuit inſtar cœli, & medio loco obeliſcum habuit pro ſole, utrinque ternas metas pro reliquis ſex planetis. Locus in eo unde Quadrigæ exibant, carceres dicebantur. *Quadrigæ*] Quatuor equos junctos intellige, ſed ſine ullo vehiculo, ut octavo Æneidos:

Haud procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerant----

Et quattuor equis junctis certamina Romæ in Circo maximo exercebantur. unde ſacrorum certaminum ſtudioſi pernicisſimarum quadrigarum ſemina diligenti obſervatione cuſtodiunt, & ſpem futurarum victoriarum concipiunt, propagata ſobole generoſi armenti, ait Columella libri tertii capite nono, ubi quadrigas, equos illos appellat. Quadrigæ aliquando ſignificant currum quattuor equis junctum: ſed huic loco ſignificatio hæc non convenit *Auriga*] Dicitur auriga (ait hic Mancinellus)

cinellus) quia ſplendore ſibi agat auris, id eſt, clamoribus populi. Et certè auriga hîc intelligendus eſt, non qui currum, ſed qui quadrigas ſine curru agit. *Currus*] Metonymia eſt, pro currentibus equis. Tales autem quadrigas & aurigas, quales intelligo, demonſtrabit tibi Flavius Calvus in ſimulacro urbis Romæ, circa finem, ubi currus deſcribitur: unde totam hanc ſimilitudinem clariùs intelliges. Videbis enim illic quadrigas ſic incitatas, ut inſidentis aurigæ imperium deſpectare videantur.

FINIS PRIMI GEORGICI.

Digitized by Google

P. RAMI PROFESSORIS REGII PRÆLECTIONES IN SECVNDUM GEORGIcum.

Argumentum ſecundi Georgici.

SECUNDO Georgico docentur genera & ſpecies arborum, ſed præcipuè vitium, quarum etiam cultus propriè docetur. Arbor verò generaliter hîc aſſumitur, ut eo nomine vites etiam comprehendantur. Tres verò diviſiones communes antecedunt: prima, in naturam & artem, quæ ſunt cauſſæ procreantes: ſecunda, in ſpecies, ut oleæ tres, totidem pyri, quindecim vitium: tertia, eſt ex terræ differentiis, quòd aliæ in eadem quidem regione, ſed tum aquoſis, tum ſiccis, tum calidis, tum frigidis locis oriantur: aliæ tota regione diſtinguantur: itaque & aliud olivetis, aliud paſcuis, aliud frumentis, aliud vinetis ſolum ſit eligendum: ſalſum verò & frigidum prorſus vitibus & frugibus fugiendum. His partitionibus communibus propoſitis, propria vitium cultura reliquo libro

libro exponitur: de vineti paſtinatione, fœcundatione, repaſtinatione, vitis electione, translatione, ſatione per ordiné, putatione, pulveratione, pedatione, pampinatione, runcatione, ablaqueatione, defenſione contrariorum; ut coryli, oleaſtri, pecoris: & vinitoris labor tandem collaudatur.

HActenus arvorum cultus, & ſidera cœli:
Nunc te Bacche canam, necnon ſylveſtria tecum
Virgulta, & prolem tardè creſcentis olivæ.
Huc pater ô Lenae: (tuis hîc omnia plena
Muneribus tibi pampineo gravidus Autumno
Floret ager: ſpumat plenis vindemia labris)
Huc pater ô Lenae veni: nudataque muſto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.

Hactenus] Tranſitione argumentum tum ſuperioris libri repetitur, tum ſequentis proponitur. *Sidera cœli*] E ſuperioribus & communibus cauſſis agriculturæ fuerunt Deus & cœlum. *Bacche*] Apoſtrophe eſt ad Bacchum; inventorem vini: & Bacchus tamen hîc pro vino per Metonymiam ponitur. *Virgulta*] Virgulta propriè ſunt arbuſculæ: hîc per κατάχρησιν ſynecdochen ſpeciei pro genere, arbores omnes ſignificantur. *Tarde*] Natura tardè creſcere omnia longo ævo durantia, Plinius author eſt libri decimi ſeptimi capite duodecimo: ubi ſcribit ad ſua uſque tempora duraſſe in Linternino Africani prioris manu ſatas olivas: & (utidem libri decimi ſexti capite quadrageſimo) ducentis annis durare, inter authores in confeſſo eſt. Quin paulo pòſt capite quadrageſimo quarto: Athenis etiam olea durare creditur, in certamine edita Minervæ. Quod poſtremum tamen Cicero deridet primo Legum; Niſi forte, ait, Athenæ tuæ ſempiternam in arce oleam tenere potuerunt. Apud eundem etiam libri decimi quinti capite primo

ita ſcribitur: Heſiodus negavit oleæ ſatorē, fructum ex ea percepiſſe quenquam: at nunc altero anno percipitur. *Huc pater*] Invocatur Bacchus, cujus numini tutela vitium conſecratur. *Lenæe*] ὁ ληνός, lacus, torcular: unde Bacchus dicitur: non autem à leniendo, ut Donatus putat. *Muneribus*] Sic poſtea,

Quid memorandum æquè Baccheia dona tulerunt?

Gravidus] Διαστολὴ, ut ſpondaicus ſit verſus. *Autumno*] Vindemia, quæ fit Autumni tempore: Metonymia eſt. *Labris*] Labrum, interdum vaſis nomē. ſic balnei, fontis, torcularis labrum dicitur, ut hîc pro cupa & lacu. *Huc ades*] Ἐπίζευξις eſt hîc, interpoſita quadam parentheſi. *Crura*] Ad uvas calcandum. *Cothurnis*] Cothurnus, venatorum eſt calceamentum.

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque altè ſuras vincire cothurno,

ut eſt primo Æneidos. De hoc in ſeptima ecloga.

---puniceo ſuras vincire cothurno.

Et octava,

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Principio arboribus varia eſt natura creandis.
Namq; aliæ, nullis hominum cogentibus, ipſæ
Sponte ſua veniunt, camposq; & flumina latè
Curva tenent: ut molle ſiler, lentæq; geniſtæ,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: ut alta
Caſtaneæ, nemorumq; Iovi quæ maxima frondet
Eſculus, atq; habitæ Graijs oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylva:
Vt ceraſis ulmiſq;: etiam Parnaſſia laurus
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.
Hos natura modos primum dedit: his genus omne
Sylvarum fruticumq; viret, nemorumq; ſacrorum.

Sunt

Sunt alij, quos ipſe via ſibi repperit uſus.
Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum,
Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes obruit arvo,
Quadrifidasq; ſudes, & acuto robore vallos.
Sylvarumq; aliæ preſſos propaginis arcus
Expectant, & viva ſua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ: ſummumq; putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.
Et ſæpe alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius: mutatamq; inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.
Quare agite ô proprios generatim diſcite cultus,
Agricolæ, fructusq; feros mollite colendo,
Neu ſegnes jaceant terræ: juvat Iſmara Baccho
Conſerere, atq; olea magnum veſtire Taburnum.
Tuq; ades, inceptumq; unà decurre laborem,
O decus, ô famæ meritò pars maxima noſtræ,
Mæcenas: pelagoq; volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto:
Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum,
Ferrea vox. ades & primi lege littoris oram.
In manibus terræ: non hic te carmine ficto,
Atque per ambages & longa exorſa tenebo.

Principio] Diviſiones arborum tres, ut dixi, præponuntur, antequam de vitibus nominatim præcipiatur. prima eſt, in naturam & artem, id eſt, artificioſam induſtriam. Species naturæ tres. Has ſpecies Plinius libri decimi ſexti capite triceſimoſecundo propoſuit: Arbores, quas naturæ debeamus, tribus modis naſcuntur, ſponte,

aut ſemine, aut radice; cura numeroſior exiſtit. Prima declaratur quatuor exemplis. Quædam verò (ait Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo ſexto) naſci niſi ſponte nullo modo queunt: eæque immitibus tantum locis ac deſertis proveniunt. Idem libri decimi ſexti capite triceſimo tertio, cùm de cupreſſis egiſſet, ſic ait: Nec terræ tantùm natura circa has refert aut perpetua cæli, verùm & quædam temporaria vis imbrium. Aliquæ plerumque ſemina afferunt, & certo fluunt genere; aliquando etiam incognito: quod accidit Cyreniacæ regioni, cùm primùm ibi Laſerpitium natum eſt; ut in herbarum natura dicemus. Nata eſt & ſylva urbi ei proxima, imbre piceo craſſoque, circiter urbis Romæ annum CCCCXXX. *Campoſque*] Deſignat ſolum his arboribus genitale. *Siler*] Σίϛελι Μασσαλιωτικὸν apud Dioſcoridem libri tertii capite quinquageſimo primo putatur eſſe: at nō ſatis cum Plinio conveniret. In aquoſo loco naſcitur, ut libri decimi ſexti capite decimo octavo Plinius. Folia ejus illita fronti, capitis dolores ſedant. ejuſdem ſemen in oleo phthiriaſeis coërcet. Serpentes & hunc fruticem refugiunt, baculumque ruſtici ob id ex eo gerunt: Plinius libri viceſimi quarti capite viceſimo. *Lenta*] Molles, flexibiles. ſic lenta ſalix ſæpe in Bucolicis dicitur: & verbi propria ſignificatio eſt. & ſic Plinius libri decimi ſexti capite triceſimo ſeptimo, ait virgas ſequaces ad vincturas lenticiæ. Lentas etiam potes pro humilibus dicere, ut poſtea,

----humileſq; geniſtæ.

Populus] *populus Alcidæ gratiſſima----*

ut tertia ecloga. Et eſt triplex, alba, nigra, Libyca: Plinius libri decimi ſexti capite ſecundo. *Glauca*] Cæſia. varia autem ſalicum genera ſunt: quædam purpurea, quædam vitellina, quædam rubra, quædam candida: de quibus poſtea rurſus. *Canentia*] Candicantia, albicantia. ob candidas ſalices igitur hoc epithetum eſt. *Salicta*] Metonymia pro ſalicibus. *Glauca, canentia, ſalicta*]

cta] Cacemphaton hîc notatur à Servio: at primo Georgico monuimus, hinc interdum gratiam quæri: ut,

Et ſola ſicca ſecum ſpatiatur arena.

Et quinto Æneidos:

Tum rauca aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant.

Et mox; *Sylvarum fruticumque viret nemorumque ſacrorum.* *Pars autem*] Secunda ſpecies arboris naturalis, tribus exemplis explicatur. Semen decidens, exceptumque terra, viviſcit: nec caſtaneæ & glandes aliter proveniunt, exceptis cæduis: Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo. *Alta*] Roboribus proximæ: Columella libri quarti capite triceſimo tertio. *Nemorum*] Synecdoche totius pro parte, id eſt arborum. *Jovi*] Sacra eſt hæc arbor, ut Plinius libri duodecimi capite primo, & libri decimi ſexti capite quarto. *Eſculus*] Inter glandiferas arbores ponitur: quarum ſpecies quatuor ſunt Macedonibus, ut ait Theophraſtus libri tertii capite decimo. *Oracula*] Dodonæas quercus intelligit, de quibus primo Georgico ad illum verſum,

----& victum Dodona negaret.

Pullulat] Tertia ſpecies arborum naturalium, tribus item exemplis declarata. *Sylva*] Synecdoche totius pro parte: id eſt arbor. *Ceraſis*] A Ceraſunte, oppido Ponti. Mithridate victo, Lucullus in Italiam deportavit hanc arborem. vide Plinium libri duodecimi capite tertio: ubi ait omnes arbores peregrinas eſſe, quarum nomina græca ſunt aut aliena: & 120. annis deinde trans Oceanum in Britaniam uſque hanc arborem perveniſſe. *Ulmis*] Ulmus, montoſa, campeſtris, Attinea, noſtras. Attinea, radicum planta provenit: reliquæ, ſemine, ait Plinius. Ergo locus hic, Plinii ſententia, tantùm de Attineis ulmis (quæ omnium excellentiſſimæ ſunt eidem) intelligatur. *Parnaſſia*] Parnaſſus, mons Phocidis, ſacer Apollini, juga habens gemina, ut ait Herodotus in Urania. Lucanus libro quinto:

—quantum ſemotus Eoo
Cardine Parnaſſus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo Bromioq; ſacer ---

Et Ovidius primo Metamorph.

Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus,
Nomine Parnaſſus, ſuperatq; cacumine nubes.

Hic templum Delphicum, mons Pierius, fons Caſtalius, Aganippe, Hippocrene. Hinc Laurus Parnaſſia, id eſt Apollinea, per Metonymiam dicitur. *Matris*] Veteris lauri, ut ſub umbra veteris ceraſi vel ulmi, novellæ ceraſi ulmique pullulant. *Se ſubjicit*] Creſcit. ſic ecloga decima,

Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.

Hos natura] Tranſit ad artificioſos modos, ſed obſcurius interpretatur. Videtur autem facere alios cum radice, alios ſine radice. Plinius repetitis duobus poſtremis naturalibus, ſex efficit, libri decimi ſeptimi capite decimo. Aut enim ſemine proveniunt, ait, aut plantis radicis, aut propagine, aut avulſione, aut ſurculo, aut inſito & conſecto arboris trunco. *Hic plantas*] Videtur ſignificare avulſionem ſtolonum: qui avulſi (ut ait Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo) à matris corpore, partem aliquam ſuis fimbriis auferunt. quomodo plantantur punicæ, coryli, mali, imprimiſque vites. Et per ſtirpes obrutas arvo, videtur ſignificare plantaria id eſt plantas è matris radicibus pullulantes: de quib[illegible]ius ibidem: Natura & plantaria demonſtravit, multarum radicibus pullulante ſobole denſa, & pariente matre, quas evellit. At videtur potius genus illud ſeptimum convenire huic loco, de quo Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo ſeptimo. Reliqua genera, ait, caſus excogitavit, ac defractos ſerere ramos docuit, cum pali defixi radices egiſſent. Multa ſic ſeruntur, ficus, punica, myrtus. Omnium horum longitudine trium pedum, craſſitudine minus brachiali, cortice diligenter ſervato, trunco exacuto.

Et hæ nimirum ſudes, hique valli videntur à Virgilio dici. *Sylvarumque*] Tertius modus eſt propagatio: cujus duo modi ſunt, alter ramo ab arbore in ſcrobem depreſſo, alter ramo vel in cacumine arboris manente, ſed per vaſa fictilia aut quallos trajecto, terraque compacto. De quibus Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo ſeptimo: ubi ait, rubis & hederis curvatis in terram è capite, defixis, iterumque ex ſeſe naſcentibus, propagines à natura præmonſtratas eſſe. Propagatio autem primi modi, in vitibus eſt quadruplex, ut Columella tradit libri de arboribus capite decimo ſeptimo. prima qua virga edita à matre ſulco committitur: altera, qua ipſa mater proſternitur, atque in plures palos per ſuas virgas dividitur: tertia, qua vitis ſcinditur in duas vel plures partes, ſi diverſis ordinibus deducenda eſt: quarta, qua virga brevis depreſſa obruitur, & tertio poſt anno amputatur. *Arcus*] Propriè ad primum genus propagationis id pertinet, quo curvatur & acuitur arbor. *Et viva*] Non alium modum hic intelligo, ſed è prima propagationis ſpecie intelligo plantas in ſua & genitali terra viventes. *Nil radicis*] Quintus ſine dubio eſt Plinii locus, è ſurculo: quo nomine non tantùm annotinum germen, ſed talea, quæ utrinque præciſa eſt, intelligitur à Plinio: de quo libri decimi ſeptimi capite decimo. Ex eodem inventu eſt ſurculos abſciſſos ſerere. Hæc prima ſepis cauſſa, ſambucis, cotoneo & rubis depactis: mox & culturæ, ut populis, alnis, ſalici, quæ vel inverſo ſurculo ſeritur. *Quin &c.*] Inſitio poſtrema exemplis aliquot declaratur. Inſitionem, ait Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo quarto, caſus magiſter docuit. Agricola ſedulus, caſam ſepis munimento cingens, quò minus putreſcerent ſudes, limen ſubdidit ex hedera. at illæ vivaci morſu apprehenſæ, ſuam ex alieno fecere vitam, apparuitque truncum eſſe pro terra. De generibus poſteà dicetur ſuo loco. Primum verò inſitionis exemplum Virgilianum, eſt de oleagino calamo inſito in aridum truncum. Meliùs autem truncis quàm

plantis olivetum conſtitui, Columella author eſt libri de arboribus capite decimo ſeptimo. *Et ſæpe*] Columella ibidem capite viceſimo ſexto, ait omnem ſurculum omni arbori inſeri poſſe: & Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo ſexto ait: Inſitam arborem vidimus juxta Tiburtes tiliam, omni genere pomorum onuſtam; alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumque generibus. Sed huic fuit brevis vita. *Quare*] Adhuc naturæ & artis partitio fuit: ſequitur adhortatio, ut & ars ad naturam quamque excolendam propria adhibeatur, *Iſmara*] Montes Thraciæ, ut Taburnum mons Campaniæ: Synecdoche ſpeciei pro genere. montes enim in univerſum intelliguntur: ut poſtea,

Bacchus amat colles] Item:

Difficiles primum terræ, collesque maligni,

Palladia gaudent ſylva vivacis olivæ.

Tuque ades] Ut primo Georgico nominibus invocatis, Auguſtus invocatur:

Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura Deorum
Concilia, incertum eſt.

ita hic poſt Bacchum Mæcenas invocatur, cui quatuor hi libri nuncupati ſunt, ut initio primi dictum eſt. *Generatim*] Id eſt ſigillatim & ſpeciatim; quomodo ſæpe Genus pro ſpecie ſumitur. Generaliter, eſt ſimul per omnia, ait Servius. Et certè Generatim aliquando ſic accipitur, ut ſeptima Actione in verrem Cicero: Quid ego de cæteris civium Romanorum ſuppliciis ſigillatim potiùs quàm generatim atque univerſe dicam? Et non rarò aliàs: at hic Generatim pro Speciatim ſumitur. *O decus*] Talis laudis exclamatio eſt illa Horatiana:

O & præſidium & dulce decus meum.

Pelagoque] Allegoria nautica ſignificat ſuperius dictum,

---- decurre laborem.

Non ego] Significatur compendium doctrinæ, quod Plinius libri decimi quarti prologo urbaniùs adnotavit: Quanquam videmus Virgilium, præcellentiſſimum vatem, ea de cauſſa hortorum dotes fugiſſe, è tantiſque quæ retulit, flores modò rerum decerpſiſſe, beatum felicemque gratiæ, xv modò generibus uvarum nominatis, tribus oleæ, totidem pyrorum, malo verò tantùm Aſſyrio, cæteris omnibus neglectis. *Lingua*] Repetitur ſexto Æneidos,

Non mihi, ſi linguæ centum ſint oraq; centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Ades, & primi] Redit ad invocationis allegoriam, & promiſſa expoſitionis brevitate, audientiam ſibi facit. *In manibus*] Res facilis & in promptu eſt. *Ambages*] Sic Æneidos primo: ----*longa eſt injuria, longæ*
Ambages: ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.

Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, ſed læta & fortia ſurgunt.
Quippe ſolo natura ſubeſt. tamen hæc quoq; ſi quis
Inſerat, aut ſcrobibus mandet mutata ſubactis,
Exuerint ſylveſtrem animum: cultuq; frequenti
In quaſcunq; voces artes, haud tarda ſequ. ntur.
Nec non & ſterilis quæ ſtirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros.
Nunc altæ frondes & rami matris opacant:
Creſcentiq; adimunt fœtus, uruntq; ferentem.
Iam, quæ ſeminibus jactis ſe ſuſtulit arbos,
Tarda venit, ſeris factura nepotibus umbram:
Pomaq; degenerant, ſuccos oblita priores:
Et turpes avibus prædam fert uva racemos.

SCILICET *omnibus eſt labor impendendus: & omnes*

Cogendæ in ſulcum, ac multa mercede domandæ.
Sed truncis oleæ meliùs, propagine vites
Reſpondent: ſolido Paphiæ de robore myrtus.
Plantis & duræ coryli naſcuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeæque arbos umbroſa coronæ,
Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Naſcitur, & caſus abies viſura marinos.
Inſeritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida:
Et ſteriles platani malos geſſere valentes,
Caſtaneæ fagos: ornuſque incanuit albo
Flore pyri, glandemque ſues fregere ſub ulmis.
Nec modus inſerere atq; oculos imponere ſimplex.
Nam quà ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas: anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus. huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur: & alte
Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos:
Miraturque novas frondes, & non ſua poma.

Sponte] Repetit omnes naturæ ſpecies, & earum agreſtes vires ex adjunctis exponit: & docet cultu mitigari poſſe. Naturales autem arbores materiis magis ſunt aptæ: mites, fructibus magis idoneæ, ait Columella libri de arboribus capite primo. Et ſic Plin. lib. 16. c. 19. At arborum aliæ ſylveſtres omnino ſunt, urbaniores aliæ: quas iis placet nominibus diſtinguere. Ergo mites, quæ fructu aut aliqua dote, umbrarumve officio, humanius juvant, non improbè dicantur urbanæ. Sic Plinius idem ait libri decimi tertii capite quarto: Sterilibus palmis ad materias operaque lautiora utitur Aſſyria & tota Per-ſis.

Digitized by Google

ſis. *Inſerat*] Inſitionem apertè ſignificat, ſubactis ſcrobibus etiam ſurculum.de quo jam dictum.

——ſummumq; putator

Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.

Nec non] Tertia ſpecies à radice pullulantis, ὕστερον πρότερον ſecundo loco ponitur. hæc nimirum plantaria ſunt Plinii, quæ matris umbra enecantur. paucorum in hoc genere rami parcunt ſoboli, ut ulmorum palmarumque. nullis verò tales pulli proveniunt, niſi quarum radices amore ſolis atque imbris in ſumma tellure ſpatiantur: libri decimi ſeptimi capite decimo. *Uruntque*] Enecant, opprimunt. Urere de calore & frigore communiter dicitur, ut primo Georgico,

Ne tenues pluviæ, rapidive potentia ſolis

Acrior aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Ferentem] Si ferat, ſi ferre paret. *Jam*] Secunda ſpecies ſuis item adjunctis exponitur, quòd tarda ſit, quòd degeneret. Et Plinius ſic libri decimi ſeptimi capite decimo, ait omnia ſemine ſata; tarda proventu ac degenerantia, & inſito reſtituenda: excipit tamen cupreſſum, laurum, palmam, quæ non degenerant. *Tarda*] Sylveſtria, non ſolùm ſemine ſata, ſed omnia tardiſſimè ſeneſcunt: atque in totum omnis cura fertilitatem adjicit, fertilitas ſenectam: Plinius libri decimi ſexti capite viceſimo nono. *Nepotibus*]

Inſere, Daphni, pyros: carpent tua poma nepotes.

fuit nona ecloga. *Et turpes*] Sine ſuavitate, contemptos ab hominibus, & avibus relictos. *Scilicet*] Concluſio inductionis. Itaque omnes arbores ſylveſtres, ſunt diligenter excolendæ. *Sed truncis*] Significat variis naturis varias artes adhibendas eſſe: quòd alia natura, alia arte meliùs excolitur: quod per aliquot ſpecies exponitur: quæ ſi etſi modo illo optimè proveniunt, aliis tamen etiam non ideo nullis proveniunt. *Truncis*] Id jam dictum eſt.

Quin & caudicibus ſectis——

Oleæ tamen non tantùm inſeruntur, ſed taleis ſeruntur.

Propagine vites] Vites etiam inſeruntur, imo etiam ſto-lonibus avulſis plantantur, ut Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo. *Paphiæ*] Sacræ Veneri quæ in Papho Cy-pri oppido colitur, ut Æneidos primo,

Ipſa Paphum ſublimis abit.

Quòd myrtus ſit ſacra Veneri, ecloga ſeptima jam di-ctum eſt:

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua Laurea Phœbo.

Et Plinius libri duodecimi capite primo idem teſta-tur. Myrti verò genera omnia, quæ ſunt viginti novem, ſeruntur in Campania baccis, Romæ propagine Ta-rentina, ut Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo: item ramo, & talea, ut ibidem capite decimo ſeptimo. Non igitur inſito tantùm proveniunt: nec id Virgilius negat, ſed ait inſitione meliùs provenire. *Plantis*] Recen-ſet arbores primo ſecundoque artis modo provenien-tes. *Et dura*] Alii *Edura* legunt, pro valde duris: ut octavo Æneidos, Servius Egelidum interpretatur pro val-de gelido:

Ut procul egelido ſecretum flumine vidit.

Et quarto Georgico ſic,

Eduramq; pyrum,

dictum pro valde dura. Corylus verò plano loco na-ſcitur, & nuptiarum facibus familiariſſima; ut Plinius libri decimi ſexti capite decimo octavo. *Ingens fraxi-nus*] Procera enim præconio Homeri & Achillis haſta no-bilis, mirabiliter ſerpentibus inimica, adeo ut ejus um-bras neque matutinas, neque occidentes attingere au-deant. quin ſi fronde fraxini gyro claudatur & ignis & ſerpens, in ignem potiùs quàm in fraxinum ſerpens fu-giet: Plinius libri decimi quinti capite decimo tertio. *Herculeaque arbos*] De populo jam dictum, ut alba, ni-gra, Libyca. Circumaguntur ejus folia poſt ſolſtitium: nec alio argumento certiùs intelligitur ſidus confectum:

Plinius

Plinius libri decimiſexti capite viceſimotertio. Populus autem Herculi ſacra, ut Ecloga ſeptima:

Populus Alcidæ gratiſſima ----

Et octavo Æneidos:

---- Herculea bicolor cùm populus umbra.

Periphraſis hîc eſt populi. *Chaonii*] Periphraſis eſt quercus, quæ eſt in tutelâ Jovis. Chaoniæ verò & Epiroticæ quercus præcipuè celebrantur: unde illud primi Georgici:

Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.

Ardua palma] Palmarum genera undequinquaginta Plinius ait eſſe: vinumque & panem ex ea populis in Oriente fieri: nec eam tantùm planta radicis, ſed ſemine, trunco, avulſione, ramoque ſeri. quin ſtratam in ſolo humido totam radicari in frutices, non in arborem: unde plantaria inſtitui, anniculaſque transferri, & iterum bimas: libri decimitertii capite quarto. *Abies*] Abies altiſſima arbor & rectiſſima, leviſſima: ideoque malis & omnino navigiis expetitur; materieſque ejus præcipua trabibus & plurimis vitæ operibus: Plinius libri decimi ſexti capite decimo. *Inſeritur*] Repetitur inſitio poſtrema, & variis exemplis explicatur: de quibus Plinius libri decimiquinti capite decimoquinto: Pars hæc vitæ jampridem pervenit ad culmen, expertis cuncta hominibus, cùm Virgilius inſitum nucibus arbutum; maliſque platanum, ceraſis ulmum dicat. nec quicquam ampliùs excogitari poteſt: nullum certè pomum novum diu jam invenitur. Plinius tamen addit ceraſis ulmum inſitam: quod Virgilius non habet, ſed pro caſtaneis fagum. Inſitio autem ex omnibus artis modis præcipuè celebratur, quia inſerere firmiſſimum ſit, & fœcundius quàm ſerere, ait Plinius libri decimiſeptimi capite decimoſexto. *Arbutus*] Arbor eſt ſylveſtris, cujus poma ceraſis ſeu fragis ſimilia: fructus anno matureſcit, pariterque floret ſubnaſcens, & prior coquitur: pomum inhonorum, ut nomen ſit ex argumento unum

tantùm edendi, Unedo: Plinius libri decimi quinti capite viceſimo quarto. *Arbutus horrida*] Verſus eſt dactylicus. *Et ſteriles platani*] Sed quis non jure miretur arborem, umbræ gratia tantùm, ex alieno petitam orbe? Platanus hæc eſt, per mare Ionium in Diomedis inſulam, ejus tumuli gratia primùm invecta: inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italiæ, & jam ad Morinos uſque pervecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum: ut gentes vectigal & pro umbra pendant. Hæc Plinius libri duodecimi capite primo. Idem tamen ait libri decimi ſeptimi capite decimo ſexto, platanum omnium inſitorum capaciſſimam eſſe. *Caſtaneæ fagos*] Servius hîc valdè occupatus eſt. intelligo autem, ſicuti poëta loquitur, fagos caſtaneis inſitas. Caſtaneæ ſiquidem, cæduis exceptis, non inſito, ſed ſemine tantùm proveniunt. At Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo: Et fagus glandem habet omnium glandium dulciſſimam, ut qua obſeſſos etiam homines duraſſe in oppido Chio tradit Cornelius Alexander: fagea glans ſuem hilarem facit, carnem coctibilem & levem & utilem ſtomacho: tametſi glandem, quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, & eſculus, cerrus, ilex, ſuber: Plinius libri decimi ſexti capite quinto & ſexto. Fagus & corticem habet multis agricolarum uſibus accommodatum: idem ibidem capite nono. Et ex arboris reverentia, Fagutalis Jupiter eſt appellatus, ut ibidem capite decimo: & pocula fagina, religionis ergò etiam celebrata, ut etiam ibidem capite triceſimo octavo. Metuere itaque Servius nil debuit, ne fagus temerè caſtaneæ insereretur. *Ornusque*] Ornus ſylveſtris eſt fraxinus, paulo tamen latioribus foliis: ait Columella de arboribus decimo ſexto. *Glandem*] Metonymia pro arbore glandifera, quales jam diximus. *Ulmus*] Ulmi tamen glandes omnes ſuas amaras habent, ut jam diximus. *Nec modus*] Deſcribuntur duo genera inſitionis. *Oculos*] Alluſio eſt ad inoculationem, quæ prima inſitionis ſpecies deſcribitur: quam aves ſemine primò docuerunt

curſunt, ut Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo quarto. Semine quoque inſerere natura docuit, raptim avium fame devorato, ſolidoque, & alvi tepore madido, cum fœcundo fimi medicamine abjecto in mollibus arborum lecticis, & ventis ſæpe translato in aliquas corticum rimas: unde vidimus ceraſum in ſalice, platanum in lauro, laurum in ceraſo, & baccas ſimul diſcolores. Tradunt & monedulam condentem ſemina in theſauros cavernarum, ejuſdem rei præbere cauſſas. hinc nata inoculatio ſutoriæ ſimili fiſtula aperiendi in arbore oculum cortice exciſo, ſemenque includendi eadem fiſtula ſublatum ex alia. In ficis autem & malis hæc fuit inoculatio antiqua. Vergiliana quærit ſinum nodo gemmæ expulſi corticis, gemmamque ex alia arbore includit: Hæc Plinius de inoculationis explicatione. Eſt autem emplaſtratio, eadem inoculationi, ut Columella de arboribus capite viceſimo ſexto. Diſtincta tamen ſpecies eſt, & Plinio diſtinguitur libri decimi ſeptimi capite decimo ſexto, quamvis ex inoculatione deducatur. Emplaſtri (ait) ratio & ipſa ex inoculatione nata videri poteſt: craſſo autem maximè cortici convenit, ſicut eſt ficus. Ergo amputatis omnibus ramis, ne ſuccum avocent, nitidiſſima in parte, quaque præcipua cernatur hilaritas, exempta ſcutula (ita ne deſcendat ultra ferrum) cortici imprimitur ex alia cortex par cum ſui germinis mamma: ſic compage denſata, cicatrici ut locus non ſit, & ſtatim unitas fiat, non humorem, non afflatum recipiens. nihilo minùs tamen & luto munire & vinculo meliùs. Hæc ille: ubi etiam docet Catonis præceptis hanc inſitionem inſtitutam fuiſſe. Ergo inoculatio & emplaſtratio, ſpecies inſitionis duæ ſunt: fertiliſſima autem inoculatio, poſtea emplaſtratio: ſed utraque infirmiſſima, & quæ cortice nituntur tantùm, vel tenui aura ocyſſimè deplantantur, ut etiam ibidem. *Inoleſcere*] Concorporari Plinius id dicit libri decimi ſeptimi capite decimo quarto. *Aut rurſum*] Secunda ſpecies inſi-

tionis, per fiſſuram trunci. ſpecies duæ præterea ſunt, altera calami inter lignum & corticem impreſſi, altera terebrati & inforati caudicis: de quibus ſic Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo quarto: Inſitionem autem caſus, magiſter alius & penè numeroſior, ad hunc modum: Agricola ſedulus caſam ſepis munimento cingens, quo minus putreſcerent ſudes, limen ſubdidit ex hedera. At illæ, vivaci morſu apprehenſæ, ſuam ex alieno fecere vitam, apparuitque truncum eſſe pro terra. Aufertur ergo ſerra æqualiter ſuperficies, levigatur falce truncus. Ratio poſtea duplex: & prima, inter corticem lignumque inſerendi Timebant priſci truncum findere, mox inforare auſi medio: ipſique medullæ calamum imprimebant unum inſerentes, neque enim plures capiebat medulla ſubtilior. Poſtea ratio vel ſenos adjicit, mortalitati eorum ex numero ſuccurrere perſuaſa: per media trũcò lenitet fiſſo; cuneoque tenui fiſſuram cuſtodiente; donec cuſpidatim deciſus deſcendat in rimam calamus: Hæc Plinius.

Præterea genus haud unum nec fortibus ulmis,
Nec ſalici, lotoq;, nec Idæis cypariſſis.
Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ:
Orchades, & radii, & amara Pauſia bacca:
Pomaq;, & Alcinoi ſylvæ. nec ſurculus idem
Cruſtumiis Syriisq; pyris, gravibusq; volemis
Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.
Et paſſo Pſithia utilior, tenuisq; Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaq; linguam:
Purpureæ, Pretiæq;: & quo te carmine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Sunt

Sunt & Aminea vites, firmiſſima vina,
Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus:
Argitiſq; minor: cui non certaverit ulla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, menſis & diis accepta ſecundis,
Tranſierim Rhodia, & tumidis Bumaſte racemis.
Sed neq; quàm multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus. neque enim numero comprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere quàm multæ Zephyro turbentur arenæ:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe quot Ionii veniant ad litora fluctus.

Præterea] Hactenus prima fuit arborum partitio, è naturæ & artis differentia: partitio ſecunda ſequitur, generis cujuſque in ſuas ſpecies, quarum exempla quædam in tribus tantùm generibus proponuntur, tria oleæ, totidem pyri, quindecim vitium. *Ulmis*] Quarum genera quatuor jam dicta, montoſa, campeſtris, Attinea, noſtras; Plinius libri decimi ſexti capite decimo ſeptimo. *Salici*] Cujus genera præcipuè tria, nigra, quæ & purpurea & viminea: candida, quæ & nitellina, tenuior: Helix, quæ & Gallica, & tenuiſſima. Frugiperda ſalix dicitur Homero, quòd ſemen immaturum amittit: & mulieris ſterilitati medicamentum eſſe conſtat. Cædua autem ſalici fertilitas, nec ullius tutior eſt reditus, minoriſve impendii, aut tempeſtatum ſecutior: Plinius libri decimi ſexti capite trigeſimo ſeptimo. *Lotoque*] Lotus, inſignis arbor Africæ, unde & panis, & vinum, & nomen etiam genti terræque. lotophagi enim appellati. Quin & exercitus ultro citroque per Africam commeantes, eo paſti ſunt. Differentiæ ſunt plures, eæque è fructibus. Herba etiam eſt ejus nominis in Ægypto, è cujus grano, panis etiam conficitur: Plinius libri decimi

Digitized by Google

tertii capite decimo ſeptimo. *Idæis*] Idæus mons Cretæ nunc intelligitur: de quo Plinius libri quarti capite duodecimo. Cupreſſis autem, vel (ut Græco verbo Virgilius ſignificat) cypariſſis Creta patria eſt, & quocunque loco terram moverit quiſpiam, niſi ſeratur alia, hæc gignitur, protinusque emicat. Illa verò etiam non appellato ſolo ac ſponte, maximeque in Idæis montibus, & quos Albos vocant, ſummisque jugis, ubi niues nunquam abſunt, plurima, (quod miremur) alibi non niſi in tepore provenìens, & nutricem magnopere faſtidiens. Genera duo ſunt, mas & fœmina. Mas ſpargit extra ſe ramos, deputaturque, & accipit vitem: Fœmina metam habet faſtigiatam: Plinius libri decimi ſexti capite tricesimo tertio. *Olivæ*] Olea, prima eſt arborum, ait Columella libri quinti capite octavo: ubi decem ejus genera facit. Plinius libri decimi quinti capite tertio, facit duodecim: Macrobius Saturnal. libri tertii capite decimo ſeptimo, facit ſedecim. Orchis autem & Radius, meliùs in eſcam quàm in liquorem convertuntur: bacca autem jucundiſſima eſt Pauſiæ, & oleum ſaporis egregii, dum viride eſt: vetuſtate corrumpitur: Columella ibidem. Amaram tamen baccam hîc Virgilius contrà. *Pomaque*] Pomum generaliter comprehendit omnem arboris cujuſcunque fructum, durum vel mitem, humano uſui aptum, ut pyra, mala, nuces, oleas. & hîc Alcinoi ſylvæ, hortenſes arbores dicantur. Horti enim, ut Heſperidum, ſic Alcinoi Phæacum regis, celebrantur: de quibus Homerus Odyſſeæ ſeptimo, & Plinius libri decimi noni capite quarto, & deinceps. *Cruſtumiis*] Pyrorum genera Columella libri quinti capite decimo narrat ſeptemdecim: Plinius libri decimi quinti capite decimo quinto recenſet triginta quinque: ubi ait Cruſtumia eſſe dulciſſima. à Cruſtumio autem Italiæ oppido dicta ſunt. *Siriisque*] Columellæ ſunt Tarentina, libri quinti capite decimo. *Volemis*] Quæ volam manus impleant: tam magna ſunt. Catoni dicuntur ſementina & muſtea, ut Plinio libri decimi quinti

quinti capite decimo quinto. *Methymnæo*] Methymna oppidum Leſbi inſulæ in Mari Ægæo.

Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos.

Ovidius primo De arte. Leſbii vini elegantia jam Ariſtotelis tempore nobilis fuit: qui de duobus diſcipulis, Theophraſto Leſbio, & Menedemo Rhodio, judicium fecit è vinis eorum popularibus. cùm enim utrumque guſtaſſet, probavit, ſed Leſbium jucundius eſſe dixit: ἡδίων ὁ Λέσβιος: Gellius libri decimi tertii capite quinto. Plinius tamen ſatis frigidè commendat, qui ait libri decimi quarti capite ſeptimo, è vinis tranſmarinis in ſumma gloria fuiſſe Thaſium & Chium. His addidit Leſbium Eraſiſtrati, maximi medici, authoritas, inquit. *Thaſiæ*] E Thaſo, inſula maris Ægei, vinum (ut modò dixi è Plinio) ſumma gloria. ejus genera duo dicuntur: unum, quo ſomnus conciliatur: alterum, quo fugatur. Ibidem vitis eſt quæ Theriace vocatur, cujus & vinum & uva contra ſerpentum ictus medetur: Plinius libri decimi quarti capite decimo octavo. *Mareotides*] Mareotis, pars Ægypti, ut ſcribit Strabo: alia etiam pars Libyæ Ægypto contermina, ut Plinius libri decimi quarti capite tertio: pars etiam Epeiri, in qua vinum optimum. De Græca igitur vite nunc Virgilius: & ſic Columella libri tertii capite ſecundo, reponit Mareoticas vites inter Græculas: ut & Plinius libri decimi quarti capite tertio. *Pinguibus*] Attingitur hîc ſoli differentia, quæ latiùs poſtea diſſeretur. *Et paſſo*] Ad paſſum, id eſt vinum ex uva paſſa factum. *Pſithia*] Plinius libri decimi quarti capite nono, Pſithium & Melampſithium, paſſi genera facit. Columella Pſithiam vitem numerat inter Græculas vites, libri tertii capite ſecundo. *Lageos*] Leporaria. Dixit Virgilius Thaſias & Mareotidas & Lageas, compluresque externas, quæ non reperiuntur in Italia, ait Plinius libri decimi quarti capite tertio. *Purpureæ*] Quas acinoſiſſimas Plinius ait eſſe, libri deci-

mi quarti capite tertio: & Columella libri tertii capite ſecundo, item connumerat inter vitium ſpecies. *Pretia*] Pretiæ duo genera, acini magnitudine diſcernuntur, quibus materies plurima, uvaque ollis utiliſſima, folium apio ſimile: Plinius libri decimi quarti capite ſecundo. Columella libri tertii capite ſecundo facit Pretiæ vitis genera duo, minorem & majorem, Sed & generoſitate vini magis commendantur, & frequentibus materiis frondent, & citò matureſcunt. *Rhetica*] Rhetia, Veronam complectitur, ut conſtat è Plinio, libri decimi quarti capite ſexto. In Veronenſi autem Rhetica Falernis tantùm poſthabita à Virgilio ait. Deſcendit verò etiam inter Helvetios & Vindelicos in Germaniam. Vilis autem, tantùm domi nobilis, ait idem libri decimi quarti capite ſecundo. *Falernis*] Falernus collis, temulentia nobilis, ſucco per omnes terras inclyto: atque, ut veteres dixere, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen: Plinius libri tertii capite quinto. Hoc autem vinum triplex eſt, aſperum, dulce, tenue: ſummis collibus Gauranum, mediis Fauſtianum, imis Falernum, ait idem libri decimi quarti capite ſexto. Prima tamen vini nobilitas Setino vino ceſſit, ſecunda Falerno, ut ibidem. *Aminea*] Amineum, oppidum eſt Campaniæ, ut Ptolemæus ait: unde fortaſſis Aminea vitis nominata eſt, quocunque eſſet translata. Columella libri tertii capite ſecundo: Solæ traduntur Amineæ, excepto cœli ſtatu nimis frigido, ubicunque ſint, etiam ſi degenerent, ſibi comparatæ, magis aut minùs probi guſtus vina præbere, & cæteras omnes ſapore præcedere. Hæc ille: ubi duo genera vitis Amineæ facit, majorem & minorem, & iterum duas alias geminas, quarum minor vulgo notiſſima, celeberrimos Campaniæ Veſuvii colles Surrentinosque veſtit: cæteris partibus Italiæ non tam vineis, quàm arbuſto eſt idonea. Facit præterea Amineam quandam lanatam, quòd præcipuè lanugine caneſcit. Hæc ille. Plinius etiam genera vitis Amineæ quinque facit, libri decimi quarti capite tertio.

Firmiſ-

Firmiſſima] Principatus vitium datur Amineis propter firmitatem, ſenioque proficientem vini ubique vitam, ait ibidem Plinius. *Tmolus*] Timolus, ſeu contractè Tmolus, mons eſt Lydiæ:

Tmolus in aſcenſu clivoq; extenſus utroq;,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis,

ait Ovidius vndecimo Metamorphoſeos. Interdum pleno verbo ſumitur, ut idem libro ſexto;

Deſeruere ſui nymphæ vineta Timoli.

Tmolus igitur pro vino Lydio, Metonymia eſt. *Phanæus*] Mons eſt in Chio inſula: & ſimilis Metonymia eſt pro vino Chio: quod Plinius libri decimi quarti capite ſeptimo ait in ſumma gloria fuiſſe: ex Chio, ait, quod Arviſium vocant. *Argitisque*] Argitis, vel à candore (ἀργητὸς enim candidus eſt) vel potiùs ab Argis, unde primum ſumpta ſit. Argis enim, vitis tam fœcunda fuit, ut jugerum unum denos & quinos denos culeos ferret vini, ait Varro de re Ruſtica libri primi capite ſecundo. Major itaque & minor, ut Aminea: ſed minor etiam Columellæ libri tertii capite ſecundo valde celebratur: quòd aptior arboribus & in ſublimibus fertilis, vaſtis materiis & uvis exuberet. Quæ affluentia modò notatur à Virgilio: à multis Arcelaca falsò putatur, ut ibidem eſt. *Rhodia*] Vitis Rhodia recenſetur etiam à Columella libri tertii capite ſecundo: & Plinius vinum Rhodium Coo ſimile eſſe, ſexque aut ſeptem annis ad vetuſtatem pervenire ait, libri decimi quarti capite octavo. Et hoc vinum eſt in Menedemum Ariſtoteli comprobatum: ſed in Theophraſti laudem Leſbio poſtpoſitum. *Bumaſte*] Βούμαστος, tanquam bovis mamma, & Latinis ideo Bumammia. Columella libri tertii capite ſecundo ſpeciem vitis etiam à ſuperioribus diverſam facit. Plinius libri deci-

mi quarti capite tertio videtur inter purpureas comprehendere: Acinoſiſſimæ, ait, ſunt purpureæ, cognomine Bumammiæ, quando non racemos, ſed uvas alias gerunt. *Sedneque*] Concluditur inductio longior, quòd infinita ſint vitium genera, idque hyperbolico pari illuſtratur. Columella libri tertii capite ſecundo: Multa præterea ſunt genera vitium, quarum nec numerum, nec appellationes cum certa fide referre poſſumus. ubi citantur hi verſus. Plinius libri decimiquarti capite ſecundo: Genera vitium comprehendi numero unus exiſtimavit Democritus, cuncta ſibi cognita, Græcis profeſſus. cæteri innumera atque infinita eſſe crediderunt: quod verius apparebit ex vinis. Nec omnia dicentur, ſed maxime inſignia: quippe quæ totidem ſunt penè, quot agri. Hæc ille: & paulò pòſt capite undecimo, genera vini facit octoginta. *Zephyro*] Favonio, flante ab occaſu æquinoctiali. *Eurus*] Flans ab ortu. *Ionij*] Ionia, regio minoris Aſiæ: aliquando regiuncula eſt extremæ Italiæ, unde videtur hîc pro Adriatico mari Ionium dici: quod conſtat eſſe tempeſtuoſum.

Nec verò terra ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſisq; paludibus alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus orni:
Littora myrtetis lætiſſima: deniq; apertos
Bacchus amat colles: Aquilonem & frigora taxi.
Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasq; domos Arabum, pictosq; Gelonos:
Diviſæ arboribus patriæ. ſola India nigrum
Fert hebenum: ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?

Velle-

Velleraq́ ut foliis depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi ſinus orbis: ubi aëra vincere ſummum
Arboris, haud ullæ jactu potuêre ſagittæ?
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.
Media fert triſtes ſuccos, tardumq́ ſaporem
Felicis mali: quo non præſentius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecêre novercæ,
Miſcueruntq́ herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemq́ ſimillima lauro:
Et, ſi non alium latè jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos apprima tenax: animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Nec verò] Tertia diviſio arborum, è ſubjecti ſoli differentia, quòd in eadem regione aquoſis aliæ, montoſis aliæ, aliæ calidis, aliæ frigidis locis meliùs naſcantur: quædam etiam totis regionibus diſtinguantur. Quæ ſoli differentia primo libro jam tractata hoc loco eſt:

At priùs ignotum ferro quàm ſcindimus æquor.

Salices] De harum arborum genitali ſolo Plinius libri decimiſexti capite decimooctavo: ubi ait, ſalices non niſi aquoſis locis provenire. Et Columella libri quarti capite triceſimo: Salicem vel riguus ager vel uliginoſus optimè: nec incommodè tamen alit planus & pinguis. Et idem rurſus libri quinti capite ſexto: Sed ſalix non niſi in aquoſis locis, ubi aliæ arbores difficulter comprehendunt, ponenda non eſt. *Craſſiſque*] De ſolo alnorum Plinius ibidem ait etiam, quod ad hoc epitheton pertineat, libri decimiſexti capite triceſimo ſeptimo: Alni, ait, ſepibus muniunt, contraque erumpentium amnium impetus, riparum muro in tutela ruris

excubant in aqua ſatæ, cæſæque denſiùs in numero hærede proſunt. Umbra verò pinguis alno, ſed paſcens ſata, ait idem libri decimi ſeptimi capite duodecimo. Quin & folia ei craſſiſſima, ut idem libri decimi ſeptimi capite viceſimo quarto. *Saxoſis*] Deſcendit etiam ornus in plana: Plinius libri decimi ſeptimi capite decimo octavo. Eſt verò ecloga octava idem montis ſolum ſignificatum.

Cantando rigidas deducere montibus ornos.

Myrtetis] Myrtetum, locus myrtis conſitus. è myrto autem, olei vinique genera bina fiunt. Arbor Veneri ſacra eſt, ut ecloga ſeptima patuit:

Formoſa myrtus Veneri----

Et myrtea Venus Romæ fuit, myrtusque ante ædem Quirini duplex: altera patricia, altera plebeja: mirabiliter Reipublicæ motus ſecuta, ut patribus vigentibus patricia, contra plebejis potentioribus, plebeja vigeret. Ovantium quondam, quin & triumphantium corona fuit: Plinius libri decimi quinti capite vigeſimo quinto. *Bacchus*] Metonymia pro vite. amat etiam colles vitis plana, ut poſtea patebit: & majorem copiam præſtat. *Aſpice*] Commemorantur deinceps arbores regionib. ſeparatis memorabiles. *Eoäsque*] ἠώϊος, & contractum ἠῷος, Orientalis. *Arabum*] Arabia petræa & deſerta & felix eſt: ſed de felice modò, & ejus thure. *Gelonos*] Populos Scythiæ, de quibus tertio Georgico,

----acerq; Gelonus
Cùm fugit in Rhodopen atq; in deſerta Getarum,
Et lac concretum, cum ſanguine potat equino.

Hebenum] Hebenum, hic neutrius generis eſt: aliàs hebenus fœminini generis: de qua Plinius lib. 12. capite 4. Unam è peculiaribus Indiæ arboribus Virgilius celebravit hebenum, nuſquam alibi naſci profeſſus. Herodotus eam Æthiopiæ intelligere maluit, tributi vice regibus Perſidis è materie ejus centenas phalangas tertio quoque anno penſitaſſe Æthiopas cum auro & ebore, prodendo. Pōpejus hanc arborem triumpho Mithridatico

Romæ

Romæ oſtendit. Quidam putant eſſe lignum ſanctum ſeu Gajacum, quod hodie dicitur. vide Dioſcoridem libri primi capite centeſimo undecimo: ubi etiam optimam hebeni ſpeciem facit Æthiopicam, alteram Indicam.

Sabæis] De quibus jam primo Georgico:

---molles ſua thura Sabæi.

Thuris arboris quæ ſint ſpecies, non conſtat. in collibus altis & planis etiam ſponte naſcitur. ea inciditur qua maximè videatur eſſe prægnans, tenuiſſimusque tendi cortex. laxatur hîc plaga, non adimitur. inde proſilit ſpuma pinguis. hæc concreta denſatur, ubi loci natura poſcat, tegete palmea excipiente, aliubi area circumpavita. puriùs illo modo, ſed hoc ponderoſiùs. quod in arbore hæſit, ferro depectitur, ideo corticoſum. Thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem univerſæ. in medio ejus ferè ſunt Atramitæ pago Sabæorum capite regni Sabota in monte excelſo, à quo octo manſionibus diſtat regio eorum thurifera. Saba appellatur, quod ſignificare Græci myſterium dicunt. At nec omnes quidem Sabæi, thuris arborem vident. ferunt trecentarum non ampliùs eſſe familiarum, quæ jus per ſucceſſiones id ſibi vindicent. Quidam promiſcuum jus iis populis eſſe tradunt in ſylvis: alii, per vices annorum dividi: Plinius libri duodecimi capite decimo quarto. Vide Dioſcoridem libri primi capite ſeptuageſimo. *Balſama*] Balſamum, arbuſcula eſt uni Judææ conceſſa, quam Veſpaſianorum triumphus Romæ oſtendit, ut antè Pompeji triumphus hebenum. Succus manat è plaga inciſuræ: quem opobalſamum vocant. colligitur lanis in parva cornua. ſurculus xylobalſamum dicitur. præcipua autem gratia lacrymæ, ſecunda ſemini, tertia cortici, minima ligno: Plinius libri duodecimi capite viceſimo quinto. Vide Dioſcoridem libri primi capite decimo octavo. *Acanthi*] Pro Acanthii videtur per apocopen. nec enim poteſt jam acanthus herba intelligi, cùm de arboribus agatur. Eſt autem Acanthion, ſpinæ albæ ſimilis ſpina alia, minoribus multo foliis, aculeatis per extremitates;

& araneoſa lanugine obductis: qua collecta, etiam veſtes quædam bombycinis ſimiles fiunt in Oriente: Plinius libri viceſimi quarti capite duodecimo. *Luna*] Plinius libri duodecimi capite decimo & undecimo: In Tylo, inſula maris rubri, lanigeræ ſunt arbores, foliis infœcundis. Ferunt cucurbitas, quæ maturitate ruptæ, oſtendunt lanuginis pilas; ex quibus veſtes pretioſo linteo faciunt. Arbores illas vocant Goſſampinos: Arabiæ autem arbores, ex quibus veſtes faciant, Cynas vocari, tradit Iuba. Sic Indos ſuæ arbores veſtiunt. Hæc è Plinio, ubi Æthiopum & Indorum communes facit lanigeras arbores. de Indorum etiam apud Bactra lanigeris arboribus iterum. *Seres*] In Scythia primi ſunt hominum qui noſcantur, Seres, lanificio ſylvarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium caniciem: unde geminus fœminis noſtris labor, redordiendi fila rurſumque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat: Plinius libri ſexti capite decimo ſeptimo. *Aut quos*] Plinius libri ſeptimi capite ſecundo: Maxima in India gignuntur animalia. indicio ſunt canes grandiores cæteris. Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, ut ſagittis ſuperari nequeant. Hæc facit ubertas ſoli, temperies cœli; aquarum abundantia (ſi libeat credere) ut ſub una ficu turmæ condantur equitum. *Media*] Deſcribitur malus Medica è ſubjecto ſolo, effectis, adjunctis, ſimilibus: quòd Medica ſit, quòd acris ſaporis, quòd fœcunda, quòd venena expellat, quòd lauro ſimilis, quòd odoris ſummi, quòd perpetua coma vireat, quòd flore tenaci, quòd animam commendet. Sed tamen definitio tam accurata non eſt, quin multiplex controverſia inde orta ſit. Jam vulgo putatur eadem & Medica & Perſica, & Aſſyria, & Heſperia, & citrea, & cedria, & aurea malus eſſe. Plinius tamen libri duodecimi capite tertio Virgilium ſecutus, negat hanc arborem alibi quàm in Media & Perſide naſci voluiſſe, quamvis gentes ad ſe transferre tentaverint. & Macrobius Saturnal. libri tertii capite decimo quinto, cum Apulejo ſentit non eſſe

Citrum.

Citrum. Certè Theophraſti, Plinii, Plutarchi etiam ætate, non mandebatur: tandem Palladii diligentia, in Italia primùm convaluit. vide Ruellium libri primi capite ſexageſimo nono. *Media*] Regio Aſiæ à Septentrione ſpectans Hyrcaniam, ab occaſu Aſſyriam, à meridie Perſidem, ab ortu Parthiam. *Triſtes*] Huic malo ſapor aſperrimus, ait Plinius. *Felicis*] Fœcundi. Palladius in Martio, de citreo: Aſſerit Martialis, apud Aſſyrios pomis hanc arborem non carere: quod ego in Sardinia & in territorio Neapolitano in fundis meis comperi (quibus & cœlum & ſolum tepidum eſt & humor exundans) per gradus poma ſibi ſemper ſuccedere, cùm ſe maturis acerba ſubſtituant, acerborum ætatem florentia conſequantur, orbem quendam continuę fœcunditatis, ſibi miniſtrante natura. Idem Plinius ibidem: & Dioſcorides libri primi capite centeſimo viceſimo nono: item Theophraſtus libri quarti capite quarto. *Præſentius*] Macrobius Saturnal. libri tertii capite decimo nono legit *Præſtantius*. *Auxilium*] Semen mali Medici in vino potum venenis reſiſtit, ait Dioſcorides libri primi capite centeſimo viceſimo nono. In quo cæteri authores jam nominati conſentiunt. Quin (ut Plinius libri viceſimi octavi capite ſexto) Citrea contra venenum in vino bibuntur, vel ipſa, vel ſemen. Athenæus apud Ruellium libri primi capite ſexageſimo nono, ait hoc experimentum in Ægypto primùm damnatis ad ſupplicium latronibus ſumptum eſſe, quibus beſtiarum & aſpidum morſus nihil nocuiſſet, quia citrea mala comediſſent. *Ipſa ingens*] Folium ejus eſt unedonis intercurrentibus ſpinis: Plinius libri duodecimi capite tertio. Theophraſtus libri quarti capite quarto: folium facit ſimile portulacæ, aculeis pyri ſimiles aculeos habentis. Ruellius folio lauri ſimile folium ejus facit, libri primi capite ſexageſimo nono. *Odorem*] Pomum ipſum (ait ibidem Theophraſtus) non manditur, ſed odore præcellit. nec non & folium arboris odoratiſſimum eſt. quod Plinius ad verbum ferè tranſtulit: Pomum ipſum aliàs non manditur: odore præcel-

lit foliorum quoque, qui tranſit in veſtes, unà conditus, arcetque animalium noxia. *Folia*] Multis arboribus folia decidunt, quia lata ſunt. πᾶν πλατύφυλλον φυλλοῤῥοεῖ, omne latifolium deſtondeſcit, ait Ariſtoteles libri decimi ſeptimi capite ſecundo Poſteriorum. Plinius libri decimi ſexti capite undecimo, ait in Tylo, rubri maris inſula, folia nulli arbori decidere. Itē libri decimi ſexti capite viceſimo primo, circa Memphim Ægypti, & in Elephātine Thebaidis, ne viribus quidem. Non ſolùm verò folia Perſico malo, ſed & fructus & flores perennant. *Tenax*] Theophraſtus ait libri primi capite viceſimo ſecundo; in quibuſdam arboribus florem infixum diutiùs ſervari. Et idem libri quarti capite quarto, in malo Medico ait ſolos flores, qui velut erectam in medio colum gerunt, fœcundos credi: qui verò ea careant, ſterileſcere. *Olentia*] Parthorum populis hoc præcipuè, & à juventa, propter indiſcretos cibos: namque & vino fœtent ora nimio. ſed ſibi proceres medentur grano Aſſyrii mali, cujus eſt ſuavitas præcipua, in eſculenta addito: Plinius libri undecimi capite quinquageſimo tertio. Et idem rurſum libri duodecimi capite tertio: Hæc eſt autem, cujus grana Parthorum proceres incoquere diximus eſculentis, commendandi halitus gratia: nec alia arbor laudatur in Medis. *Anhelis*] Hominis tantùm natura infici voluit pluribus modis, & ciborum ac dentium vitiis, ſed maximè ſenio: Plinius libri undecimi capite quinquageſimo tertio: unde anheli ſenes modò dicuntur. vel potiùs anhelos intellige, ſpiritus anguſtia & difficultate laborantes, quos Græci ἀσθματικοὺς vocant.

Sed neq; Medorum ſylvæ, ditiſſima terra:
Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neq; Indi,
Totaq; thuriferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertēre, ſatis immanis dentibus hydri,
Nec galeis denſisq; virûm ſeges horruit haſtis:

Sed

Sed gravidæ fruges & Bacchi Maſſicus humor
Implevere: tenent oleæq; armentaq; læta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert:
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic ver aſſiduum, atq; alienis menſibus æſtas:
Bis gravidæ pecudes, bis pomis fertilis arbos.
At rabidæ tigres abſunt, & ſæva leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immenſos orbes per humum, neq; tanto
Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumq; laborem:
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis:
Fluminaq; antiquos ſubter labentia muros.
An mare, quod ſuprà, memorem, quodq; alluit infrà?
An ne lacus tantos? te, Lari maxime, teq;
Fluctibus & fremitu aſſurgens Benace marino?
An memorem portus, Lucrinoq; addita clauſtra,
Atq; indignatum magnis ſtridoribus æquor,
Iulia quà ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenusq; fretis immittitur æſtus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, ærisq; metalla
Oſtendit venis: atq; auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marſos, pubemq; Sabellam,
Aſſuetumq; malo Ligurem, Volſcosq; verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos,
Scipiadas duros bello: & te, maxime Cæſar,
Qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm. tibi res antiqua laudis & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes:
Aſcræumq; cano Romana per oppida carmen.

Sed neque] Digreditur in laudes Italiæ, his exterarum arborum miraculis nequaquàm victæ. Argumentum, eſt inductio multarum rerum, quibus excellit Italia: prima pars inductionis ornatur diſſimilibus: Non habet prodigioſos tauros & dracones, ſed habet fruges, vites, pecudes excellentes. Quod laudis argumentum tractatur ampliſſimè à Plinio libri tertii capite quinto, & triceſimiſeptimi capite decimotertio. *Pulcher Ganges*] Ganges Indiam dividit, Indiaque intra & extra Gangem dicitur: ubi minimus, VIII. M. paſſ. latus: ubi modicus, ſtadia centum: Plinius libri ſexti capite decimooctavo. unde pulcher modò dicitur: vel potiùs quia gemmifer, ut idem libri triceſimiſeptimi capite decimotertio: vel aurifer, ut idem libri triceſimitertii capite quarto. *Hermus*] Fluvius Lydiæ, ſuperfuſus campis fertilitatem gignit: unde aureas arenas trahere dicitur: Strabo libro decimoquinto. *Italiæ*] Cum Italia: poëtica dictio eſt, ut apud Catullum:

---- noli pugnare duobus.

Sic quarto Æneidos:

---- placidone etiam pugnabis amori?

Bactra] Scythiæ provincia ultra Aſſyriam. *Panchaia*] Regio Sabæorum. *Arenis*] Id eſt, copioſam ſpumam illam pinguem, exceptam tegete aut area circumpavita, aut ferro depexam: de qua priùs. *Tauri*] Fabula Colchica de Iaſone & vellere aureo cuſtodito per draconem. è cujus dentibus ſatis, armati milites nati, mutuis vulneribus conciderunt: de qua fabula Ovidius in epiſtola Medeæ:

Martis erant tauri plus quàm per cornua ſævi,
Quorum terribilis ſpiritus, ignis erat.

Eadem fabula ſeptimo Metamorphoſeos ſcribitur.

Hydri]

Hydri] In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus eſt, quod in aqua vivit. Hydri vocantur, nullis ſerpentum inferiores veneno: Plinius libri viceſimi noni capite quarto. Et hîc draconem ſignificat. Ergo his monſtris caret Italia. Et iſta eſt ferorum animalium innocentia, quam Plinius in his laudibus adhibet. *Sed gravida*] Redditio diſſimilitudinis, de frugibus, vitibus, oleis, armentis: de quo ſic Plinius libri triceſimiſeptimi capite decimotertio: Quicquid eſt, quo carere vita non debeat, nuſquam eſt præſtantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, veſtes, juvenci: ne equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis animadverto. Et iterum libri tertii capite quinto: Tanta frugum, & vitium, olearumq; fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla. *Arduus*] Tertio Georgico inter dotes equi, hæc una numeratur:

---- illi ardua cervix,
Argutumque caput. ----

Clitumne] Apoſtrophe ad Clitumnum, fluuium Italiæ apud Faliſcos: cujus aqua potata, candidos boves facit: in Bœotia amnis Melas, oves nigras: Cephiſus ex eodem lacu profluens, albas. rurſus nigras Penius, ruffaſque juxta Ilium Xanthus: unde & nomen amni: Plinius libri ſecundi capite centeſimotertio. Albis autem illis tauris Imperatores ſacrificabant. *Hic ver*] Secundus locus ex aëris temperie perpetua: de qua Plinius libri tertii capite quinto: Et qualiter Campaniæ ora per ſe, felixque illa ac beata amœnitas? ut palam ſit, uno in loco gaudentis opus eſſe naturæ. Jam verò tota ea vitalis ac perennis ſalubritatis cœli temperies eſt: tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſylvarum genera, tot montium afflatus. Eadem cæli temperies & ſalubritas repetitur libri triceſimiſeptimi capite decimotertio. Ergo ver aſſiduum jam nunc ex illa tanta temperie interpretor habet enim & Italia quatuor etiam temporibus annum diviſum. *Bis pomis*] Sunt arbores quædam bi-

feræ, quædam triferæ. Marcus Varro author eſt, malum in agro Conſentino biferam fuiſſe: Plinius libri decimi ſexti capite viceſimo ſeptimo. *Atrapida*] Diſſimilitudine ornatur & hic locus, ex eadem ferorum animalium innocentia, quòd abſint Tigres, Leones, aconita, ſerpentes. Tigris verò, animal eſt velocitatis tremendæ, in Hyrcania & India: Plinius libri octavi capite decimo octavo. *Semina*] Quinque catulos Leæna parit, ac per annos ſingulos, uno minus. At quamvis ſæviſſimum ſit animal leo, ſolus tamen preces intelligere & audire exiſtimatur, & ideo proſtratis parcere: & ubi ſævit, in viros priùs quàm in fœminas: fremitu in infantes, non niſi magna fame: Plinius libri octavi capite decimo ſexto. *Aconita*] Aconitum herba præſentiſſimi veneni, naſcitur in nudis cautibus, quas ἀκόνας vocant: & ideo aconitum aliqui dixere: nullo juxta, ne pulvere quidem, nutriente. hanc aliqui rationem nominis attulere. Alii, quoniam vis eadem in morte eſſet, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, ſtatimque admota velocitas ſentiretur. Fabulæ narravere gigni ex ſpumis Cerberi canis, ab Hercule ex inferis extracti: ideoque apud Heracleam Ponticam, ubi monſtratur ejus ad inferos aditus, naſci: Plinius libri viceſimi ſeptimi capite ſecundo & tertio. *Nec rapit*] Megaſthenes ſcribit in India ſerpentes in tantam magnitudinem adoleſcere, ut ſolidos hauriant cervos taurosque. Nota eſt in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo imperatore balliſtis tormentiſque, ut oppidum aliquod, expugnata ſerpens CXX pedum longitudinis: Plinius libri octavi capite decimo quarto. *Adde*] Quartus laudis locus ex oppidis, quibus Italia excellit. *Fluminaque*] Quintus locus è fluminibus, maribus, ſupero & infero, lacubus, Lario, Benaco, Lucrino, Averno. Quod argumentum Plinius libri tertii capite quinto: Tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens; tot maria, portus, gremiumque terrarum, commercio patens undique, & tanquam ad juvandos mortales ipſa avidè in-

mar-

mare procurrens. Et iterum libri triceſimiſeptimi capite decimotertio: Acceſſu cunctarum gentium facili, litoribus portuoſis; benignorum ventorum afflatu. *Quodſupra*] Superum mare, Adriaticum, Venetum. *Infra*] Tyrrhenum. *Lari*] Larius, lacus propè Comum è radicibus Alpium, quem fluuius Addua ſupermeat, ut Benacum Mincius, Lemanum Rhodanus, ait Plinius libri ſecundi capite centeſimotertio. In Lario piſces omnibus annis Vergiliarum ortu exiſtunt ſquammis conſpicui crebris atque præacutis, clavorum caligarium effigie: idem libri noni capite decimooctavo. *Benaco*] In Benaco anguillæ fluctibus glomeratæ volvuntur in tantum mirabili multitudine, ut in excipulis ejus fluminis, ob hoc ipſum fabricatis ſingulorum millium globi reperiantur, ait idem libri noni capite viceſimoſecundo. *Marino*] Tantus nempe eſt, ut fluctus marinos imitetur. *Lucrinoque*] Auguſtus viginti ſervorum millibus manumiſſis, portum Julium apud Bajas, immiſſo in Lucrinum & Auernum lacum mari, effecit, ut Suetonius in Auguſto, capite decimoſexto. *Hæc eadem*] Sextus laudis locus, è fodinis auri, argenti, æris: quibus Italia (quamdiu exercere libuit) nullis ceſſit, ait Plinius libri triceſimiſeptimi capite decimotertio: ſed parcitum eſt vetere interdicto Patrum, quo cavebatur, ne plus quinque millia hominum in opere Publicani haberent, ait idem libri triceſimitertii capite quarto *Hæc genus*] Extremus locus laudis è populis generoſis & ducibus. *Marſos*] Quos ferunt ortos à Circes filio, & ideo iis ineſſe vim naturalem contra ſerpentes & venena, ut Plinius libri ſeptimi capite ſecundo: item viceſimiooctavi capite ſecundo & tertio. *Sabellam*] Sabinos: quibus primæ Romanorum matronæ ereptæ. *Aſſuetumque malo*] Patientem propter inopiam fructuum, ideoque venatu viventem. Caput Liguriæ Genua eſt. *Verutos*] Verutum, teli genus eſt, brevis & acuti. Hinc veruti Volſci, qui his utebantur. Volſcorum litus, medium inter Italicum & Campanum, ut Plinius

libri tertii capite quinto. *Decios*] Hoc argumentum Plinius libri tricesimi ſeptimi capite decimo tertio. Fœminis, ducibus, militibus, artium præſtantia, ingeniorum claritatibus. *Decios*] Tres hic præcipuè memorantur, qui ſe pro ſalute patriæ devoverunt. *Marios*] Patrem ſepties Conſulem, & filium ſemel. *Camillos*] Synecdoche eſt pluralis numeri pro ſingulari:

---& referentem ſigna Camillum:

ſexto Æneidos. *Scipiadas*] Pro Scipionidas. Lucretii tertio libro eſt,

Scipiadas, belli fulmen.

quod idem poſtea etiam ſexto Æneidos:

---geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas---

Et te] Apoſtrophe ad Cæſarem, tum in Aſia bellum gerentem, ut erit rurſum poſtea in fine quarti Georgici:

Cæſar cum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorq; volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.

Et ſic Plinius libri tertii capite quinto: Terra omnium terrarum alumna, eadem & parens numine deûm electa, quæ cœlum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, rituſque molliret: & tot populorum diſcordes feraſque linguas, ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret: breviterque, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Hæc ille: quæ repetit ferè libri tricesimi ſeptimi capite decimo tertio: Pulcherrima eſt omnium, meritoque principatum obtinens Italia, rectrix parenſque mundi altera. *Salve*] Concluditur laudatio Italiæ, apoſtrophe ad ipſam & exclamatione. *Saturnia*] Quam Saturnus rex gubernavit, ut Janus: quorum regia Romæ fuiſſe dicitur. Hinc illud octavo Æneidos:

Hanc

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Sanctos fontes] Vel poëticos, vel certè philoſophicos & phyſicæ philoſophiæ arcana complexos. *Aſcræum*] Aſcra vicus Bœotiæ, patria Heſiodi: de quo ſexta ecloga,

---- Hos tibi dant calamos (en accipe) Muſæ:
Aſcræo quos antè ſeni, quibus ille ſolebat
Cantando, rigidas deducere montibus ornos.

Alii Cumæum dicunt fuiſſe, de quo ibidem. Hic igitur profitetur Virgilius Heſiodi ſe diſcipulum, quamvis Heſiodus Georgici operis nihil admodum attigerit, niſi quod eſt jam primo Georgico comprehenſum.

Nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuiq;,
Quis color, & quæ ſit rebus natura ferendis.
Difficiles primùm terræ, colleſq; maligni,
Tenuis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis;
Palladia gaudent ſylva vivacis olivæ.
Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem
Plurimus, & ſtrati baccis ſylveſtribus agri.
At quæ pinguis humus, dulciq; uligine læta,
Quiq; frequens herbis, & fertilis ubere campus;
(Qualem ſæpe cava montis convalle ſolemus
Deſpicere: huc ſummis liquuntur rupibus amnes,
Felicemq; trahunt limum) quique editus Auſtro;
Et filicem curvis inviſam paſcit aratris:
Hic tibi prævalidas olim, multoq; fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis uvæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,
Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis ſtudium vituloſq; tueri,

Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas:
Saltus, & ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amiſit Mantua campum,
Paſcentem niveos herboſo flumine cygnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deſunt:
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra ferè, & preſſo pinguis ſub vomere terra,
Et cui putre ſolum (namq; hoc imitamur arando)
Optima frumentis: non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra juvencis.
Aut unde iratus ſylvam devexit arator,
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasq; domos avium cum ſtirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiêre relictis:
At rudis enituit impulſo vomere campus.
Nam jejuna quidem clivoſi glarea ruris,
Vix humiles apibus caſias roremq; miniſtrat:
Et tophus ſcaber, & nigris exeſa Chelydris
Creta. negant alios æquè ſerpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & curvas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam, fumosq; volucres:
Et bibit humorem, & cùm vult, ex ſeipſa remittit:
Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit,
Nec ſcabie & ſalſa lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleæ eſt: illam experiêre colendo
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Nunc

Nunc locus] Regreditur ad inſtitutas terræ differentias, & quatuor diſtinguit, ex ſuis quamque adjunctis, olivariam, vineariam, paſcuam, frumentariam. in quo, ut Servius ait, reprehenſus eſt à multis Virgilius, quòd in una parte Georgici operis, materiam omnium comprehenderet. Frumentaria enim terra eſt propria primi libri: paſcua, tertii & quarti. Et id ſanè eſt contra Logicam veræ methodi legem: & primo libro fuerat id amplius expoſitum & partitum:

At prius ignotum ferro quàm ſcindimus æquor,
Ventos & varium cæli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultusq; habitusq; locorum:
Et quid quæq; ferat regio, quid quæq; recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina.

Neque tamen definita ſingula, ut hîc & intempeſtivè paſcuum, cùm ſit tertio definiendum. *Difficiles*] Definitur primo olivaria terra, ſterilis, collina, tenuis & argilloſa, dumoſa, calculoſa. Theophraſtus libri ſecundi capite ſeptimo, terram campeſtrem tribuit oleis. ibidem tamen capite quinto, argillaceam atque magis candidam, fertilem oleis eſſe notat, quòd multum vaporis flatuſque continet, quod natura olearum deſiderat. Tale ſolum Plinius libri decimiſeptimi capite quarto, in Venafrano ait eſſe. Negat tamen ipſam definitionem catholicam eſſe, cum ait, pinguiſſimum ſolum in Bætica oleis eſſe optimum: eoque ferè modo ſequentes definitiones emendat. Denique omnium rerum quædam ait in alto ſecreta eſſe, quæ in terra non cernuntur: ideoque ſuo cuique corde pervidenda. Columella libri ſecundi capite ſecundo multa de iis differentiis tradit: Ut ſolum omne ſit campeſtre, collinum, montanum: tum pingue vel macrum, ſolutum vel ſpiſſum, humidum vel ſiccum: pluraque campo quàm colle, pingui quàm macro provenire: humidoque an ſicco meliùs, non conſtare; pingue omnino

primum eſſe, pinguiter denſum ſecundum, tertium riguum. Sed de his laudibus diſſenſio eſt authorum non modica. Vide Varronem de re Ruſtica libri primi capite ſeptimo. *Palladis*] Palladis arbor eſt olea, ait Plin. libri duodecimi capite primo: & nota eſt Palladis victoria ob editam oleam: & ideo nomen Athenis impoſitum, *Vivacis*] De hoc antea,

----tardè creſcentis olivæ.

Indicio eſt] Confirmatio eſt ex conjugatis: Oleaſtri creſcunt in tali terra: ergo & olea. *At quæ*] Definitur ſecundo loco terra vinearia, pinguis, uliginoſa, herboſa, fertilis. Theophraſtus libri ſecundi capite quinto: Pratenſe & arenaceum vitibus percommodum eſt, & ad ſummam tenue, leve atque humidum, ita ut aqua cœleſtis inteſtino humori valeat permiſceri. Vitis nanque largam copiam alimenti deſiderat, quia calida, laxa, humida & fœcundiſſima eſt. forſitan & ob hæc, eadem fœcundiſſima. Plinius ait quaſdam vites, ut Bituricam, pingui ſolo omnino putreſcere: Columella, pinguem agrum & putrem, plurimum reddere, ac minimum poſcere, & quod poſtulat, exiguo labore atque impenſa confici. Præſtantiſſimum igitur tale ſolum, proximeque huic pinguiter denſum, quod impenſam coloni laboremque abundè remuneratur.

Qualem] Exemplum eſt definiti ſoli. Cato, ait Plinius libri decimi ſeptimi capite quinto, agrum optimum judicat ad radicem montium, planicie in meridiem excurrente: qui eſt totius Italiæ ſitus. *Filicem inviſam*] Propter radices longas & obliquas nempe. Filix herba nec florem habet, nec ſemen: naſcitur ubique, ſed maximè frigido ſolo: Plinius libri viceſimi ſeptimi capite nono. *Qualem pateris*] Periphraſis eſt opipari vini, quale in ſacrificiis erat. *Pinguis*] Pinguis Tyrrhenus, id eſt tibicen, quales erant optimi in Tyrrhenia, id eſt Hetruria. pinguis autem, vel quia tibicines, ebrioſi homines, pingues eſſe ſoleant: vel quia Hetruſci natura

ra

ra pingues: ut apud Catullum,

Aut parcus Umber, aut obeſus Hetruſcus.

Obeſus carnibus ſacrificiorum à Servio dicitur. ſic Æneidos octavo Tyrrhenus tubicen dicitur:

Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor.

Reddimus] Cùm probata & elixa, aræ ſuperponuntur: quod ſacerdotale verbum Servius ait eſſe. *Sin armenta*] Tertio loco definitur paſcuum ſolum ſuis adjunctis, quod ſaltuoſum, herboſum, aquoſum, fœcundum: idque exemplis illuſtratur. *Fœtus*] Aliàs, *Aut ovium fœtus*, ut ſyllaba us abſumatur. *Urentes*] Morſus capræ arbori exitialis. oleam lambendo ſterilem facit, eaque ex cauſſa, Minervæ immolatur: Plinius libri octavi capite quinquageſimo, & decimi ſeptimi capite viceſimo quarto. Quædam pecudes, culturæ ſunt inimicæ ac veneno, ut iſtæ (quas modò dixi) capræ. Eæ enim omnia novella ſata carpendo corrumpunt, non minimùm vites atque oleas: Varro libri primi capite ſecundo. At ibidem contra Pliniũ ait Minervæ caprini generis nihil immolari, quia Dea hoc animal oderit. Idem libri ſecundi capite tertio: Ob hoc in lege locationis fundi excipi ſolet, ne colonus capra natum in fundo paſcat. Harum enim dentes inimici ſationis: quas etiam Aſtrologi ita receperunt in cœlum, ut extra limbum duodecim ſignorum excluſerint. ſunt duo Hœdi, & capra, non longè à Tauro. *Saltus*] Sic tertio Georgico:

Saltibus in vacuis paſcuntur, plena ſecundum
Flumina----

Tarenti] Synecdoche ſpeciei pro genere, id eſt ſoli Tarentini ſimilis. Hinc celebris lana Tarentina Plinio libri octavi capite quadrageſimo ſeptimo. *Infelix*] Sic ecloga ſexta:

Vare tuum nomen (ſuperet modò Mantua nobis,
Mantua, væ miſeræ nimiùm vicina Cremonæ)

Cantantes ſublimè ferent ad ſydera cygni.

Flumine] Hoc enim ſolo cygni vel olores delectantur:

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor:

Dido ad Æneam apud Ovidium. *Ros*] apud Varronem eſt libri primi capite ſeptimo, & Plinium libri decimi ſeptimi capite quarto: Cæſar Vopiſcus Ædilicius, cùm cauſſam apud Cenſores ageret, Roſeæ campos, qui ſunt in Rheatino, dixit Italiæ ſemen eſſe, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret. Sed non niſi ad pabulum probabatur. *Nigra*] Definitur quarto loco ſolum frumentarium, ſuis item adjunctis, nigrum, pingue, putre, novale, qualitas prima & tertia Columellæ libri ſecundi capite ſecundo nequaquam probatur. Plurimos antiquorum, ait, qui de ruſticis rebus ſcripſerunt, memoria repeto, quaſi confeſſa nec dubia ſigna pinguis ac frumentorum fertilis agri prodidiſſe dulcedinem ſoli propriam, herbarum & arborum proventum, nigrum colorem vel cinereum. De cæteris ambigo: de colore ſatis admirari non poſſum, cùm alios, tum Cornelium Celſum, non ſolùm agricolationis, ſed univerſæ naturæ prudentem virum, ſic è ſententia & viſu deerraſſe, ut oculis ejus tot paludes, tot etiam campi ſalinarum non occurrerent, quibus ferè contribuuntur prædicti colores. nullum enim temerè videmus locum, qui, modò pigrum contineat humorem, non eundem vel nigri, vel cinerei coloris. niſi fortè in eo fallor ipſe, quòd non putem aut in ſolo limoſæ paludis, aut uliginis amaræ, aut in maritimis areis ſalinarum gigni poſſe jacta frumenta. Sed eſt hic manifeſtior antiquorum error, quàm ut pluribus argumentis convincendus ſit. Non ergo color, tanquam certus author, teſtis eſt bonitatis arvorum: & ideo frumentarius ager, id eſt pinguis, magis aliis qualitatibus æſtimandus eſt. Nam ut fortiſſimæ

tiſſimæ pecudes diverſos ac penè innumerabiles, ſic etiam robuſtiſſimæ terræ plurimos ac varios colores ſortitæ ſunt. Hæc ille. Plinius tamen contrà libri decimi ſeptimi capite quinto, cùm terram hîc nobis à Virgilio definitam, ait à Catone teneram dici, idque verbum explicat. Cato, ait, teneram terram, optimam judicat, quæ vocetur pulla. Erit igitur hæc optima & operi ſatior. Intelligere modò libeat, dictam mira ſignificatione teneram: & quicquid optari debet, in eo vocabulo invenitur. Illa temperatæ ubertatis: illa mollis facilisque culturæ, nec madida, nec ſitiens: illa poſt vomerem niteſcens: (qualem fons ingeniorum Homerus in armis à deo cælatam dixit: addiditque miraculum nigreſcentis, quamvis fieret in auro) illa quam recentem exquirunt improbæ alites, vomerem comitantes: corvique, aratoris veſtigia ipſa rodentes. Hîc colorem illum Plinius approbat, quem Columella improbavit. *Imitamur*] Columella libri ſecundi capite ſecundo, cùm differentias agri propoſuiſſet: Sed ex iis, ait, nihil non meliùs reſoluta humo, quàm denſa provenit. Quod noſter quoque Virgilius, cùm & alias fœcundi arvi laudes retuliſſet, adjecit:

Et cui putre ſolum: namq; hoc imitamur arando.

Neque enim aliud eſt Colere, quàm reſolvere & fermentare terram: ideoque maximos quæſtus ager præbet. Idem pinguis ac putris, quia cùm plurimum reddat, minimum poſcit: & quod poſtulat, exiguo labore atque impenſa conficitur. præſtantiſſimum igitur tale ſolum judicatur. *Sylvam*] Hæc novalis agri ratio non probatur Columellæ, ut jam dixi: nec multo magis Plinio libri decimi ſeptimi capite quarto: Non utique ſolum lætum eſt, in quo proceræ arbores nitent, præterquam illis arboribus. Quid enim abiete procerius? At quæ vixiſſe poſſit alia in loco eodem? *At rudis*] Illuſtratio ex diſſimili terra frumentis inepta, alba, clivoſa, glareoſa, tophacea, cretoſa. Hæc porrò terra videtur eſſe, quam à Catone carioſam nominatam Plinius libri decimi ſe-

ptimi capite quinto concelebrat. Cato, ait, breviter atque ex ſuo more vitia determinat: Terram carioſam cave, neve plauſtro neve pecore impellas. Quid putamus hac appellatione ab eo tantoperè reformidari, ut penè veſtigiis quoq; interdicat? Redeamus ad ligni cariem, & inveniemus illa, quæ in tantum abominatur vitia, aridæ, fiſtuloſæ, ſcabræ, caneſcentis, exeſæ, pumicoſæ. Plus dixit una ſignificatione, quàm poſſit ulla copia ſermonis enarrari. Eſt enim interpretatione vitiorum quædam, non ætate (quæ nulla in ea intelligi poteſt) ſed natura ſua, anus: & ideo infœcunda ad omnia, atque etiam imbecilla. *Caſias*] De quibus ſecunda ecloga. Hujus flore delectantur apes, Plinius libri viceſimiprimi capite duodecimo: ut rore marino: Columella libri noni capite quarto & quinto. Ros tamen terræ poteſt intelligi: & quarto Georgico ſic:

---- aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.

Tophus] Plinius libri decimiſeptimi capite quarto hoc nomen probat. Tophus, ait, ſcaber natura friabilis expetitur quoque ab authoribus. *Chelydros*] Chelydrus ſerpens fumum, quà ſerpit, emittens: de quo & iterum tertio Georgico:

Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoq́; agitare graves nidore Chelydros.

Quæ] Definitur poſtremò quatuor ſuperiorum generum communis terra, iterum ſuis adjunctis, tenuiter nebuloſa, rigua, graminoſa, dulcis. Sic enim dulcedinem terræ, Columella dicit oppoſitam ſalſitudini qualitatem. Plinius libri decimiſeptimi capite quarto: Quippe non eadem arboribus convenit & frugibus plerumque: nec pulla, qualem habet Campania, ubique optima vitibus, aut quæ tenues exhalat nebulas. Sic igitur à Plinio Virgilius emendatur. *Salſa*] Plinio ibidem hoc etiam non placet. Salſæ terræ, ait, multa meliùs creduntur, tutiora à vitiis innaſcentium animalium: & ferro

omnis

omnis terra rubiginem obducit. *Vitibus ulmis*] Arbuſtivæ vitis periphraſis eſt quædam. *Pecori*] Paſcendo. *Talem*] Illuſtratio definitionis per exempla talis terræ in Campania apud Veſevum montem & Acerras oppidum. Veſevi poſtea, imperante Tito, conflagranti fumo Plinius obiit. Idem & Veſuvius & Veſuius dicitur à Poëtis. *Vacuis*] Deſertis penè propter inundationes. *Ora*] Nola priùs ſcriptum fuerat. poſtea, cùm Nolani Virgilio aquam denegaſſent, Poëta offenſus, quaſi ex hominum memoria, ſic ex ſuo carmine deraſit, & Ora repoſuit: Gellius libri ſeptimi capite viceſimo.

Nunc, quo quanq; modo poſſis cognoſcere, dicam.
Rara ſit, an ſupra morem ſi denſa, requiras:
(Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho:
Denſa magis Cereri, rariſſima quæque Lyæo)
Antè locum capies oculis: alteq; jubebis
In ſolido puteum demitti, omnemq; repones
Rurſus humum: & pedibus ſummas æquabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecoriq; & vitibus almis
Aptius, uber erit: ſin in ſua poſſe negabunt
Ire loca, & ſcrobibus ſuperabit terra repletis,
Spiſſus ager: glebas cunctantes, craſſaq; terga
Expecta: & validis terram proſcinde juvencis.
Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, (ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſervat)
Tale dabit ſpecimen: Tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaq; prælorum fumoſis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulceſq; à frontibus undæ
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ.
At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora

Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.
Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto
Diſcimus: Haud unquam manibus jactata fathiſcit:
Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo.
Humida majores herbas alit: ipſaq; juſto
Lætior: ah nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe prævalidam primis oſtendat ariſtis.
Quæ gravis eſt, ipſo tacitam ſe pondere prodit:
Quæq; levis. promptum eſt oculis prædiſcere nigram,
Et quiſquis color: at ſceleratum exquirere frigus,
Difficile eſt: piceæ tantum taxiq; nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt veſtigia nigra.

Nunc] Deſcribuntur jam ſuis ſignis qualitates novem, quæ differentias deſcriptas, & eorum contrarias inſtituunt: primò, denſum & rarum: egeſta & regeſta terra cùm aliquo quaſi fermento abundaverit, certum erit eſſe pinguem: cùm defuerit, exilem: cùm æquaverit, mediocrem: Columella libri ſecundi capite ſecundo. At non denſam hîc terram, ſed pinguem dicit. Plinius libri decimiſeptimi capite quarto videtur dicere, ſcrobis os nunquam compleri, ut denſa aut rara ad hunc modum deprehendi poſſit. *Solido*] Non concavo loco. *Æquabis*] Recalcando. *Expecta*] Explora an reſideant. *Salſa*] Secunda qualitas, ſalſitudo, indicio percolatæ aquæ dulcis, deprehenditur. De hoc Plinii ſententiam jam diximus. Terram verò amaram ſi quis probare velit, demonſtrant eam atræ degenereſque herbæ: Plinius libri decimiſeptimi capite quinto. Columella libri ſecundi capite ſecundo: Sapore quoque ſic dignoſcemus, ſi ex ea parte agri, quæ maximè diſplicebit, eſtoſſæ glebæ, & in fictili madefactæ, dulci aqua permiſceantur, ac more fæculenti vini diligenter colatæ guſtu explorentur. Nam qualem ab eis traditum retulerit humor ſaporem, talem dicemus

cemus eſſe ejus ſoli. Sed citra hoc experimentum multa ſunt quæ & dulcem terram, & frumentis habilem ſignificent, ut juncus, ut calamus, ut gramen, ut trifolium, ut ebulum, rubi, pruni ſylveſtres, & alia complura, quæ indagatoribus aquarum nota, non niſi dulcibus terræ venis educantur. Nec prima ſpecie ſummi ſoli contentos nos eſſe neceſſe eſt: ſed diligenter exploranda inferioris materiæ qualitas. *Calcentur*] Subigantur. *Eluctabitur*] Quaſi luctando emerget. *Amaror*] Hanc lectionem Hyginus apud Gellium libri primi capite viceſimo primo ſequitur; & docet è Lucretii quarto ſumptam eſſe:

Cum tuimur miſceri abſinthia, tangit amaror.

Pinguis] Indicium pinguis terræ, ſi trita manibus lenteſcat, de quo Columella libri ſecundi capite ſecundo: Itaque conſiderandum erit, ut ſolum quod excolere deſtinamus, pingue ſit. per ſe tamen id parùm eſt, ſi dulcedine caret. Quod utrumque ſatis expedita ratione nobis contingit diſcere. nam perexigua conſpergitur aqua gleba, manuque ſubigitur: ac ſi glutinoſa eſt, & quovis leniſſimo tactu preſſa inhæreſcit,

Et picis in morem ad digitos lenteſcit habendo,

ut ait Virgilius. eadem illiſa humo non diſſipatur. Ea res admonet nos, ineſſe tali materiæ naturalem ſuccum & pinguetudinem. *Humida*] Humidæ terræ indicium, proceritas herbarum & terræ ipſius fertilitas. Quod, ut ſuperius etiam, Plinio libri decimi ſeptimi capite quarto non probatur: Nec luxurioſa pabula pinguis ſoli ſemper indicium habent. Nam quid laudatius Germaniæ pabulis? Et tamen ſtatim ſubeſt arena tenuiſſimo ceſpitum corio. Nec ſemper aquoſa eſt terra, cui proceritas herbarum: non Hercule magis quàm pinguis adhærens digitis: quod in argillis arguitur. *Nimium fertilis*] Hæc ſegetum luxuries eſt, de qua depaſcenda primo Georgico agitur. *Quæ gravis*] Index gravis ac levis terræ, eſt pondus, ut nigræ & cujuſvis coloris, oculus: frigidæ, picea, taxus, hedera nigra. De pondere Plinius ibidem

non probat: Nec gravis, aut levior juſto pondere deprehenditur. Quod enim terræ pondus juſtum intelligi poteſt? Hæc ille: argumento tamen leviculo. Gravitas enim & levitas à Phyſicis inter elementorum qualitates adhibentur. *Sceleratum*] Pernitioſum frugibus. Eſt tamen (ait Plinius libri decimiſeptimi capite quarto) fertilis Thracia, frugum rigore: æſtibus Africa & Ægyptus. Capite autem quinto deinceps alia frigidæ terræ tradit indicia: Terram frigidam demonſtrant retorridè nata. *Picea*] Picea, arbor ejuſdem cum pinu generis, ait Dioſcorides libri primi capite ſeptuageſimoquarto: ſed pinguiori & tenuiori folio, minuſq; & alta & recta. Amat autem (ut Plinius libri ſexti capite decimo) montes & frigora, feralis arbor, & funebri indicio ad fores poſita. *Nocentes*] Peſtiferæ, ut jam dictum eſt. *Hedera*] Hedera, ſatis omnibus inimica, ſepulcraq; ac muros rumpēs, ſerpentium frigori gratiſſima, ut mirum ſit illam in honore ullo habitam Tres ſpecies ejus ſunt, candida, nigra, helix: Plinius libri decimi ſexti capite triceſimoquarto. De alba fuit ecloga ſeptima:

Candidior cygnis, hedera formoſior alba.

His animadverſis, terram multo antè memento
Excoquere, & magnos ſcrobibus concidere montes:
Antè ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Quàm lætum infodias vitis genus, optima putri
Arva ſolo. id venti curant gelidæq; pruinæ,
Et labefacta movens robuſtus jugera foſſor.
At ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit:
Antè locum ſimilem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus ſeges, & quò mox digeſta feratur:
Mutata ignorent ſubitò ne ſemina matrem.
Quin etiam cœli regionem in cortice ſignant:
Vt, quo quæque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,

Reſti-

Digitized by Google

Reſtituant. ADEO *in teneris conſueſcere multum eſt.*
Collibus an plano melius ſit ponere vites,
Quære prius. ſi pinguis agros metabere campi,
Denſa ſere: in denſo non ſegnior ubere Bacchus.
Sin tumulis acclive ſolum, colleſq́ue ſupinos:
Indulge ordinibus: nec ſecius omnis in unguem
Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.
Vt ſæpe ingenti bello quum longa cohortes
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto,
Directæq́ue acies, ac latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus: necdum horrida miſcent
Prælia, ſed dubius mediis Mars errat in armis.
Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum:
Non animum modò uti paſcat proſpectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neq́ue in vacuum poterunt ſe extendere rami.

His animadverſis] Adhuc tres partitiones fuerunt omnium arborum communes: propria vitium præcepta poſt electionē ſoli vineatici tredecim ſequuntur. primum, de paſtinatione novelleti, id eſt, vineti, ubi novellæ conſerendæ ſint. Columella libri quinti capite decimo jubet anno prius ſcrobem fieri. ita ſole pluviiſque macerabitur, & quod poſitum eſt, citò comprehendit. Minimùm verò duos menſes intercedere jubet. Plinius libri decimiſeptimi capite undecimo, Præfodere ſcrobes antè, ſi fieri poſſit, donec pingui ceſpite obducantur. Mago ante annum fieri jubet, ut ſolem pluviaſque combibant: aut ſi conditio largita non ſit, ignes in medio fieri ante menſes duos, nec niſi poſt imbres in his ſeri. *Aut ſi*] Secundum præceptum, de tranſlatione, ubi de ſeminario & ejus plaga. Seminarium ſit ſoli ſimile, ne viviradices degenerent. Plinius libri 17. capite decimo: Quamobrem ſeminarii curam antè convenit dici, quàm transferatur in

alia genera. namque & huic principio eligi ſolum refert, quin indulgentiorem eſſe nutricem quàm matrem ſæpe convenit. Sit ergo ſiccum ſuccoſiſſimque, bipalio ſubactum, advenis hoſpitale, & quàm ſimillimum terræ in quam transferendum ſit. Hîc igitur Plinio ſeminarium eſt nutrix; terra ipſa vinealis, eſt mater, ut hîc etiam Virgilio dicitur. In translatione autem Cato ventos omnes atque imbrem damnat. Et hoc proderit, quamplurimum terræ in qua vixerit, radicibus cohærere, ait Plinius idem libri decimi ſeptimi capite undecimo. *Quin etiam*] Plaga cœli ſimilis in translatis retinenda. notam verò hanc Cato meridianam jubet eſſe, ut neque Aquiloniæ meridianis oppoſitæ Solibus findantur, aut algeant meridianæ Aquilonibus. Quod è diverſo affectant etiam quidam in vite ficoque, permutantes in contrarium. denſiora enim folia ita fieri, magisque protegere fructum & minus amittere. Plinius in horam diei quartam vel octavam ſpectare mavult, libri decimi ſeptimi capite undecimo. Columella libri quinti capite decimo, eoſdem ventos retinet: & libri de arboribus capite decimo ſeptimo. Omnes arbuſculas priuſquam transferantur, rubrica notare convenit, ut cùm ſerentur, eaſdem cœli partes accipiát, quas etiam in ſeminario conſpexerant. alioquin frigore vel calore laborabunt ab iis partibus quas præter conſuetudinem ſub alio tractu expoſitas habuerint: quod Virgilius modò ait. *Axi*] Vertici Aquilonari. *Collibus*] Tertium, de ſatione: ubi breviter iteratur electio ſoli, & ad illud ratio ſationis & ordo accommodatur, ut ordo ſit denſus in denſa terra, rarus in rara. *Metabere*] Metis & terminis diſtingues. *Nec ſecius*] Illuſtratio per ſimilitudinem militaris ordinis. *In unguem*] Metaphora à marmorariis, qui juncturas unguibus probant. Hic autem quincuncialem ordinem poëta videtur ſignificare, quo in figuram X literæ, quinæ arbores recto verſu continuantur: de quo Plinius libri decimi ſeptimi capite undecimo: In diſponendis arboribus arbuſtisque ac vineis, quincuncialis ordinis ratio vulgata & neceſſaria, non

perflatu

perflatu modò utilis, verùm & aſpectu grata: quocunque modo intueare, in ordinem ſe porrigente verſu. Hæc ille. Columella etiam figuram quincuncis demonſtrat, & internodium definit in paſtinato ſolo quinque pedum, in arato ſeptem minimùm, ſatis amplum decem. Nonnulli tamen (ait) omnem vitem per denos pedes in quincuncem diſponunt, ut more novalium, terra tranſverſis adverſiſque ſulcis proſcindatur. *Cohortes*] Cohors, decima pars legionis, quinquaginta manipulos continens: Manipulus autem, viginti quinque milites: Varro quarto libro de lingua Latina. *Fluctuat*] Similis fluctuanti mari eſt exercitus incedens. *Omnia ſint*] Redditio ſimilitudinis. *Inanem*] Hypallage, pro Inanis aſpectus. primo Æneidos ſine hypallage idem dictum:

- - - atq; animum pictura paſcit inani.

Ergo ait poëta, Hic ordo non tantùm voluptatis gratia petitur, ſed utilitatis: quod jam ex Plinio diximus. & Quintilianus libri octavi capite tertio: Nulluſne ergo etiam fructiferis adhibendus eſt decor? Quis negat? nam & in ordinem certaque intervalla redigam meas arbores. Quid enim illo quincunce ſpecioſius? qui, in quamcunque partem ſpectaveris, rectus eſt: ſed protinus in id quoque prodeſt, ut terræ ſuccum æqualiter trahant.

Forſitan & ſcrobibus quæ ſint faſtigia, quæras.
Auſim vel tenui vitem committere ſulco.
Altiùs ac penitus terræ defigitur arbos:
Eſculus in primis: quæ quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neq; imbres
Convellunt: immota manet, multoſq; per annos
Multa virûm volvens durando ſæcula vincit:
Tum fortes latè ramos, & brachia tendens

Huc illuc, media ipſa ingentem ſuſtinet umbram.
Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites corylum ſere: neve flagella
Summa pete, aut ſummas deſtringe ex arbore plantas
(Tantus amor terræ) neu ferro læde retuſo
Semina: neve oleæ ſylveſtres inſere truncos.
Nam ſæpe incautis paſtoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primùm ſub cortice tectus,
Robora comprendit: frondesq; elapſus in altas,
Ingentem cœlo ſonitum dedit: inde ſecutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
Ad cœlum picea craſſus caligine nubem:
Præſertim ſi tempeſtas à vertice ſylvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non à ſtirpe valent, cæſæq; reverti
Poſſunt, atque ima ſimiles revireſcere terra.
Infelix ſuperat foliis oleaſter amaris.

Forſitan] Hæc pars ad primum præceptum de paſtinatione attinet, de modica altitudine ſcrobium: de qua varia eſt opinio. Plinius libri decimiſeptimi capite undecimo ait, non altiores quinò ſemipede, nec latiores duobus pedibus, nuſquam verò ſeſquipede minùs altos: ubi varias authorum opiniones recenſet. Ibidem capite decimo nono: In aquoſis neque altos neque amplos facere convenit: aliter æſtuoſo ſolo & ſicco, ut quàm maximè accipiant aquam, contineantque. Idem capite viceſimoſecundo: Scrobibus latitudo eſt ternorum pedum in quamcunque partem: altitudo in quocunque genere tripedalis. Columella libri quarti capite primo diſputat adverſus Atticum & Celſum, non eſſe ſatis altos ſcrobes bipedaneos vineaticis ſeminibus. De forma etiam

etiam ſcrobis ita præcipit libri quinti capite decimo: Sed ſcrobs clibano ſimilis fiat, cujus imum ſummo patentius eſt, ut laxius radices vagentur, ac minus frigoris hyeme, minuſque æſtate vaporis per anguſtum os penetret: etiam ut clivoſis locis terra, quæ in eum congeſta eſt, à pluviis non abluatur. Et Plinius libri decimiſeptimi capite undecimo foſſuram caminatam, ore compreſſiore jubet eſſe. *Altius*] Illuſtratio per diſſimilitudinem arborum altas radices habentium, ut eſculi: de quo Plinius libri decimiſexti capite triceſimoprimo: Robora ſuas radices in profundum agunt; ſi Virgilio quidem credimus: eſculus, quantum corpore eminet, tantum radice deſcendit. Repetitur autem idem quarto Æneidos per collationem quercus annoſæ ventis agitatæ, cum Æneæ conſtantia:

Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & altè
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes:
Ipſa hæret ſcopulis, &, quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in tartara tendit.

Sæcula] Sæculum, ſpatium eſt annorum centum. Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimo quarto, de ætatibus arborum, memorat arbores quaſdam æquales urbis Romæ, quæ tum erat annorum octingentorum: tres etiam ilices apud Tiburtes, multò antiquiores. *Neve*]. Revertitur ad ſecundum præceptum de plaga cœli: Caveatur ſitus Occidentis: de quo Columella libri tertii capite duodecimo: Quam regionem ſpectare vites debeant, vetus eſt diſſenſio: Saſerna maximè probante Solis ortum, deinde meridiem, tum occaſum: Tremellio Scrofa præcipuam poſitionem meridianam cenſente: Virgilio occaſum ſic repudiante:

Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem.

Democrito & Magone laudantibus cœli plagam Septentrionalem, quia exiſtiment ei ſubjectas, feraciſſimas fieri vites, quæ tamen bonitate vini ſuperentur. Nobis in uni-

verſum præcipere optimum viſum eſt, ut in locis frigidis meridiano vineta ſubjiciantur, tepidis Orienti advertantur, ſi tamen non infeſtabuntur Auſtris Euriſque, ut oræ maritimæ in Bætica. Sin autem regiones prædictis ventis fuerint obnoxiæ, melius Aquiloni vel Favonio committentur. Nam ferventibus provinciis, ut Ægypto & Numidia, uni Septentrioni rectiùs opponentur. Hæc ille: unde intelligis, nullum cœli aſpectum non aliquando vitibus opportunum: ſed tamen occaſum rariſſimum, cùm Auſtri vel Euri infeſtabunt. Plinius etiam libri decimi ſeptimi capite ſecundo tam varius eſt: Connexa & ſitus vinearum arbuſtorumque ratio eſt, quas in oras debeant ſpectare. Virgilius ad occaſus ſeri damnavit. Aliqui ſic maluere, quàm in exortu. A pluribus meridiem probari animadverto: nec arbitror perpetuum quicquam in hoc præcipi poſſe. ad ſoli naturam, ad loci ingenium, ad cœli cujuſque mores dirigenda ſolertia eſt. In Africa vineas meridiem ſpectare, etſi viti inutile, colono ſalubre eſt, quoniam ipſa meridianæ ſubjacet plagæ. Quapropter qui ibi in occaſum aut ſeptentriones conſeret, optimè miſcebit ſolum cœlo, cùm Virgilius occaſus improbet. Nec de Septentrione relinqui dubitatio videtur. Atqui in Ciſalpina Gallia magna ex parte vineis ita poſitis compertum eſt, nullas eſſe fertiliores. multum etiam rationis obtinent venti. Adhuc Plinius, eadem ferè quæ Columella: ubi etiam videmus, occaſum & Septentrionem alicubi probari, ut in Africa & in Italia. Idem tamen ibidem capite viceſimo ſecundo, vitem in æquinoctialem orientem ſpectare jubet. *Neve inter*] Quartum præceptum, de contrariorum defenſione: quod partes multas habet. prima eſt, ne vitibus corylus inſeratur. Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo quarto: Vitis odit raphanum, laurum, caulem: odit & corylum: ni procul abſint, triſtis atque ægra. Nitrum quidem & alumen, marina aqua calida, & fabæ putamina vel ervi, ultima venena ſunt. Servius putat radices colornas vitibus nocere: fortaſſis etiam denſitate, quæ prima ecloga notatur,

Hic

Hic inter denſas Corylos.---

Neve flagella] Quintum præceptum, de vitis electione, ne malleoli vel taleæ è noviſſima ſurculi parte ſumantur: quam ruſtici (ait Columella libri tertii capite decimo ſeptimo) ſagittam vocant: ſive quia longiùs receſſit à matre, & quaſi micuit atque proſiluit: ſeu quia cacumine attenuato prædicti teli ſpeciem gerit: quam ibidem ait à veteribus repudiatam, & probatam eam partem quæ juncta eſſet cum vetere ſarmento. Et ejuſdem libri capite ſexto, matrem maximè vult eſſe genitalem, & libri de arboribus capite tertio: Optima ſemina (ait) habentur à lumbis, ſecunda ab humeris; tertia in ſumma vite lecta, quæ celerrimè comprehendunt, & ſunt feraciora: ſed quæ celerrimè ſeneſcunt. Qua de re etiam multo plura ſcribit libri tertii capite decimo: & inferiores partes ideo laudat, quòd à fœtu vacant, quodque è proximo terræ integro atque illibato ſucco aluntur: ideoque maximè genitales indicat. *Neu ferro*] Sextum præceptum, de putatione vitis. Falce leni putetur; putatio non fiat ante Aquilæ exortum. In latifundiis verò legitima naturæ feſtinatio. quo maturiùs putantur aptis diebus, eo plus materiæ fundunt: quo ſeriùs, eo fructum uberiorem. Quare macras priùs convenit putare, validas noviſſimè. Plagam omnem obliquam fieri, ut facilè decidant imbres, & ad terram verti, quàm leviſſima cicatrice, acie falcis exacuta, plagaque convelata. Recidi autem ſemper inter duas gemmas, ne ſit vulnus oculis in reciſa parte: Plinius libri decimi ſeptimi capite vigeſimo ſecundo. *Retuſo*] Obtuſo, quo vites quaſſantur potiùs quàm putantur, ait Servius. Columella videtur hîc Virgilium ſecus accipere, eumque reprehendere, libri quarti capite undecimo. Illam veterem opinionem damnavit uſus, (ait) non eſſe ferro tangendos anniculos malleolos, quòd aciem reformident: quod fruſtra Virgilius & Saſerna, Stoloneſque & Catones timuerunt. *Neve*] Redit ad quartum præceptum, de contrariorum defenſione, ne interſeratur oleaſter. Ratio additur ex adjun-

ćto incendii periculo: quod ſuis cauſis ornatè deſcribitur. In oleaſtri verò damnatione videtur Virgilius ſecutus Theophraſtum, qui libri tertii capite decimoquinto de cauſſis plantarum, ait, moleſtiſſimas eſſe viti ficum & oleam. multum enim attrahunt alimentum, & umbram faciunt amplam. Plinius tamen oleam (ſed umbroſa excepta) item ficum, ex arbuſto non tollit, libri decimiſeptimi capite viceſimotertio. Nam poſt ulmum, populum nigram, fraxinum, ficum & oleam numerat. *Hoc ubi*] Contigerit, intellige.

Nec tibi tam prudens quiſquam perſuadeat author,
Tellurem Borea rigidam ſpirante movere.
Rura gelu tum claudit hyems, nec ſemine jacto
Concretam patitur radicem affigere terra.
Optima vinetis ſatio eſt, quum vere rubenti
Candida venit avis longis inviſa colubris:
Prima vel autumni ſub frigora, quum rapidus ſol
Nondum hyemem contingit equis, jam præterit æſtas.
Ver adeò frondi nemorum, ver utile ſylvis:
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther
Conjugis in gremium latè deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.
Avia tum reſonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager: Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arva ſinus: ſuperat tener omnibus humor:
Inque novos Soles audent ſe gramina tutò
Credere: nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Non alios prima creſcentis origine mundi

Illuxiſſe

Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim. ver illud erat; ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.
Quum primùm lucem pecudes hauſere, virûmq́;
Ferrea progenies duris caput extulit arvis:
Immiſſæq́; feræ ſylvis, & ſydera cœlo.
Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusq́; caloremq́;
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.

Nec tibi] Redit ad primum & tertium præceptum, de paſtinatione & ſatione: & præcipit de tempore vitium paſtinandarum & ſerendarum, non hyberno, ſed verno vel autumnali. *Satio*] Columella libri tertii capite decimoquarto: Sequitur opus conſerēdæ vineæ: quæ vel vere, vel autumno tempeſtivè deponitur. vere meliùs, ſi aut pluvius aut frigidus ſtatus cœli eſt, aut ager pinguis aut campeſtris & uliginoſa planicies. rurſus autumno, ſi ſicca, ſi calida eſt aëris qualitas: ſi exilis atq; aridus campus: ſi macer prӕruptuſq; collis. vernæq; poſitionis dies ferè quadraginta ſunt, ab Idibus Februariis uſque in æquinoctium: rurſus autumnalis, ab Idibus Octobris in Calendas Decembres. *Candida*] Periphraſis eſt ciconiæ ex ſuis adjunctis. Huic autem avi honos ſerpentium exitio tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe: Plinius libri decimi capite viceſimotertio. *Rapidus*]. Veloci obliquitate præcipitans dies. *Ver adeò*] Digreſſio in veris laudē, ex variis ejus adjunctis, quòd tum concipiunt plantæ, aves, pecudes, fruges, vites. Eſt enim ver (ait Theophraſtus de cauſſis plantarum libri primi capite 14.) tempus omnium vivaciſſimum fœcundiſſimumque, utpote quod humidum calidumque naturâ ſit. Movit autem Ovidius 1. Faſtorum quęſtionem de vere, an eſſet anni principium, his ferè argumentis:

Dic agè, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui meliùs per ver incipiendus erat?

Omnia tunc florent, tunc eſt nova temporis ætas:
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modò formatis operitur frondibus arbor:
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.

Æther] διὰ τὸ ἀεὶ θεῖν, quia ſemper currat, ait Ariſtoteles de Cælo. Ergo ætheris nomine cœlum modò intelligitur: cujus ſanè virtute omnia vireſcunt atque animantur in terris. Iſtaque eſt anima mundi, quæ ſexto Æneidos exponitur:

Principio cœlum ac terras campoſq; liquentes,
Lucentemq́; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Avia] Sic Ovidius ibidem:

Et tepidum volucres concentibus aera mulcent:
Ludit & in pratis luxuriatq; pecus.

Ager] Sic Ovidius ibidem:

Tunc patitur cultus ager, ac renovatur aratro.

Zephyrique] De quibus primo Georgico ad illum locum:

----putris ſe gleba reſolvit.

Non alios] Secundus laudis locus, item ex adjunctis, quòd illud naſcentis mundi principium fuerit: de quo & ibidem Ovidius:

Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

Hæc verò videtur Virgilius per Hebræos de Moſe ſumpſiſſe. *Ferrea*] Alludit ad illud Heſiodi,

Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον ----

Nunc enim ſanè genus eſt ferreum.

Nec res] Additur viciſſitudinis vetus finis, ex requiete rerum naturalium.

Quod ſupereſt, quæcunque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut ſqualentes infode conchas.

Inter

Inter enim labentur aquæ, tenuisq; ſubibit
Halitus, atq; animos tollent ſata. jamque reperti
Qui ſaxo ſuper atq; ingentis pondere teſtæ
Vrgerent. hoc effuſos munimen ad imbres:
Hoc, ubi hiulca ſiti findit Canis æſtifer arva.
Seminibus poſitis, ſupereſt deducere terram
Sæpius ad capita, & duros jactare bidentes:
Aut preſſo exercere ſolum ſub vomere, & ipſa
Flectere luctantes inter vineta juvencos.
Tum leves calamos, & raſæ haſtilia virgæ,
Fraxineasq; aptare ſudes, furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Aſſueſcant, ſummasq; ſequi tabulata per ulmos.
Ac dum prima novis adoleſcit frondibus ætas,
Parcendum teneris: & dum ſe lætus ad auras
Palmes agit laxis per purum immiſſus habenis,
Ipſa acie falcis nondum tentanda: ſed uncis
Carpendæ manibus frondes, interq; legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ ſtirpibus ulmos
Exierint, tunc ſtringe comas, tunc brachia tonde:
(Antè reformidant ferrum) tunc denique dura
Exerce imperia, & ramos compeſce fluentes.

Quod ſupereſt] Septimum præceptum, de fœcundis ſeminibus vineaticis, ſtercore, lapide arenario, ſaxo. *Premes*] Defodies in ſcrobem. *Virgulta*] Ut taleas, malleolos ſeu viviradices. *Fimo*] Columella libri tertii capite decimo quinto: Idem quoque Pœnus author, probat vinacea permiſta ſtercori, depoſitis ſeminibus in ſcrobem, vites movere, quòd illa provocent & eliciant novas radiculas. Hoc per hyemem frigidam & humidam ſcrobibus inferre calorẽ tempeſtivum, ac per æſtatem virentibus alimentum & humorem præbere. Si verò ſo-

lum cui vitis committitur, videtur exile, longiùs acceſſitam pinguem humum ſcrobibus inferre cenſet: quod an expediat, regionis annona, operarumque ratio nos docebit. Idem tertio capite de arboribus: In terram bene paſtinatam ac ſtercoratam ſarmentum defigito.
Occule] Columella ibidem quàm diligentiſſimè jubet obrui eo loco, unde neque pluvias, neque ventos ſentire poſſit: & Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo ſecundo: Operitoque ac bene occultato. *Lapidem bibulum*] Columella ibidem: Aptiſſima vitibus terra eſt arenoſa, ſub qua conſiſtit dulcis humor: probus conſimilis ager, cui ſubeſt tophus: æquè utilis congeſta & mota terra. Sabulum quoque, cui ſubeſt dulcis argilla, vitibus convenit. Idem libri tertii capite decimo quinto diſponi paucos lapides jubet, qui ſinguli non excedant quinque librarum pondus. Hi videntur, ut Mago prodit, & aquas hyemis, & vapores æſtatis propulſare radicibus. Quem ſecutus Virgilius, tutari ſemina & muniri ſic præcipit. Hæc ille: & Plinius libri decimi ſeptimi capite undecimo: Aliqui lapides rotundos ſubjici malunt, qui & continent humorem & tranſmittunt: non item planos facere. *Saxo*] Hoc Columella videtur improbare libri tertii capite decimo quinto: Saxa, ait, ſumma parte terræ, & vites & arbores lædunt: ima refrigerant, libri de arboribus capite tertio. *Seminibus*] Octavum, de repaſtinatione: ubi & pulveratio videtur exponi: Crebrò fodito: capita vitium putata circunfodito: arare incipito: ultro citroque ſulcos perpetuos ducito; Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo ſecundo: ubi & dicitur foſſione pulverem excitatum contra ſoles nebulaſque prodeſſe. *Jactare*] *bidentes*] Id eſt Bidentibus ſeu bipaliis & paſtinis paſtinare. *Aut preſſo*] Si arbuſtivæ ſint vites, de quibus hîc præcipuè. *Tum leves*] Nonum de pedatione vitium. Fit autem jugum pertica aut arundine aut crine funiculove: Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo primo. Calamos igitur hîc arundinem Virgilius

lius dicit. Deputantur autem his pedamentis à Plinio libri decimi ſeptimi capite viceſimo, ſalix, arundo, populus alba, caſtanea, eſculus, fraxinus, laurus, perſica, corylus, malus, ſambucus. *Tabulata*] Columella libri quinti capite ſexto docet ulmorum ramulos paulatim detorqueri, & cùm adoleſcere cœperint, falce formari, tabulataque inſtitui. hoc enim nomine uſurpant agricolæ ramos truncosque prominentes. Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo tertio, tabulatorum formam etiam planiùs oſtendit: Et ulmus detruncata à media, in ramorum ſcamna digeritur: nulla ferè viginti pedum altiore arbore. tabulata earum ab octavo pede altitudinis dilatantur in collibus ſiccisque agris: à duodecim in campeſtribus & humidis. Ibidem etiam paulo antè, in ſummis tabulatis laudatiora vina gigni, ſicut uberiora imis. Hæc ille: unde intelligimus, Tabulata in arbuſto eſſe veluti domicilia vitium, cubiculis etiam diſtincta. *Ac dum*] Decimum, de pampinatione & frondatione, manu, non ferro facienda. *Palmes*] Palmes, eſt ſurculus vitis anniculus, qui gemmas emittit, quæ deinde in virgulas abeunt, & palmæ cujuſdam digitos faciunt. *Manibus*] Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo ſecundo: Vitem novellam reſecari tum erit tempus, ubi valebit. Idem libri decimi octavi capite viceſimo ſeptimo: Cùm pampini quatuor digitos longitudine expleverint, tum pampinandi tempus eſt. *Comas*] Sic duodecimo Æneidos,

----poſuitq; comas & brachia ferro.

Texendæ ſepes etiam, & pecus omne tenendum
eſt:
Præcipuè dum frons tenera, imprudensq; laborum;
Cui ſuper indignas hyemes, ſolemq; potentem,
Sylveſtres uri aſſiduè. capreæq; ſequaces

Illudunt: paſcuntur oves, avidæq; juvencæ.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus æſtas:
Quantum illi nocuere greges, duriq; venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi:
Præmiaq; ingentes pagos & compita circum
Theſeidæ poſuere, atq; inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.
Nec non Auſonii, Troja gens miſſa, coloni
Verſibus incomptis ludunt, riſuq; ſoluto:
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina læta: tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubeſcit vinea fœtu:
Complentur vallesq; cavæ, ſaltusq; profundi,
Et quocunq; deus circum caput egit honeſtum.
Ergo ritè ſuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesq; & liba feremus:
Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram:
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Texendæ] Redit ad quartum præceptum, de defenſione contrariorum, ut ſepiantur vites adverſus pecoris morſus. Plinius libri decimi ſeptimi capite vicesimo ſecundo: Gemmante vite arcendum procul eſſe pecus, ſed maximè lanatum, quoniam facillimè auferat gemmas. *Uri*] Uri, ſunt è genere ferorum boum, quos vulgus imperitè Bubalos vocat, cùm Bubalos gignat Africa, vituli potiùs cervice: Germania autem, Uros: ait Plinius libri octavi capite decimo quinto. Sunt autem Uri in Hercinia

cinia ſylva paulo minores elephantis, ſpecie & colore & figura tauri. magna vis eorum & velocitas: neque homini, neque feræ, quam conſpexerint, parcunt, ait Cæſar libro ſexto. *Capreæque ſequaces*] De Capreis fuit ecloga ſecunda ad illum locum:

Præterea duo, nec tuta mihi valle, reperti Capreoli.

Sequaces autem à velocitate cognominantur, ut fugaces decimo Æneidos,

---ſi fortè fugacem
Conſpexit capream.

Frigora] Amplificatur propoſitum detrimentum, primùm à minorum collatione, quòd minùs hyems & æſtas noceant. *Non aliam*] Secundus locus amplificationis, ex adjuncta hirci immolatione, propterea quòd vites rodat: qua occaſione Orgia latinis exponuntur. *Caper*] Caper pro hirco ſumitur, ut paulo pòſt propriè:

Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.

Et ſic Ovidio appellatur primo Faſtorum, ubi immolatio hæc deſcribitur:

Sus dederat pœnas: exemplo territus hujus,
Palmite debueras abſtinuiſſe caper.
Quem ſpectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito verba dolore dedit:
Rode caper vitem, tamen hinc, cùm ſtabis ad aras,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Proſcenia] Pulpita ante ſcenam, unde judicia exercentur, proſcenia dicuntur. *Præmiaque*] Hircum pro præmio poſuere. τράγος enim eſt hircus: unde Tragœdia dicta eſt: & hîc Tragœdiæ origo declaratur. De hoc etiam Horatius in arte poëtica,

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Ingentes] Pierius *Ingeniis* legendum cenſet, ut ſit ſenſus, Poëtis, qui homines ingenioſi ſunt. *Pagos & compita*] Sic Horatius in arte,

Quos circum Pagos & circum compita victor.

Theſeidæ] Athenienſes, quorum rex Theſeus fuit, ab eis conſecratus. *Mollibus*] Deſcribit ἀσκώλια, ludos Athenienſium ; quibus in medio theatro ſuper utres inflatos unctoſque uno tantum pede ſaltabatur, ut lapſi riſum excitarent. Virgilius non theatrum notat, ſed prata, quia de ruſticis vinitoribus loquitur. *Nec non*] Eadem Orgia docet à Latinis ſimiliter celebrari. *Troja*] Sic Æneidos primo:

Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atq; altæ mœnia Romæ.

Incomptis] Sic primo Georgico:

----neq; antè
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Oraque] Periphraſis eſt perſonæ ; quia caput & os tectum undique ; unaque tantùm vocis emittendæ via pervium: Gellius libri quinti capite ſeptimo: de quo Horatius in Arte:

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Quæ canerent agerentq; peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ pallæq; repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis.

Oſcilla] Ab os, fit oſciculum, unde oſcillum alii tamen ab Oſculum derivant. Macrobius de oſcillis ſic ſcribit in Saturnalibus, libri primi capite ſeptimo: Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam revertentem, ſuaſiſſe illorum poſteris, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, inferentes Diti non hominum capita ; ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata: & aras Saturnias, non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes: quia non ſolùm virum ſed & lumina, φῶτα ſignificant. *Hinc omnes*] Hic finis eſt Orgiorum, ut Bacchus propitiatus vites fœcundet. *Pubeſcit*] Hac item metaphora Plinius utitur libri decimi ſeptimi capite viceſimo

mo ſecundo, cùm ait, Inimicos & pubeſcente uva caſtros; quod Progemmare Columella dicit, libri quarti capite viceſimoſeptimo: Si palmis incipiētibus progemantibuſq; foſſorem immiſeris, magnam partē vindemiæ decuſſeris. *Valleſque*] Id eſt campeſtres & montanæ vites, & denique genus omne vitium. *Ergo*] Concluduntur Orgia, epulari convivio: quale jam fuit:

---hic fertilis uva,
Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras:
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Liba] Ex farre, melle, oleo facta. *Stabit*] Verbū eſt Pontificale. Obſervatum eſt (ait Macrobius in Saturnalibus libri tertii capite quinto) à ſacrificantibus, ut ſi hoſtia, quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementiùs reluctata, oſtendiſſetq; ſe invitam altaribus admoveri, amoveretur. quia invito deo eam offerri putabant. quæ autem ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari exiſtimabant. hinc nono Æneidos:

Et ſtatuam ante aras aurata fronde juvencum.

& hic: *Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.*
Sacer] Devotus deo. *Verubus*] Sic Æneidos primo,

----verubuſq; trementia figunt.

Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nūquam exhauſti ſatis eſt. nanq; omne quotannis
Terque quaterque ſolum ſcindendum: glebaq; verſis
Æternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus. REDIT *agricolis labor actus in orbem:*
Atq; in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.
Et jam olim, ſeras poſuit quum vinea frondes,
Frigidus & ſylvis Aquilo decuſſit honorem:
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Ruſticus, & curvo Saturni dente relictam
Perſequitur vitem attondens, fingitq; putando.

Primus humum fodito: primus devecta cremato
Sarmenta, & vallos primus ſub tecta referto:
Poſtremus metito. bis vitibus ingruit umbra:
Bis ſegetem denſis obducunt ſentibus herbæ:
Durus uterq; labor. LAUDATO *ingentia rura,*
Exiguum colito. nec non etiam aſpera ruſci
Vimina per ſylvam, & ripis fluvialis arundo
Cæditur: incultiq; exercet cura ſalicti.
Iam vinctæ vites, jam falcem arbuſta reponunt:
Iam canit extremos effœtus vinitor antes.
Sollicitanda tamen tellus, pulviſq; movendus:
Et jam maturis metuendus Iuppiter uvis.

Eſt etiam] Repetitur octavum præceptum de paſtinatione & occatione iteranda. *Exhauſti*] De hac diligentia, Columella libri quarti capite tertio. (de quo mox rurſum) & Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo ſecundo: Plerique æſtate tota poſt ſingulos rores confodi vineam jubent: alii vetant gemmantem: ſatiſque eſſe vineam hoc anno confodi ab æquinoctio verno ad Vergiliarum exortum, ad exortum Canis, & nigreſcente acino. Quidam ita determinant, veterem ſemel à vindemia ante Brumam: cùm alii ablaqueare & ſtercorare ſatis putent: iterum ab Idibus Aprilis antequam concipiat, & cùm defloruerit, & variante ſe uva. Peritiores affirmant, ſi juſto ſæpius fodiatur, in tantum tenereſcere acinos, ut rumpantur. quæ fodiuntur, ante ferventes horas diei fodiendas convenit. *Omne levandum*] Decimum, de pampinatione iteranda, de qua ſic Plinius ibidem: Pampinatio verna in confeſſo eſt ab Idibus Majis intra dies decem, utique antequam florere incipiat, & eam infra lignum debere fieri: de ſequente, variant ſententiæ. cùm defloruerit, aliqui pampinandum putant: alii ſub ipſa maturitate. Idem poſtea libri decimi octavi capite viceſimo

ſeptimo

ſeptimo, ait circa octavum Calendas Julii vineas pampinari. *Redit*] Veteres annum à circuitu vocabant, quia An pro Circum ſolebant ponere, ait Macrobius ſecundo libro in Scipionis ſomnium. Et huc ſpectat Cleobuli ænigma de patre & duodecim filiis forma diſparibus. &, quamvis ſinguli intereant, omnibus tamen immortalibus. vide Laërtium in Cleobulo. *Et jam*] Undecimum de ablaqueatione, quæ fit cùm radices ſummæ & ſoboles circunfoſſa terra amputantur, poſteàque truncus terra obruitur: Columella libri quarti capite nono. Fit autem poſt vindemiam ablaqueatio, & ante Brumam, ait Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo ſecundo. *Frigidus*] Servius ait hunc verſum Varronis eſſe. *Curvo Saturni dente*] Periphraſis eſt falcis vinitoriæ, quæ cultro, ſcalpro, roſtro, ſecuri ſecat, & mucrone pungit. Columella libri quinti caput viceſimum quintum in ejus forma deſcribenda conſumpſit. Saturno autem falx ideo tribuitur, quia Κρόνος Saturnus & tempus eſt: at tempore, tanquam falce omnia ſecantur & abſumuntur. *Primus*] Duodecimum & poſtremum præceptum eſt, quo multa cumulatur, ſed diligentia inprimis commendatur. *Vallos*] Palos, ſudes. propriè autem hîc pedamenta, ſtatumina, adminicula, ridicas, authores rei ruſticæ nominant. *Bis vitibus*] ideo bis paſtinandum, vere & circa octavum Calendas Julii, ut jam ex Plinio diximus. *Bis ſegetem*] De hoc primo Georgico,

----ut mala culmos
Eſſet rubigo, ſegnisque horreret in arvis
Carduus. intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,
Lappæq; tribulique----

Uterque labor] Pampinandi & ſarriendi. *Laudato*] propter hos infinitos labores, modicus fundus à poëta laudatur: Laudato latifundia locupletum, ſed agro modico contentus eſto. Columella libri quarti capite tertio totus eſt in explicatione hujus ſententiæ: & Græcinus ſumit exemplum Paridii cujuſdam duas filias ha-

bentis, & fundum vinea conſitum: cujus cùm tertiam partem majori filiæ nubenti dediſſet, nihilominùs tamen æquè magnos fructus è reliquis duabus partibus capiebat. minorem deinde filiam nuptui collocavit, dimidia parte reliqui agri: nec ſic ex priſtino cultu detraxit. Quo quid conjicit, niſi meliùs cultam ſcilicet eſſe tertiam fundi partem, quàm antea univerſam? Idem Plinius libri decimooctavi capite ſexto: Quippe, ait, ita cenſebant, ſatiùs eſſe minùs ſerere, & meliùs arare. Qua in ſententia video Virgilium fuiſſe: verumq; confitentibus, latifundia Italiam perdidêre. *Nec non*] Perſequitur labores vinitoris, de viminibus ex ruſco, ſalice, arundine tegendis. *Ruſci*] De ruſco diximus ecloga ſeptima:

Immò ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco.

Inculti] Nullius reditus tempeſtatum ſecurior, quàm ſalicti, ut jam dictum. *Antes*] Vinearum extremos ordines: vel materias, quibus vineæ clauduntur. *Sollicitanda*] Colendo, arando, aut paſtinando. & diſſimilitudinis propoſitio ſymbolum ſuum non habet: Quamvis putet vinitor, ſe ad extremos antes perveniſſe, tamen eſt ſolicitanda, id eſt, aranda. Nam ſolicitare propriè eſt ſolum ciere & movere, ut Tibullus dixit:

Et teneram ferro ſolicitavit humum.

Pulviſque] Pulveratio hæc etiam priùs propoſita:

---- ſupereſt deducere terram
Sæpius ad capita ----

Jupiter] Aëris tempeſtas & varietas. *Contrà*] Amplificatur vitium labor diſſimilitudine reliquarum arborum: quarum cultus non omnino nullus eſt, ut videtur Virgilius dicere, ſed ſimplicior, ut Columella confitetur libri quinti capite ſeptimo.

Contrà, nonnulla eſt oleis cultura: neque illa
Procurvam expectant falcem raſtroſque tenaces,
Quum ſemel hæſerunt arvis, auraſque tulerunt:

Ipſa

Ipſa ſatis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, & gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem & placitam paci nutritor olivam.
Poma quoq; ut primùm truncos ſenſere valentes,
Et vires habuêre ſuas: ad ſydera raptim
Vi propria nituntur, opiſque haud indiga noſtræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne graveſcit,
Sanguineiſq; inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cytiſi: tædas ſylva alta miniſtrat:
Paſcunturq; ignes nocturni, & lumina fundunt,
Et dubitant homines ſerere, atq; impendere curam?
Quid majora ſequar? ſalices, humileſq; geniſtæ,
Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus umbram
Sufficiunt, ſepemq; ſatis, & pabula melli:
Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum,
Naryciæq; picis lucos: juvat arva videre
Non raſtris hominum, non ulli obnoxia curæ.
Ipſæ Caucaſeo ſteriles in vertice ſylvæ,
Quas animoſi Euri aſſiduè franguntq; feruntq;,
Dant alios aliæ fœtus: dant utile lignum
Navigiis, pinos, domibus cedroſq; cupreſſoſq;.
Hinc radios trivêre rotis, hinc tympana plauſtris
Agricolæ, & pandas ratibus poſuêre carinas.
Viminibus ſalices fœcundæ, frondibus ulmi:
At myrtus validis haſtilibus, & bona bello
Cornus: Ityreos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ læves, aut torno raſile buxum,
Non formam accipiunt, ferroq; cavantur acuto.
Nec non & torrentem undam levis innatat alnus
Miſſa Pado: nec non & apes examina condunt

Corticibusq; cavis, vitioſaq; ilicis alvo.

Contrà] Primùm de olea dicitur, quòd cultum nullum requirat, in quo ab omnibus Virgilio reclamatur. Cato enim putari, ablaqueari, ſtramentis & amurca aquæ permiſta circunfundi jubet. Idem ferè Columella, libri de arboribus capite decimo ſeptimo, & Plinius libri decimi quinti capite primo: Virgilius dixit oleas nec deſiderare raſtros, nec falcem aut curam. Sine dubio & in his ſolum maximè cœlum que refert: veruntamen attondentur ſicut & vites, atque etiam interradi gaudent. Conſequens earum vindemia eſt, arsque vel major oleum quàm muſta temperandi. Idem rurſus libri decimi ſeptimi capite decimo octavo: Vetus olivetum ab æquinoctio verno circa Vergiliarum exortum interradi alternis annis; melius inventum: item muſcum circundare radici. circunfodi autem omnibus annis à ſolſtitio duum cubitorum ſcrobe, pedali altitudine: ſtercorari tertio anno. *Procurvam falcem*] Qua putentur. ſic antè

---- Saturni dente recurvo.

Auraſque tulerunt] Ventis ferendis ſunt aſſuefactæ. *Placitam paci*] Oliva, pacis inſigne, arbor Palladis ſic jam facta:

Palladia gaudet ſylva vivacis olivæ.

Nutritor] Nutrito. Deponens hoc verbum veteribus fuiſſe, hic locus indicat. *Poma quoq;*] Secundus locus de pomiferis arboribus. *Nec minus*] Tertius locus de frugiferis arboribus ſylveſtribus. *Aviaria*] Avium domicilia, nemora nempe ſecreta, Sic antea dixit,

Antiquaſq; domos avium---

Tondentur] Quartus locus de variis arboribus, quarum utilitates partim è fructu partim è materia commemorantur. *Cytiſi*] De quibus ecloga prima,

Florentem cytiſum & ſalices carpetis amaras.

Quomodo ſuum, jumentorum, apum, nutricum etiam

tiam lactis inopia laborantium, cibus ſit. *Tædas*] In Europa ſex genera ſunt arborum reſinam ferentium, pinus, pinaſter, picea, abies, larix, tæda propriè dicta, abundans ſucco, liquidior quàm picea, flammis ac lumini ſacrorum etiam grata. *Et dubitant*] Epiphonematis ſpecie eſt intelligendum; Denique propter tot egregias arborum naturalium commoditates, quidam dubitant, utrùm ſatione ſit opus, ac non potiùs natura contenti eſſe debeamus. *Salices*] De iis jam dictum:

---- & glauca canentia fronte ſalicta.

Pecori] *---- Nec ſalices carpetis amaras,*

fuit ecloga prima. *Melli*] Sic ecloga prima, *---- ſepes*

Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti.

Et Plinius libri viceſimi primi capite ſecundo ait, geniſtam apibus eſſe gratiſſimam: ideoque, ut idem ejuſdem libri capite quarto, alvei exitus geniſtis tritis illinitur, ne apes diffugiant. *Cytorum*] Cytorus, mons Paphlagoniæ, in quo buxus eſt plurima, ut in Pyrenæis montibus & Berecynthio tractu: Plinius libri decimiſexti capite decimoſexto. *Naryciæque picis*] Pix, nihil aliud eſt (ait Ruellius) quàm fluxus combuſtæ in tæda ſuâ reſinæ. Narycium autem, oppidum eſt Locrorum:

Hinc & Narycij poſuerunt mœnia Locri,

tertio Æneidos. Aſia verò picem Idæam maximè probat, Græcia Pieticam, Virgilius Naryciam: Plinius libri decimiquarti capite viceſimo. *Caucaſeo*] Caucaſus, mons inter Iberiam & Albaniam, Ptolemæo authore. *Pinos*] Quia adverſus cariem tineaſque firmiſſimæ: Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimoſecundo. *Cedroſque Cupreſſoſque*] Propter eandem cauſſam, ut ibidem Plinius: tum quia neque rimam, neque fiſſuram capiant, ut ejuſdem libri capite quadrageſimo: ubi videbis è cedrinis trabibus tectum Epheſiani templi fuiſſe. Item libros Numæ, quia cedrati eſſent, quingentos triginta annos duraviſſe videbis apud eundem libri decimitertii capite decimotertio. *Tympana*] Tecta vehiculo-

Digitized by Google

rum. *Ulmi*] Latinæ videlicet, quæ ſunt denſiore folio, ut jam patuit. *Et myrtus*] Quomodo priùs eſt dictum:

---- *ſolidò Paphia de robore myrtus.*

Cornus] Corni lignum non aliò penè quàm ad radios rotatum utile: aut ſi quid cuneandum ſit in ligno, claviſque figendum ceu ferreis: Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimo. *Ityreos*] Ityria, urbs in Tauro Parthiam verſus. *Taxi*] De quibus jam bis:

---- *Aquilonem & frigora taxi.*

Item: ---- *taxiq; nocentes.*

Tiliæ] Materies hujus arboris teredinem non ſentit, proceritate perquam modica, verùm utilis: Plinius libri decimiſexti capite decimoquarto. imò ad mille uſus petenda: Plinius libri decimioctavi capite viceſimooctavo. eadem ſcutis faciendis aptiſſima: Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimo. *Raſile*] Tanquam raſibile dixit. nam raſile pro tonſo & raſo ſumitur:

Raſilis hinc ſummam mordebat fibula veſtem.

Et raſile modò Virgilius dixit: ut Æneidos nono:

---- *volubile buxum.*

Buxum] Imprimis verò materies honorata buxo eſt, raro criſpicanti, nec niſi radice: cætero lævis. quies materiæ ſilentio quodam & duritie ac pallore commendabilis: in ipſa verò arbore, topiario opere, Plinius libri decimiſexti capite decimoſexto. *Alnus*] De qua priùs ad illum locum:

---- *Craſſiſque paludibus alni.*

Quid memorandum æquè Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus & ad culpam cauſſas dedit; ille furentes
Centauros letho domuit, Rhœcumque, Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

Si

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantum totis vomit ædibus undam:
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſque auro veſtes, Ephyreïaq; æra:
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi.
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, viviq; lacus: at frigida Tempe,
Mugitusq; boum, molleſq; ſub arbore ſomni
Non abſunt. illis ſaltus, ac luſtra ferarum,
Et patiens operum, parvoq; aſſueta juventus:
Sacra Deûm, ſanctique patres: extrema per illos
Iuſtitia excedens terris veſtigia fecit.
Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ
(Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore)
Accipiant, cœlique vias & ſidera monſtrent,
Defectus ſolis varios, lunæque labores:
Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſuſque in ſeipſa reſidant:
Quid tantùm Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis:
Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem, ſylvaſque, inglorius. ô ubi campi,
Sperchiuſque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta: ô, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra.
FELIX *qui potuit rerum cognoſcere cauſas:*

Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumq; Acherontis avari.
FORTUNATUS *& ille, deos qui novit agreſtes,*
Panaq;, Sylvanumq; ſenem, Nymphasq; ſorores.
Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres,
Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro:
Non res Romanæ, perituraq; regna; neq; ille
Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulêre ſua, carpſit: nec ferrea jura,
Inſanumve forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alij remis freta cæca: ruuntque
In ferrum, penetrant aulas & limina regum.
Hic petit excidiis urbem, miſerosq; Penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.
Condit opes alius, defoſſoq; incubat auro.
Hic ſtupet attonitus roſtris: hunc plauſus hiantem
Per cuneos (geminatur enim plebisq; patrumq;)
Corripuit. gaudent perfuſi ſanguine fratrum,
Exilioq; domos & dulcia limina mutant,
Atq; alio patriam quærunt ſub ſole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Hinc anni labor: hinc patriam parvosq; nepotes
Suſtinet: hinc armenta boum, meritosq; juvencos.
Nec requies quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:
Proventuq; oneret ſulcos, atq; horrea vincat.
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande ſues læti redeunt: dant arbuta ſylvæ:

Et

Et varios ponit fœtus autumnus, & altè
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea pendent dulces circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſervat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pingueſq; in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hœdi.
Ipſe dies agitat feſtos: fuſuſq; per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocij cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat: pecoriſq; magiſtris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo,
Corporaq; agreſti nudat prædura palæſtra.
Hanc olim veteres vitam coluêre Sabini,
Hanc Remus & frater: ſic fortis Hetruria crevit:
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septemq; una ſibi muro circundedit arces.
Antè etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quàm cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.
Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equûm fumantia ſolvere colla.

Quid memorandum] Antapodoſis de vitibus, quæ pares fructus non habent, imò malorum cauſſæ ſunt. *Centauros*] Centauri, populi ſunt Theſſaliæ, qui primi equitârunt: inter quos Rhœcus, Pholus & Hylæus numerantur. Pholus, cùm Herculem hoſpitio ſuſcepiſſet, ad Pirithoi nuptias venientem, orto inter epulas jurgio, occiſus eſt, & in ejus ultionem Hercules reliquos Centauros profligavit. *Lapithis*] Item Theſſalis. *O fortunatos*] Digreditur ad extremum in laudes vitæ ruſticæ, ex ad-

Theſeida] Athenienſes, quorum rex Theſeus fuit, ab eis conſecratus. *Mollibus*] Deſcribit ἀσκώλια, ludos Athenienſium, quibus in medio theatro ſuper utres inflatos unctoſque uno tantùm pede ſaltabatur, ut lapſi riſum excitarent. Virgilius non theatrum notat, ſed prata, quia de ruſticis vinitoribus loquitur. *Nec non*] Eadem Orgia docet à Latinis ſimiliter celebrari. *Troja*] Sic Æneidos primo:

Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atq; altæ mœnia Romæ.

Incomptis] Sic primo Georgico:

----neq; antè
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Oraque] Periphraſis eſt perſonæ, quia caput & os tectum undique, unaque tantùm vocis emittendæ via pervium: Gellius libri quinti capite ſeptimo: de quo Horatius in Arte:

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis;
Quæ canerent agerentq; peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ pallæq; repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis.

Oſcilla] Ab os, fit oſciculum, unde oſcillum alii tamen ab Oſculum derivant. Macrobius de oſcillis ſic ſcribit in Saturnalibus, libri primi capite ſeptimo: Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam revertentem, ſuaſiſſe illorum poſteris, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, inferentes Diti non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata: & aras Saturnias, non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes: quia non ſolùm virum ſed & lumina, φῶτα ſignificant. *Hinc omnes*] Hic finis eſt Orgiorum, ut Bacchus propitiatus vites fœcundet. *Pubeſcit*] Hac item metaphora Plinius utitur libri decimi ſeptimi capite viceſi-

mo

mo ſecundo, cùm ait, Inimicos & pubeſcente uva caſtros; quod Progemmare Columella dicit, libri quarti capite vi-ceſimoſeptimo: Si palmis incipientibus progemmantibuſq; foſſorem immiſeris, magnam partē vindemiæ decuſſeris. *Valleſque*] Id eſt campeſtres & montanæ vites, & denique genus omne vitium. *Ergo*] Concluduntur Orgia, epulari convivio: quale jam fuit:

---hic fertilis uva,
Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras:
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Liba] Ex farre, melle, oleo facta. *Stabit*] Verbū eſt Pontificale. Obſervatum eſt (ait Macrobius in Saturnalibus libri tertii capite quinto) à ſacrificantibus, ut ſi hoſtia, quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementiùs reluctata, oſtendiſſetq; ſe invitam altaribus admoveri, amoveretur. quia invito deo eam offerri putabant. quæ autem ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari exiſtimabant. hinc nono Æneidos:

Et ſtatuam ante aras aurata fronde juvencum.

& hic: *Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.*
Sacer] Devotus deo. *Verubus*] Sic Æneidos primo,

----verubuſq; trementia figunt.

Eſt etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nūquam exhauſti ſatis eſt. nanq; omne quotannis
Terque quaterque ſolum ſcindendum: glebaq; verſis
Æternum frangenda bidentibus; omne levandum
Fronde nemus. REDIT *agricolis labor actus in orbem*
Atq; in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.
Et jam olim, ſeras poſuit quum vinea frondes,
Frigidus & ſylvis Aquilo decuſſit honorem:
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Ruſticus, & curvo Saturni dente relictam
Perſequitur vitem attondens, fingitq; putando.

Primus humum fodito: primus devecta cremato
Sarmenta, & vallos primus ſub tecta referto:
Poſtremus metito. bis vitibus ingruit umbra:
Bis ſegetem denſis obducunt ſentibus herba:
Durus uterq; labor. LAUDATO *ingentia rura,*
Exiguum colito. nec non etiam aſpera ruſci
Vimina per ſylvam, & ripis fluvialis arundo
Cæditur: incultiq; exercet cura ſalicti.
Iam vinctæ vites, jam falcem arbuſta reponunt:
Iam canit extremos effœtus vinitor antes.
Sollicitanda tamen tellus, pulvisq; movendus:
Et jam maturis metuendus Iuppiter uvis.

Eſt etiam] Repetitur octavum præceptum de paſtinatione & occatione iteranda. *Exhauſti*] De hac diligentia, Columella libri quarti capite tertio. (de quo mox rurſum) & Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo ſecundo: Plerique æſtate tota poſt ſingulos rores confodi vineam jubent: alii vetant gemmantem: ſatisque eſſe vineam hoc anno confodi ab æquinoctio verno ad Vergiliarum exortum, ad exortum Canis, & nigreſcente acino. Quidam ita determinant, veterem ſemel à vindemia ante Brumam: cùm alii ablaqueare & ſtercorare ſatis putent: iterum ab Idibus Aprilis antequam concipiat, & cùm defloruerit, & variante ſe uva. Peritiores affirmant, ſi juſto ſæpius fodiatur, in tantum tenereſcere acinos, ut rumpantur. quæ fodiuntur, ante ferventes horas diei fodiendas convenit. *Omne levandum*] Decimum, de pampinatione iteranda, de qua ſic Plinius ibidem: Pampinatio verna in confeſſo eſt ab Idibus Majis intra dies decem, utique antequam florere incipiat, & eam infra lignum debere fieri: de ſequente, variant ſententiæ. cùm defloruerit, aliqui pampinandum putant: alii ſub ipſa maturitate. Idem poſtea libri decimi octavi capite viceſimo

ſeptimo

ſeptimo; ait circa octavum Calendas Julii vineas pampinari. *Redit*] Veteres annum à circuitu vocabant, quia An pro Circum ſolebant ponere; ait Macrobius ſecundo libro in Scipionis ſomnium. Et huc ſpectat Cleobuli ænigma de patre & duodecim filiis forma diſparibus. &, quamvis ſinguli intereant, omnibus tamen immortalibus. vide Laertium in Cleobulo. *Et jam*] Undecimum de ablaqueatione, quæ fit cùm radices ſummæ & ſoboles circunfoſſa terra amputantur; poſteàque truncus terra obruitur: Columella libri quarti capite nono. Fit autem poſt vindemiam ablaqueatio, & ante Brumam, ait Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo ſecundo. *Frigidus*] Servius ait hunc verſum Varronis eſſe. *Curvo Saturni dente*] Periphraſis eſt falcis vinitoriæ, quæ cultro, ſcalpro, roſtro, ſecuri ſecat, & mucrone pungit. Columella libri quinti caput viceſimum quintum in ejus forma deſcribenda conſumpſit. Saturno autem falx ideo tribuitur, quia Κρόνος, Saturnus & tempus eſt: at tempore, tanquam falce omnia ſecantur & abſumuntur. *Primus*] Duodecimum & poſtremum præceptum eſt, quo multa cumulātur, ſed diligentia inprimis commendatur. *Vallos*] Palos, ſudes. propriè autem hîc pedamenta, ſtatumina, adminicula, ridicas, authores rei ruſticæ nominant. *Bis vitibus*] ideo bis paſtinandum, vere & circa octavum Calendas Julii, ut jam ex Plinio diximus. *Bis ſegetem*] De hoc primo Georgico,

----ut mala culmos
Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in arvis
Carduus. intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,
Lappæq; tribulique----

Uterque labor] Pampinandi & ſarriendi. *Laudato*] propter hos infinitos labores, modicus fundus à poëta laudatur: Laudato latifundia locupletum, ſed agro modico contentus eſto. Columella libri quarti capite tertio totus eſt in explicatione hujus ſententiæ: & Græcinus ſumit exemplum Paridii cujuſdam duas filias ha-

bentis, & fundum vinea conſitum: cujus cùm tertiam partem majori filiæ nubenti dediſſet, nihilominùs tamen æquè magnos fructus è reliquis duabus partibus capiebat. minorem deindè filiam nuptui collocavit, dimidia parte reliqui agri: nec ſic ex priſtino cultu detraxit. Quo quid conjicit, niſi meliùs cultam ſcilicet eſſe tertiam fundi partem, quàm antea univerſam? Idem Plinius libri decimioctavi capite ſexto: Quippe, ait, ita cenſebant, ſatiùs eſſe minùs ſerere, & meliùs arare. Qua in ſententia video Virgilium fuiſſe: verumq́; confitentibus, latifundia Italiam perdidère. *Nec non*] Perſequitur labores vinitoris, de viminibus ex ruſcp, ſalice, arundine tegendis. *Ruſci*] De ruſco diximus ecloga ſeptima:

Immò ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco.

Inculti] Nullius reditus tempeſtatum ſecurior, quàm ſalicti, ut jam dictum. *Antes*] Vinearum extremos ordines: vel materias, quibus vineæ clauduntur. *Sollicitanda*] Colendo, arando, aut paſtinando. & diſſimilitudinis propoſitio ſymbolum ſuum non habet; Quamvis putet vinitor, ſe ad extremos antes perveniſſe, tamen eſt ſolicitanda, id eſt, aranda. Nam ſolicitare propriè eſt ſolum ciere & movere, ut Tibullus dixit:

Et teneram ferro ſolicitavit humum.

Pulviſque] Pulveratio hæc etiam priùs propoſita:

---- ſupereſt deducere terram
Sæpius ad capita ----

Jupiter] Aëris tempeſtas & varietas. *Contrà*] Amplificatur vitium labor diſſimilitudine reliquarum arborum: quarum cultus non omnino nullus eſt, ut videtur Virgilius dicere, ſed ſimplicior, ut Columella confitetur libri quinti capite ſeptimo.

Contrà, nonnulla eſt oleis cultura: neque illæ
Procurvam expectant falcem raſtroſque tenaces,
Quum ſemel hæſerunt arvis, auraſque tulerunt:

Ipſa

Ipſa ſatis tellus, quum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, & gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem & placitam paci nutritor olivam.
Poma quoq; ut primùm truncos ſenſere valentes,
Et vires habuêre ſuas: ad ſydera raptim
Vi propria nituntur, opiſque haud indiga noſtræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne graveſcit,
Sanguineiſq; inculta rubent aviaria baccis.
Tondentur cytiſi: tædas ſylva alta miniſtrat:
Paſcunturq; ignes nocturni, & lumina fundunt,
Et dubitant homines ſerere, atq; impendere curam?
Quid majora ſequar? ſalices, humileſq; geniſtæ,
Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus umbram
Sufficiunt, ſepemq; ſatis, & pabula melli:
Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum,
Naryciæq; picis lucos: juvat arva videre
Non raſtris hominum, non ulli obnoxia curæ.
Ipſa Caucaſeo ſteriles in vertice ſylvæ,
Quas animoſi Euri aſſiduè franguntq; feruntq;
Dant alios aliæ fœtus: dant utile lignum
Navigiis, pinos, domibus cedroſq; cupreſſoſq;.
Hinc radios trivêre rotis, hinc tympana plauſtris
Agricolæ, & pandas ratibus poſuêre carinas.
Viminibus ſalices fœcundæ, frondibus ulmi:
At myrtus validis haſtilibus, & bona bello
Cornus: Ityreos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ læves, aut torno raſile buxum,
Non formam accipiunt, ferroq; cavantur acuto.
Nec non & torrentem undam levis innatat alnus
Miſſa Pado: nec non & apes examina condunt

Corticibusq; cavis,vitioſaq; ilicis alvo.

Contrà] Primùm de olea dicitur, quòd cultum nullum requirat. in quo ab omnibus Virgilio reclamatur. Cato enim putari, ablaqueari, ſtramentis & amurca aquæ permiſta circunfundi jubet. Idem ferè Columella, libri de arboribus capite decimo ſeptimo; & Plinius libri decimi quinti capite primo: Virgilius dixit oleas nec deſiderare raſtros,nec falcem aut curam. Sine dubio & in his ſolum maximè cœlumque refert: veruntamen attondentur ſicut & vites. atque etiam interradi gaudent. Conſequens earum vindemia eſt,arsque vel major oleum quàm muſta temperandi. Idem rurſus libri decimi ſeptimi capite decimo octavo: Vetus olivetum ab æquinoctio verno circa Vergiliarum exortum interradi alternis annis, melius inventum: item muſcum circundare radici. circunfodi autem omnibus annis à ſolſtitio duum cubitorum ſcrobe, pedali altitudine: ſtercorari tertio anno. *Procurvam falcem*] Qua putentur.ſic antè

---Saturni dente recurvo.

Auraſque tulerunt] Ventis ferendis ſunt aſſuefactæ. *Placitam paci*] Oliva,pacis inſigne, arbor Palladis ſic jam facta:

Palladia gaudet ſylva vivacis olivæ.

Nutritor] Nutrito. Deponens hoc verbum veteribus fuiſſe,hic locus indicat. *Poma quoq;*] Secundus locus de pomiferis arboribus. *Nec minus*] Tertius locus de frugiferis arboribus ſylveſtribus. *Aviaria*] Avium domicilia, nemora nempe ſecreta. Sic antea dixit,

Antiquaſq; domos avium---

Tondentur] Quartus locus de variis arboribus,quarum utilitates partim è fructu partim è materia commemorantur. *Cytiſi*] De quibus ecloga prima,

Florentem cytiſum & ſalices carpetis amaras.

Quomodo ſuum, jumentorum, apum, nutricum etiam

tiam lactis inopia laborantium, cibus ſit. *Tædas*] In Europa ſex genera ſunt arborum reſinam ferentium, pinus, pinaſter, picea, abies, larix, tæda propriè dicta, abundans ſucco, liquidior quàm picea, flammis ac lumini ſacrorum etiam grata. *Et dubitant*] Epiphonematis ſpecie eſt intelligendum; Denique propter tot egregias arborum naturalium commoditates, quidam dubitant, utrùm ſatione ſit opus, ac non potiùs natura contenti eſſe debeamus. *Salices*] De iis jam dictum:

---- & glauca canentia fronte ſalicta.

Pecori] ---- *Nec ſalices carpetis amaras,* fuit ecloga prima. *Melli*] Sic ecloga prima, ---- *ſepes Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti.*

Et Plinius libri viceſimi primi capite ſecundo ait, geniſtam apibus eſſe gratiſſimam: ideoque, ut idem ejuſdem libri capite quarto, alvei exitus geniſtis tritis illinitur, ne apes diffugiant. *Cytorum*] Cytorus, mons Paphlagoniæ, in quo buxus eſt plurima, ut in Pyrenæis montibus & Berecynthio tractu: Plinius libri decimiſexti capite decimoſexto. *Naryciæque picis*] Pix, nihil aliud eſt (ait Ruellius) quàm fluxus combuſtæ in tæda ſuæ reſinæ. Narycium autem, oppidum eſt Locrorum:

Hinc & Narycij poſuerunt mœnia Locri,

tertio Æneidos. Aſia verò picem Idæam maximè probat, Græcia Pieticam, Virgilius Naryciam: Plinius libri decimiquarti capite viceſimo. *Caucaſeo*] Caucaſus, mons inter Iberiam & Albaniam, Ptolemæo authore. *Pinos*] Quia adverſus cariem tineaſque firmiſſimæ: Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimoſecundo. *Cedroſque Cupreſſoſque*] Propter eandem cauſſam, ut ibidem Plinius: tum quia neque rimam, neque fiſſuram capiant, ut ejuſdem libri capite quadrageſimo: ubi videbis è cedrinis trabibus tectum Epheſiani templi fuiſſe. Item libros Numæ, quia cedrati eſſent, quingentos triginta annos duraviſſe videbis apud eundem libri decimitertii capite decimotertio. *Tympana*] Tecta vehiculo-

rum. *Ulmi*] Latinæ videlicet, quæ ſunt denſiore folio, ut jam patuit. *Ac myrtus*] Quomodo priùs eſt dictum:

---- ſolidò Paphia de robore myrtus.

Cornus] Cornilignum non aliò penè quàm ad radios rotarum utile: aut ſi quid cuneandum ſit in ligno, claviſque figendum ceu ferreis: Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimo. *Ityreos*] Ityria, urbs in Tauro Parthiam verſus. *Taxi*] De quibus jam bis:

---- Aquilonem & frigora taxi.

Item: *---- taxiq; nocentes.*

Tilia] Materies hujus arboris teredinem non ſentit, proceritate perquam modica, verùm utilis: Plinius libri decimiſexti capite decimoquarto. imò ad mille uſus petenda: Plinius libri decimioctavi capite viceſimooctavo. eadem ſcutis faciendis aptiſſima: Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimo. *Raſile*] Tanquam raſibile dixit. nam raſile pro tonſo & raſo ſumitur:

Raſilis hinc ſummam mordebat fibula veſtem.

Et raſile modò Virgilius dixit: ut Æneidos nono:

---- volubile buxum.

Buxum] Imprimis verò materies honorata buxo eſt, raro criſpicanti, nec niſi radice: cætero lævis. quies materiæ ſilentio quodam & duritie ac pallore commendabilis: in ipſa verò arbore, topiario opere, Plinius libri decimiſexti capite decimoſexto. *Alnus*] De qua priùs ad illum locum:

---- Craſſiſque paludibus alni.

Quid memorandum æquè Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus & ad culpam cauſſas dedit; ille furentes
Centauros letho domuit, Rhœcumque, Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimiùm, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantum totis vomit ædibus undam:
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſque auro veſtes, Ephyreïaq; æra:
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi.
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, viviq; lacus: at frigida Tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; ſub arbore ſomni
Non abſunt. illis ſaltus, ac luſtra ferarum,
Et patiens operum, parvoq; aſſueta juventus:
Sacra Deûm, ſanctique patres: extrema per illos
Iuſtitia excedens terris veſtigia fecit.
Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ
(Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore)
Accipiant, cœlique vias & ſidera monſtrent,
Defectus ſolis varios, lunæque labores:
Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſusque in ſeipſa reſidant:
Quid tantùm Oceano *properent ſe tingere ſoles*
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis:
Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem, ſylvaſque, inglorius. ô ubi campi,
Sperchiuſque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta: ô, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra.
FELIX *qui potuit rerum cognoſcere cauſas:*

Et varios ponit fœtus autumnus, & altè
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea pendent dulces circum oſcula nati;
Caſta pudicitiam ſervat domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pingueſq́ in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hœdi.
Ipſe dies agitat feſtos: fuſuſq́ per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocij cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat: pecoriſq́ magiſtris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo,
Corporaq́ agreſti nudat prædura palæſtra.
Hanc olim veteres vitam coluêre Sabini,
Hanc Remus & frater: ſic fortis Hetruria crevit:
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septemq́ una ſibi muro circundedit arces.
Antè etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quàm cæſis gens eſt epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.
Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equûm fumantia ſolvere colla.

Quid memorandum] Antapodoſis de vitibus, quæ pares fructus non habent, imò malorum cauſſæ ſunt. *Centauros*] Centauri, populi ſunt Theſſaliæ, qui primi equitarunt: inter quos Rhœcus, Pholus & Hylæus numerantur. Pholus, cùm Herculem hoſpitio ſuſcepiſſet, ad Pirithoi nuptias venientem, orto inter epulas jurgio, occiſus eſt, & in ejus ultionem Hercules reliquos Centauros profligavit. *Lapithis*] Item Theſſalis. *O fortunatos*] Digreditur ad extremum in laudes vitæ ruſticæ, ex ad-

N 5

iunctis naturæ bonis. *Iuſtiſſima*] Iuſta eſſet ſi tantum redderet quantum accepit. At (ut eſt in Catone majore Ciceronis) nunquam ſine uſura reddit quod accepit, ſed aliàs minore, plerunque majore cum fœnore. *Si non*] Secundus laudis locus è diſſimilitudine vitæ urbanæ & ruſticæ. propoſitio præcedit de vita politica, è turba clientum, magnificentia ædium, veſtium, vaſorum, unguentorum. *Salutantum*] Quibus ſportula dabatur. Matutina autem hora prima inæquali & ſecunda clientes dominos ſalutabant, ut Martialis libro quarto,

Prima ſalutantes atq; altera continet hora:

Et eorum multitudinem Virgilius modò vocat undam, quia inſtar undæ præ turba fluctuat. *Inhiant*] Sic Plautus in Truculento loquitur:

Illum omnes inhiant]

Cicero tertia Catilinaria dixit uberibus inhiare. *Teſtudine*] Indicia intellige. Teſtudines enim tantæ magnitudinis mare Indicum emittit, ut ſingularum ſuperficies, habitabiles caſas integant: atque inter inſulas rubri præcipuè maris, his navigant cymbis. Teſtudinum autem putamina ſecare in laminas, lectoſque & repoſitoria his veſtire, Garbilius Pollio inſtituit, prodigi & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenii: Plinius libri noni capite decimo & undecimo. Lucanus verò etiam teſtis eſt fores Indica teſtudine ornari:

---foribus teſtudinis Inda

Tecta ſedent, fulvo maculas diſtincta ſmaragdo,

Illuſas] Intextas artificio, tanquam ludo, Phrygionis. *Ephyreia*] Ephyra primùm, Corinthus deinde urbs eadem dicta eſt. quantum verò celebratum ſit æs Corinthium, quod caſus miſcuit capta Corintho, Plinius author eſt libri triceſimi tertii capite ſecundo. *Aſſyrio*] Aſſyrium venenum, purpuram dicit, quia in Aſſyria primum reperta eſt. *Nec caſia*] De caſia, ſecunda ecloga diximus; ut Virgilio ſit herba, frutex Plinio, olivo autem cum ea diſſoluto unguentum fiebat, de quo Perſius ſecunda Satyra:

Hac

Hæc ſibi corrupto caſiam diſſolvit olivo.

Veteres autem Romani & Græci unguentis utebantur, non odoris tantùm gratia, ſed valetudinis. Pollionem Romulum, centeſimum annum excedentem, cùm Divus Auguſtus hoſpes interrogaret, quanam ratione maximè vigorem illum animi corporiſque cuſtodiiſſet, ille reſpondit. Intus mulſo, foris oleo. Habebant verò Aliptæ (id eſt unctores) in corporibus ungendis, non ſolùm virium, ſed coloris etiam rationem, ut Cicero ad Lentulum: & id hora nona Romanis uſitatum fuit:

Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris:

Martialis libro quarto. *At ſecura*] Antapodoſis diſſimilitudinis de vita ruſtica & ejus bonis, quiete, ſimplicitate, divitiis & deliciis ruſticis, frugalitate, religione. De ſimplicitate Cato ſic in proœmio rei ruſticæ, minimè malè cogitantes agricolas ait. *Vrvique lacus*] Tales ſunt laudes ruſticorum prima ecloga:

Fortunate ſenex, hic inter flumina nota
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.

Item ecloga ſeptima:

Et, ſiquid ceſſare potes, requieſce ſub umbra.
Huc ipſi potum venient per prata juvenci:
Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque ſacra reſonant examina quercu.

Tempe] In Theſſalia fluvius eſt Peneus ante cunctos claritate, inter Oſſam & Olympum nemoroſa convalle defluens quinque ſtadiis, dimidio ejus ſpatio navigabilis. In eo curſu Tempe vocantur quinque millium paſſuum longitudine, & fermè ſeſquijugeri latitudine, ultra viſum hominis attollentibus ſe dextra lævâque leniter connixis jugis. Intus ſua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus, circa ripas gramine, canorus avium concentu: Hæc Plinius libri quarti capite octavo. Hìc verò per ſynecdochen omnis locus amœnitate conſimili ſignificatur: cujuſmodi ſunt in

Bœotia, Teumeſia, in Sicilia, Heloria: ideoque Plinius ad aliorum differẽtiam dicit Theſſalica tempe, libri triceſimi primi capite ſecundo. *Iuſtitia*] Fabula eſt primo Metamorphoſeos:

Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.

Me verò] Secundo loco comparatur vita ruſtica cum philoſophica, præſtantiore quidem, ſed cui ruſtica ſit proxima. Philoſophia verò phyſica per quatuor partes notatur, aſtrologiam, motus terræ, maris acceſſus & receſſus, dierum & noctium varietatem. *Labores*] Iopas in extremo primi Æneidos idem ferè cithara ſua concinit:

---- cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, ſoliſq; labores
Unde hominum genus & pecudes, unde imber & ignes:
Arcturum pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantùm Occeano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Solis] Defectus ſolis fit interventu Lunæ. *Labores*] Interventu terræ. *Tremor terris*] Cauſſa prima tribuitur aſtris, ſed proxima ventis: de quo Plinius libri ſecundi capitibus ſeptuageſimo nono, octogeſimo, octogeſimo primo, ſecundo, tertio & quarto. *Maria*] Idem libri ſecundi capite nonageſimo ſeptimo: Æſtus maris accedere & reciprocare, maximè mirum eſt: ubi plura leges. *Oceano*] Tanquam horizonte & finitore lucis & diei. *Tardis*] Tardè venientibus, id eſt æſtivis, nobis autem hyberni dies, breves ſunt, æſtivi longi, ratio ex ſphæra cognoſcitur. *Sin, has*] Redditio de vita ruſtica: Si philoſophus eſſe nequeam, ſim ruſticus: ubi adjunctæ amœnitates ruris deſcribuntur. *Frigidus ſanguis*] Tenue & exiguum ingenium. Ad ſententiã Empedoclis alludit, animũ, cordi ſuffuſum ſanguinem exiſtimantis, ut Cicero prima Tuſculana. *Rigui*] Qui rigant. propriè enim Riguum, rigatur. ſic pratum riguum opponitur ſiccaneo apud Columellam libri ſecundi capi-

te

te decimo ſeptimo. *Sperchiuſque*] Mons Theſſaliæ, ortus è jugis Pelii montis. *Taygeta*] Mons Spartæ, qui & Taygetus dicitur. Cùm & urbs tota corruit, & in monte Taygeto extrema montis quaſi puppis avulſa eſt: Cicero primo de Divinatione. *Hæmi*] Montis Thraciæ, cæteros ejus ſpatii magnitudine ac ſublimitate ſuperantis, mediamque Thraciam dividentis: Plinius libri quarti capite undecimo. *Felix*] Concluditur philoſophiæ felicitas prima, agriculturæ ſecunda. *Inexorabile*] Ineluctabile conſimili ſignificatione dicitur octavo Æneidos:

Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum.

De hoc in Fato Ciceronis abundè diximus. Ineluctabile quamvis vulgo putatur, nequaquam tamen eſt, ſed philoſophiæ, medicinæ, temperantiæ pedibus ſubjicitur. *Acherontis*] Acheron, locus eſt in Campania montibus ſeptus, adeo ut nec orientem nec occidentem ſolem poſſit aſpicere, ſed tantùm medium diem: de quo ſic Lucretius libro tertio:

Et metus ille foras preceps Acherontis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia ſuffundens mortis nigrore: neq; ullam
Eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.

Eſt Acheron non procul à Bajis, ubi Necromantia excercebatur: cui vicina loca omnia ſulphuratis, & calidis aquis ſcatent. *Deos agreſtes*] De quibus initio primi Georgici. *Nymphaſque ſorores*] Dryades, Hamadryades, Oreſtiades, Limoniades, Najades, ſylvarum, montium, pratorum, aquarum: quæ ſunt ſibi inter ſe ſorores. *Illum*] Repetitur diſſimilitudo vitæ politicæ; & propoſitio augetur ex adjunctis affectibus; ambitione, ſeditione, timore, commiſeratione, invidia. *Faſces*] Honores & magiſtratus, quibus ſecures faſcibus virgarum alligatis præferuntur: Metonymia eſt. *Purpura*] Regnandi libido: Metonymia ſimilis eſt ſuperiori. *Infidos*] Ut Remum & Romulum, poſteaq; Baſſianum, Caracallam & Getam filios Severi. *Dacus*] Dacia à meridie Danubio, à Septentrione Sarmatia terminatur. Sæpe verò hi populi ſeptentrionales

in Romanos conjuravere ante Virgilium, & [illegible] tiam poſtea. *Iſtro*] Danubio, metonymia pro Iſtri, qui conjurarunt. *Res Romana*] Diſſenſione [illegible] cipum, ut tum fuere Bruti & Caſſii adverſus Ant[onium] & Octavium. *Inopem*] Cùm ipſa ſua inopia & p[aupe]tate ſit contentus. *Quot rami*] Antapodoſis: Sed [illegible] itis naturæ fructibus agricola contentus eſt. *N[on] rea*] Repetitur propoſitio vitæ politicæ, & latius [illegible] tur ſimilibus malis adjunctis, forenſi duritia, [illegible] riculis, aulicis aſſentationibus, excidiis urbium, pop[ulari] auræ ſtudio, parricidio. *Remis freta*] Sic Horatius ep[iſtola] prima:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Gemma] Gemmato poculo. *Sarrano*] Sarra, urbs Ph[œni]ciæ, quæ Tyrus poſtea dicta eſt: cujus purpura præ[cipue] laudatur. *Oſtro*] Oſtrum, muricis ac purpuræ li[quor]. *Attonitus*] Acclamationibus ſecundis, vel etiam a[dver]ſis: quales Ciceroni contigiſſe, orationes ejus demonſtrant. *Roſtris*] Forum & templum, Romæ roſtra dicebantur, ubi oratores ad populum concionari ſoliti. de quo Livius libro octavo ab urbe condita, quomodo captis navibus Antiatium, ex eorum roſtris ſuggeſtum in foro [ſit] extructum. *Cuneos*] Cunei, ſunt graduum ordines in theatro: de quorum fabrica Vitruvius libro primo: in quibus vulgo ſpectatores ſtabant inter ſedentium ſubſellia. Virgilius quinto Æneidos:

Nuncius, Anchiſæ ad tumulum cuneoſq; theatri,
Incenſas perfert naves.

Agricola] Antapodoſis de labore agricolarum, unde [fa]miliam & armenta ſuſtentant. *Nec requies*] Repetitur labor: & ejus varii fructus explicantur. *Mergite*] Manipulis ſpicarum. *Horrea vincat*] Sic primo Georgico,

Illius immenſæ rupetunt horrea meſſes.

Sicyonia] Sicyon, urbs Laconiæ, quam Aſopus fluvius alluit, olea lauroque virens. *Trapetis*] Trapetus, trapeti Catoni dicitur: eidem Trapes, trapetis: Columellæ autem

Trape-

Trapetum, mola eſt olearia. *Interea*] Amplificatio ex adjunctis voluptatibus, quibus agricolæ interea fruuntur. *Fuſusque per herbam*] Repetitur id à Virgilio primo Æneidos:

Iam victu revocant vires, fuſiq; per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisq; ferinæ.

Item quinto:

Ordine aliena locant alij, fuſiq; per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viſcera torrent.

Ut videatur veterum mos in menſis hic ſignificari, qui eſt hodie Turcis. *Cratera coronant*] Id quoq; veteris conſuetudinis eſt exemplum: convivæ enim primò poculum coronabant, ut ſua etiam capita, deinde libabant: quod repetit primo Æneidos:

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Item tertio apertius:

Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero, divosq; vocavit
Stans celſa in puppi.

Itemque ſeptimo:

Certatim inſtaurant epulas, atq; omine magno
Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.

Velocis jaculi] Talia certamina ſagittariorum & palæſtritarum deſcribuntur quinto Æneidos. *Hanc olim*] Confirmatio laudis ex teſtimoniis & humanis & divinis. *Sabini*] Sabini, ut quidam exiſtimavere, à religione & deorum cultu Sevini appellati: Plinius libri tertii capite duodecimo. *Remus*] De paſtorali vita Remi & Romuli Livius libri primi initio. *Fortis Hetruria*] Cujus imperium quondam uſque ad mare Siculum fuit. *Arces*] Colles. Repetitur autem hic verſus ſexto Æneidos:

Septemq; una ſibi muro circundabit arces.

Montes autem ſunt Capitolinus, Aventinus, Cælius, Exquilinus, Viminalis, Quirinalis, Palatinus. *Dictæi*] Dicte mons Cretæ, ubi Iupiter eſt educatus ab apibus:

Dictæo cæli regem pavere ſub antro,

quarto Georgico. *Impia*] Varro libri ſecundi capite quinto: Bos, ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter. ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet. Prometheus verò primus bovem occidit, ait Plinius libri ſeptimi capite quinquageſimoſexto. *Aureus*] Id explicatur octavo Æneidos:

Aureaque, ut perhibent, illo ſub rege fuerunt
Secula: ſic placida populos in pace regebat.

Claſſica] Sonos tubarum, & ipſas interdum tubas. *Sed nos*] Concluditur digreſſio laudis ruſticæ: per allegoriam à ludis equeſtribus: Sed nos longiùs egreſſi & evagati ſumus. Cujus generis allegoria cõcluſum eſt primum Georgicum:

Ut cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Addunt ſe in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

FINIS SECUNDI
Georgici.

P. RAMI

P. RAMI PROFESSORIS REGII PRÆLECTIONES IN TERTIUM GEORGICUM.

Argumentum tertij Georgici.

PRÆCIPITUR tertio Georgico de pecoribus, ut erat propoſitum initio primi Georgici:

---- quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori.

Parteſque duæ ſunt, altera de armentis, altera de gregibus. In armentis boves & equi docentur: quales parentes eſſe conveniat: quomodo tractandi & domandi, alendi buculi & equuli. In gregibus totidem ſunt partes, de ovibus & capris: earumq; paſtio & hyberna & æſtiva deſcribitur: item Libyca & Scythica, illa velut æſtatis, hæc velut hiemis aſſiduæ: utilitaſq; & velleris & lactis ex ovibus & capris oſtenditur. Additur paululum de canibus. Poſtremo, oppoſita mala è ſerpentibus & morbis, ſcabie, febre, peſte; eorumque remedia proponuntur.

TE quoque, magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo, vos, ſylvæ amnesq; Lycæi.
Cætera quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes,
Omnia jam vulgata. quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
Cui non dictus, Hylas puer, & Latonia Delos,
Hippodameque, humeroq; Pelops inſignis eburno,
Acer equis? Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque, virûm volitare per ora.

Te quoque] Propoſitio tertii Georgici, per invocationem numinum paſtoribus præſidentium. *Pales*] Pales Palis, Dea, quam alii Veſtam, alii Cybelen putant. Varro Deum facit. Ei Palilia ſolvebantur undecimo Calendas Maji, (quo die Romulus fundavit Romam) ad lupos arcendos, morboſque à pecore pellendos. de quibus Ovid. 6. Faſtor. *Paſtor ab Amphryſo*] Periphraſis eſt Apollinis. Amphryſus enim fluvius eſt Theſſaliæ, ubi Apollo privatus divinitate, ob Cyclopas occiſos, Admeti regis paſtor fuit: ideoque & Nomius appellatur. *Licæi*] Montis Arcadiæ: de quo ecloga decima:

Mænalus & gelidi fleverunt ſaxa Lycæi.

Et primo Georgico:

Ipſe nemus linquens patrium ſaltusq; Licæi,
Pan ovium cuſtos, tua ſi tibi Mænala curæ,
Adſis ô Tegeæe favens ----

Synecdoche igitur ſpeciei eſt pro genere: nempe Lycæus pro quovis monte & paſcuo loco ponitur. quomodo in fine ſuperioris Georgici:

Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem ſylvaſque, inglorius ----

Cætera]

Cætera] Illuſtratio propoſitionis, per diſſimilitudinem fabularum ab aliis poëtis expoſitarum *Euryſthea*] Periphraſis eſt laborum Herculis. Euryſtheus enim, rex Græciæ, ad explendum Junonis odium, Herculi domanda monſtra duro imperio imperavit. *Illaudati*] Illaudabilis, innominabilis. (ait Gellius libri ſecundi capite ſexto) Macrobius etiam libro ſexto eodem tendit. Nemo (ait) tam afflictis eſt moribus, quin faciat aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat. Sed enim qui in omni re atque tempore, omni laude vacat, is illaudatus eſt, isque omnium deterrimus peſſimusq; eſt, ſicut omnis culpæ privatio, inculpatum facit. Inculpatus eſt inſtar abſolutæ virtutis: Illaudatus igitur, finis eſt extremæ malitię. *Buſiridis*] Buſiris, rex Ægypti, hoſpites immolare ſolitus, ab Hercule propterea occiſus. *Hylas*] Puer Herculis; de quo fuit ecloga ſexta:

His adjungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent, ut littus Hyla, Hyla, *omne ſonaret.*

Latonia] In qua Latona Apollinem & Dianam enixa eſt quam inſulam antè vagam Apollo firmavit: ut eſt tertio Æneidos:

Sacra mari colitur medio, gratiſſima tellus
Nereidum matri & Neptuno Ægæo,
Quam pius Arcitenens, oras & littora circum
Errantem, Mycone celſa Gyaroq; revinxit,
Immotamq; coli dedit, & contemnere ventos.

Delos] Inſula Ægæi maris, omnium Cycladum clariſſima: ut docet Ariſtoteles: à δηλόω, oſtendo: quòd cùm merſa eſſet, ſubitò apparuit. *Hippodameque*] Filia Oenomai regis Elidis & Piſarum, quæ procos quatuordecim curuli certamine ſuperatos interemit: tandemque à Pelope victa, fraude Myrtili aurigæ, qui cereos axes fecerat. *Pelops*] Quem pater Tantalus diis, eorum divinitatem tentans, epulandum appoſuerat. Ceres, cæteris licet abſtinentibus, brachium ejus conſumpſit;

ſed Tantalo punito filius eſt reſtitutus, & à Cerere brachium eburneum erefectum. *Acer equis*] Quibus Hippodamen vicit. *Tentanda*] Antapodoſis, ad gratiam Cæſaris & Mecenatis: At ego canam aliquando gloriam Cæſaris, & nunc interea Mæcenatis juſſu Georgica deſcribam. Prima pars longa apotheoſi Cæſaris tractatur, de templo: quod primum deſcribitur è ſubjecto loco, & materia, & adjuncto flumine. *Tollere humo*] Ab obſcuritate nominis vindicare. *Volitare per ora*] Imitatio eſt Enniana. Nam ſic fuit in epitaphio Ennii:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera flendo
Faxit. cur? volito docta per ora virûm.

Primus ego in patriam mecum (modò vita ſuperſit)
Aonio rediens deducam vertice Muſas:
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæſar erit, templumq́; tenebit.
Illi victor ego & Tyrio conſpectus in oſtro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus:
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosq́; Molorchi,
Curſibus & crudo decernet Græcia ceſtu.
Ipſe, caput tonſæ foliis ornatus olivæ,
Dona feram. Iam nunc ſolennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæſosq́; videre juvencos:
Vel ſcena ut verſis diſcedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro ſolidoq́; elephanto
Gangaridum faciam, victorisq́; arma Quirini:
Atque hic undantem bello, magnumq́; fluentem

Nilum,

Nilum, ac navali ſurgentes ære columnas.
Addam urbes Aſiæ domitas, pulſumq́; Niphatem,
Fidentemq́; fuga Parthum, verſiſque ſagittis:
Et duo rapta manu diverſo ex hoſte trophæa,
Biſque triumphatas utroque ab littore gentes.
Stabunt & Parij lapides, ſpirantia ſigna
Aſſaraci proles, demiſſæque ab Iove gentis,
Nomina, Troſque parens, & Trojæ Cynthius author:
Invidia infelix, furias, amnemque ſeverum
Cocyti metuet, tortoſque Ixionis angues,
Immanemque rotam, & non exuperabile ſaxum.
Interea Dryadum ſylvas ſaltuſque ſequamur
Intactos, tua Mæcenas haud mollia juſſa.
Te ſine nil altum mens inchoat. En age, ſegnes
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum:
Et vox aſſenſu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæſaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abeſt ab origine Cæſar.

Primus] E Mantuanis. *Aonio*] Bœotio. in Aonia ſiquidem, ſeu Bœotia, eſt Helicon mons ſacer Muſis: de quo fuit ecloga ſexta:

Aonas in montes ut duxerit una ſororum.

Idumæas] Idumæa, regio Syriæ eſt, teſte Plinio, ubi eſt

---- arbuſto palmarum dives Idume

Civitas, ut Lucanus ait libro tertio. Strabo libro decimoſexto, ſcribit, in Hericuntis campo palmetum eſſe totum irriguum, & habitationibus plenum, ubi & regia eſt, & balſami viridarium: de quo ſuperiore libro dictum eſt ad illum locum.

Digitized by Google

Quid tibi odorato---

Mincius] Sic ecloga ſeptima:

Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius.

In medio] Deſcribitur interior ornatus templi, ex variis adjunctis. Primus locus, eſt è ſtatua Cæſaris: quæ dedicatum Cæſari templum oſtendit. *Illi victor*] Secundus locus, è ludis circenſibus, amplificatus collatione Græcorum ludorum, tanquam minorum. *Quadrijugos*] De quibus ad finem primi Georgici:

Ut cùm carceribus ſeſe effudere quadrigæ.

Ad flumina] Certabatur hinc gladiis, illinc flumine poſitis, ut utrinque periculum ignaviæ eſſet. *Alpheum*] Periphraſis eſt Olympicorum ludorum, qui agebantur Piſis, quibus eſt vicinus Alpheus fluvius. *Molorchi*] Periphraſis eſt Nemeorum ludorum. Molorchus enim paſtor Herculem ad Nemeam ſylvam, leonis interimendi gratia venientem, hoſpitio excepit. *Crudo*] Sic Æneidos quinto:

Seu crudo fidit pugnam committere caſtu

Ipſe caput] Tertius locus, è ſacrificiis: ubi poëtæ pontificalis habitus ſignificatur: ut Æneidos quinto, eodē etiam verſu:

Ipſe caput tonſa foliis ornatus oliva
Stans procul in prora pateram tenet ---

Tonſa] Tonſilem coronam ſignificat: quomodo etiam quarto Georgico poſtea dicetur,

---Tonſiſq; ferunt mantilia villis,

Erat autem Olympica corona, oleagina: & Plinius libri decimi quinti capite quarto, Oleæ honorem (ait) Romana majeſtas magnum præbuit, turmas equitum Idib. Juliis ex ea coronando: item minoribus triumphis ovantes. Athenæ quoque, victores olea coronant; Græci verò, oleaſtro Olympiæ. *Vel ſcena*] Quartus locus, è ludis ſcenicis: ubi Servius intelligit ſcenam verſilem & ductilem: illam, cùm ſubitò tota machinis convertitur: hanc, cùm tractis tabulatis hac atque illac, ſpecies,

cies interior nudatur. *Intexti*] In aulæis ipſis picti: vel vivi quidem, ſed verſicoloribus veſtibus ornati. *Britanni*] Servius hic intelligit Britannos ab Auguſto captos, & theatralibus officiis addictos. Probus quamlibet gentem intelligit, per ſynecdochen videlicet. *In foribus*] Sequitur exterior ornatus, ex ſuis item adjunctis. primus locus eſt è trophæis victarum gentium. *Elephanto*] Synecdoche pro ebore, dente & parte elephanti. *Gangaridum*] Indorum, qui Gangem accolunt: de quibus Georgico ſecundo:

---& te, maxime Cæſar,
Qui nunc extremis Aſiæ iam victor in oris,
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Quirini] Auguſti. Nam tractatum eſt in Senatu, an, quia condidiſſet imperium, Romulus vocaretur: ſed ſanctius & reverentius viſum eſt nomen Auguſti: ait Florus in fine hiſtoriæ. *Magnumque fluentem*] Propter ſeptem oſtia id dicit, de quibus ſexto Æneidos,

Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.

Ære] Conflato è roſtris Ægyptiacæ claſſis. *Niphatem*] Fluvium Armeniæ majoris & montem, unde Tigris naſcitur: Metonymia eſt pro adjunctis populis. *Utroque*] Occiduo & oriente: de quo vide Florum circa finem. *Stabunt*] Secundus locus genealogiam Cæſaris continet, de marmoreis imaginibus avorum. *Parii*] Paros, una Cycladum, ubi Marpeſus eſt mons, unde exciditur marmor candidum. *Spirantia*] Sic Æneidos ſexto,

----& vivos ducent de marmore vultus.

Aſſaraci proles] Jupiter Dardanum, Dardanus Erichthonium genuit: à quo Tros, pater Aſſaraci, unde Capys, pater Anchiſæ. *Cinthius*] Apollo, à Cyntho monte Deli: vel rex quem Nero in Troicis ſuis commemorat, ait Servius. *Invidia*] Tertius locus de Invidiæ imagine, veluti metu infernorum ſuppliciorum ab hoc templo abſtinentis. *Cocyti*] Paludis infernæ, ἀπὸ τοῦ κωκύειν, id eſt à lugendo: unde ſeverus hic appellatur: & fremitus

Cocyti prima Tuſculana,eadem de cauſſa dicitur. *Ixionis*] Propter appetitum Iunonis concubitum. *Angues*] Quibus tanquam vinculis alligatur ad rotam. *Saxum*] Quod Siſyphus apud inferos voluit, nec ad apicem perferre poteſt, quin protinus relabatur. Hinc Ovidius decimo tertio Metamorphoſeon.

Aut petis aut urges rediturum Siſyphe ſaxum.

Interea] Tranſit ad alterum locum antapodoſeos,quòd Mæcenatis juſſu Georgica perſequatur: ubi attingitur argumentum hujus libri, de pecoribus. *Citharon*] Pars eſt Parnaſſi montis Baccho ſacra,ut Helicon, pars altera Apollini ſacra,& armentis abundans. *Taygetique*] Laconici. de canibus autem circa finem erit.

Veloces Spartæ catulos - - -

Epidaurus] Civitas Epeiri,nobilis equis, ut ait Servius: & illud primi Georgici huc reſpicere videtur.

- - - Eliadum palmas Epeiros equarum.

Epidaurus tamen à Ptolemæo in Peloponneſo conſtituitur:& à Plinio libri quarti capite quinto,in Achaia, ut plures urbes cognomines ei fuerint. *Mox tamen*] Revertitur ad Cæſarem,& Æneidem quandam pollicetur. Sexto autem Æneidos genealogiam hanc attigit: & octavo, in clypeo,Auguſti res geſtas perſtringit.

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Paſcit equos,ſeu quis fortes ad aratra juvencos:
Corpora præcipue matrum legat.Optima torvæ
Forma bovis,cui turpe caput,cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus,omnia magna,
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo,

Aut

Aut juga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior: quaque ardua tota,
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.
Ætas Lucinam juſtosque pati Hymenæos
Deſinit ante decem, poſt quattuor incipit annos:
Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, ſuperat gregibus dum læta juventus,
Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus:
Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.
OPTIMA *quæque dies miſeris mortalibus ævi*
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus,
Et labor: & duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice: ac, ne pòſt amiſſa requiras,
Anteveni, & ſobolem armento ſortire quotannis.

Seu quis] Adhuc propoſitio exordii fuit: partitio de armentis & pecoribus ſequitur, hîc tamen non expreſſa, ſed poſtea in tranſitione. In armentis partes duæ ſunt, altera de bobus, altera de equis. de ortu igitur & generatione horum primùm agitur. *Optima*] Deſcribitur generationis cauſſa, matricis bovis ſpecies egregia, primùm ex adjunctis qualitatibus partium corporis: de quibus, & generaliter de bovis nomine, & ſpecialiter de vacca, Varro libri ſecundi capite quinto, & deinceps: Columella libri ſexti capite primo, & deinceps: Plinius libri octavi capite quadrageſimo quinto: Palladius in Martio, titulo undecimo. *Torva*] Terribilis: unde paulo pòſt erit.

Et faciem tauro propior-- -

Tauris verò in aſpectu generoſitas torva fronte, ait Plinius. *Turpe caput*] Non degeneres exiſtimari, etiam minùs laudato aſpectu, Plinius ait. Varro & Columella latam frontem volunt: idem Palladius, addit & criſpam & altam. *Plurima cervix*] Varro craſſas & longas cervi-

Cocyti prima Tuſculana, eadem de cauſſa dicitur. *Ixionis*] Propter appetitum Iunonis concubitum. *Angues*] Quibus tanquam vinculis alligatur ad rotam. *Saxum*] Quod Siſyphus apud inferos voluit, nec ad apicem perferre poteſt, quin protinus relabatur. Hinc Ovidius decimo tertio Metamorphoſeon.

Aut petis aut urges rediturum Siſyphe ſaxum.

Interea] Tranſit ad alterum locum antapodoſeos, quòd Mæcenatis juſſu Georgica perſequatur: ubi attingitur argumentum hujus libri; de pecoribus. *Citharon*] Pars eſt Parnaſſi montis Baccho ſacra, ut Helicon, pars altera Apollini ſacra, & armentis abundans. *Taygetique*] Laconici. de canibus autem circa finem erit.

Veloces Spartæ catulos---

Epidaurus] Civitas Epeiri, nobilis equis, ut ait Servius: & illud primi Georgici huc reſpicere videtur:

---Eliadum palmas Epeiros equarum.

Epidautus tamen à Ptolemæo in Peloponneſo conſtituitur: & à Plinio libri quarti capite quinto, in Achaia, ut plures urbes cognomines ei fuerint. *Mox tamen*] Revertitur ad Cæſarem, & Æneidem quandam pollicetur. Sexto autem Æneidos genealogiam hanc attigit: & octavo, in clypeo, Auguſti res geſtas perſtringit.

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Paſcit equos, ſeu quis fortes ad aratra juvencos:
Corpora præcipuè matrum legat. Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus, omnia magna,
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo,

Aut

Aut juga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior: quaque ardua tota,
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.
Ætas Lucinam juſtosque pati Hymenæos
Deſinit ante decem, poſt quattuor incipit annos:
Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, ſuperat gregibus dum læta juventus,
Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus:
Atque aliam ex alia generando ſuffice prolem.
OPTIMA *quæque dies miſeris mortalibus ævi*
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus,
Et labor: & duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice: ac, ne poſt amiſſa requiras,
Anteveni, & ſobolem armento ſortire quotannis.

Seu quis] Adhuc propoſitio exordii fuit: partitio de armentis & pecoribus ſequitur, hîc tamen non expreſſa, ſed poſtea in tranſitione. In armentis partes duæ ſunt, altera de bobus, altera de equis. de ortu igitur & generatione horum primùm agitur. *Optima*] Deſcribitur generationis cauſſa, matricis bovis ſpecies egregia, primùm ex adjunctis qualitatibus partium corporis: de quibus, & generaliter de bovis nomine, & ſpecialiter de vacca, Varro libri ſecundi capite quinto, & deinceps: Columella libri ſexti capite primo, & deinceps: Plinius libri octavi capite quadrageſimo quinto: Palladius in Martio, titulo undecimo. *Torva*] Terribilis: unde paulo pôſt erit.

Et faciem tauro propior-- -

Tauris verò in aſpectu generoſitas torva fronte, ait Plinius. *Turpe caput*] Non degeneres exiſtimari, etiam minùs laudato aſpectu, Plinius ait. Varro & Columella latam frontem volunt: idem Palladius, addit & criſpam & altam. *Plurima cervix*] Varro craſſas & longas cervi-

ces: Columella cervicem longam & toroſam: Palladius item toroſam & compactam. *Crurum tenus*] Varro palearia à collo demiſſa: Columella item palearia ampla & penè ad genua demiſſa: itemque Palladius palearia larga & circa genua fluentia. Syriacis autem bobus palearia non ſunt, ſed gibber in dorſo: Plinius. *Longo*] Varro bene coſtatos boves & oblongos eſſe vult: Columella armis vaſtis, & omnino grandibus membris, lateribus porrectis, lumbis latis: Palladius ventre grandi, armis vaſtis, porrectis lateribus, latis lumbis, dorſo recto & plano. *Pes*] Pedibus non latis, neque ingredientibus qui diſplodantur, nec quorum ungulæ divaricent, & quorum ungues ſint leves & pares, ait Varro. Quod videtur non convenire cum Virgilio. Columella tamē bovem eſſe vult ungulis magnis, primo capite: ſed viceſimoprimo, & modicis ungulis vaccam jubet eſſe; omninoq; altiſſimam eſſe vult, corporis longi, uteri capacis & magni. *Camuris*] Curvis: unde dictæ ſunt cameræ, teſtudines & fornices. cornua tamen tauris in procinctu dimicationem poſcentia Plinius tribuit: & Varro non aliud quàm nigrantia cornua: Columella addit procera & robuſta: Palladius item robuſta, ſed ſine curvaturæ pravitate lunata. Idem in vacca vult cornua eſſe pulchra, & præcipuè nigra. *Hirta*] Varro piloſas aures, Columella piloſas & hirtas, Plinius ſetoſas eligit. *Maculis*] Varro colorem hic potiſſimum eligit nigrum, dein rubeum, tertiò helveum, quartò album: Columella rubeum vel fuſcum: Palladius vult pilum totius corporis denſum ac brevem, rubei maximè coloris aut fuſci. *Inſignis*] Sic ecloga tertia:

---- ſparſis etiam nunc pellibus albo.

Aut juga] Secundus locus, ex effectis, quibus animi qualitas exprimitur. Mores hujus pecudis probabiliores habentur, qui ſunt propiores placidis quàm concitatis, ſed non inertes, qui ſunt verentes plagarum & acclamationum, ſed fiducia virium, nec auditu nec viſu pavidi, nec ad ingredienda flumina aut pontes formidoloſi, multi cibi edaces; Columella libro 6. cap. 2. *Cornu*]

Sic

Sic ecloga tertia commendatur taurus Pollionis:

Pollio & ipſe facit nova carmina: paſcite taurum,
Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.

Et faciem] Redit ad locum illum, *cui turpe caput.* *Cauda*] Varro caudam profuſam uſque ad calces, & inferiorem ejus partem frequentibus pilis ſubcriſpam eſſe vult: Columella longiſſimam & ſetoſam piloſamq; : idem Palladius: Plinius ait, huic uni animali caudam creſcere, donec ad veſtigia ima perveniat. *Ætas*] Tertius locus, è circumſtantia ætatis, à tertio anno ad decimum: de quo ſic ait Varro: Non minores oportet inire bimas, ut trimæ pariant: eò meliùs, ſi quadrimæ. pleræque autem pariunt in decem annos, quædam etiam in plures. Maximè idoneum tempus eſt ad concipiendum, à Delphini exortu, uſque ad dies quadraginta, aut paulò plus. Quæ enim ita conceperunt, temperatiſſimo anni tempore pariunt. Vaccæ decem menſibus ſunt prægnantes. Columella eodem tendit, & decem menſibus ait ventrem perferre. Plinius ait decimo menſe parere: idē Palladius. Columella etiam addit, tauros minores quadrimis, & majores duodecim annis, admiſſura prohibendos eſſe. *Lucinam*] Junonem, deam partus. *Juno Lucina fer opem*, ait Terentius in Andria. Metonymia igitur hic eſt, pro partu. *Hymenæos*] Hymenæus, deus nuptiarum, ἀπὸ τοῦ ὑμένος, pellicula virginitatis clauſtro. Metonymia eſt pro coitu. *Interea*] Additur phyſica generationis cauſſa, ut mortalium ſpecies, ſobolis ſucceſſione perpetuentur. Vita autem vaccis longiſſima quindecim annis, maribus viginti, ait Plinius. *Sortire*] Metaphora eſt à foro, ubi judices prima & altera ſortitione adhibebātur, ut conſtat è ſecunda Verrina Cic. ubi ſortitio & ſubſortitio exprimitur: Poſteaquam rejectio judicum facta eſt, quòd & in ſortitione, iſtius ſpem fortuna populi Romani, & in rejiciendis judicibus mea diligentia iſtorum impudentiam vicerat, renuntiata eſt tota conditio. Et ibidē: Subſortiemur etiam in M. Metelli locum. Ergo ut in judiciis, ſic in animantiū vitis, ſobolis tanquam ſortis ſucceſſionē hac metaphora poëta ſignificavit,

Nec non & pecori eſt idem delectus equino.
Tu modò quos in ſpem ſtatuis ſubmittere gentis,
Præcipuum jam inde à teneris impende laborem.
Continuò pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponti:
Nec vanos horret ſtrepitus; (illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga,
Luxuriatque toris animoſum pectus, honeſti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis,
Et gilvo) tum, ſi qua ſonum procul arma dedêre.
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.
(Denſa juba, & dextro jactata recumbit in armo:
At duplex agitur per lumbos ſpina) cavatque
Tellurem, & ſolido graviter ſonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, & quorum Graij meminêre Poëtæ,
Martis equi bijuges, & magni currus Achillis.
Talis & ipſe jubam cervice effudit equina,
Conjugis adventu, pernix Saturnus: & altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Hunc quoq;, ubi aut morbo gravis, aut jam ſegnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignoſce ſenectæ.
Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem
Ingratum trahit: &, ſi quando ad prælia ventum eſt,
Vt quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis,
Incaſſum furit. ergo animos ævumque notabis
Præcipuè: hinc alias artes, prolemque parentum,

Et

Et quis cuiq; dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, cùm præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntq; effuſi carcere currus?
Cùm ſpes arrectæ juvenum, exultantiaq; haurit
Corda pavor pulſans: illi inſtant verbere torto,
Et proni dant lora. volat vi fervidus axis:
Iamque humiles, jamque elati ſublimè videntur,
Aëra per vacuum ferri, atq; aſſurgere in auras.
Nec mora, nec requies: at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur: humeſcunt ſpumis flatuque ſequentum.
Tantus amor laudum, tantæ eſt victoria curæ.
Primus Erichthonius currus & quatuor auſus
Iungere equos, rapidisque rotis inſiſtere victor.
Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere
Impoſiti dorſo: atq; equidem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.
Æquus uterque labor: æquè juvenemq; magiſtri
Exquirunt, calidumq; animis, & curſibus acrem.
Quamvis ſæpe fuga verſos ille egerit hoſtes,
Et patriam Epeirum referat, fortesque Mycenas:
Neptunique ipſa deducat origine gentem.

Nec non] Deſcribitur conſimili diligentia admiſſarius, ad equos circenſes aut militares gignendum. Nam de vulgaribus hîc nulla mentio præcipua eſt. de quo Varro libri ſecundi capite ſecundo: Columella libri ſexti capite viceſimo ſeptimo: Plinius libri octavi capite quadrageſimo: Palladius in Martio. Primus tamen locus eſt ex effectis. quibus animi indoles ſignificatur. *Quos in ſpem*] Periphraſis eſt equi admiſſarii. *Submittere*] Sic ecloga prima,

Paſcite ut antè boves, pueri, ſubmittite tauros.

Hoc idem Georgici authores Admittere nominant: unde equus admiſſarius, & admiſſura, & admiſſio dici-

tur. *Altius*] Robori conveniens altitudo à Palladio proponitur, à Columella corpus compoſitum, grande, ſublime, erectum, ab aſpectu quoque agile, & ex longo (quantum figura permittit) rotundum. At Varro: Equi boni futuri ſigna ſunt, ſi cum gregalibus in pabulo contendit in currendo, aliave qua re, quo potior ſit. *Et mollia crura reponit*] Ab Ennio ſumptum eſt, qui de gruibus ſic ait,

Perq; fabam repunt, & mollia crura reponunt.

Varro autem hæc mollia crura recta & æqualia dicit: addit genua rotunda, nec magna, nec introrſum ſpectantia: quem Columella ferè ſequitur. *Primus*] Si, cùm flumen travehundum eſt, gregi imprimis prægreditur, ac non reſpectat alios, Varro: Si ante gregem procurrit, ſi laſcivia & alacritate, interdum & curſu certans æquales exuperat: ſi foſſam ſine cunctatione tranſilit, pontem, flumenque tranſcendit; hæc erunt honeſti animi documenta: Columella. Palladius ſimiliter hilaritatem & alacritatem & agilitatem laudat. *Horret ſtrepitus*] Intrepidus, neque conſpectu novæ rei vel auditu terretur. *Illi ardua*] Secundo loco ex adjunctis qualitatibus partium, forma corporis deſcribitur. Eſt autem hic parentheſis obſcurior à Quintiliano notata lib. 8. cap. 2. & certè quinto poſtea verſu revertitur ad inſtitutam indolem. Varro hunc pullum amplo corpore, formoſum, nullâ parte corporis non congruenti. *Ardua cervix*] Mollis, lataque, nec longa, Columel. *Argutumque*] Non magnum, Varro: exiguum, Columella: ſiccum & pelle propemodum ſolis oſſibus adhærente, Palladius. *Brevis alvus*] Venter modicus, Varro: ſubſtrictus, Columella. *Obeſaque terga*] Sic Varro ſcapulas latas petit: Columella grandes armos, & recta & lata latera, & inflexa: & paulo pòſt à Virgilio duplex ſpina dicetur. *Luxuriatque*] Sic Varro latum & plenum pectus, Columella etiam muſculorum toris numeroſum, Palladius latè patens; & corpus denſitate muſculorum nodoſum exigit. *Spadices*] Rutilus & ſpadix, Phœnicei coloris ſynonyma ſunt, ait Gellius lib. 2. cap. 23. Significat

autem

autem ſpadix exuberantiam ſplendoremq; ruboris, quales ſunt dactyli palmarum non admodum ſole incocti. Franci Equiſones vocant *brunbay*, id eſt, fuſcum badium. *Glaucique*] Color hic cæruleus eſt & aqueus, quales oculi ab Homero Palladi tribuuntur, cùm appellatur γλαυκῶπις Ἀθήνη. *Albis*] Non candidis, & nitenti luce perfuſis, ſed pallori vicinis, ait Servius. *Gilvo*] Qualis color eſt in melle. Palladius, Colores hi præcipui, badius, aureus, albineus, ruſſeus, murteus, cervinus, gilbus, ſcutulatus, guttatus, candidiſſimus, niger, preſſus: ſed in admiſſariis clari & uniuſmodi. *Tum ſi qua*] Hîc igitur parentheſis clauditur, & aliis effectis indoles continuatur. *Auribus*] Quas Varro vult eſſe applicatas: Columella breves & arrectas. *Premens*] Fremens aliâs & meliùs legitur. *Naribus*] Quas apertas Columella vult. *Denſa juba*] Hæc ad parentheſin ſecundi loci pertinent. Jubam autem Varro vult non anguſtam, ſed crebram, fuſcam, ſubcriſpam, ſubtenuibus ſetis implicatam in dexteriorem partem cervicis: Columella denſam jubam & per dextram partem profuſam. *Duplex*] Varro lumbos deorſum preſſos vult: Columella ſpinam duplicem & latos lumbos. Atque illa nimirum ſunt obeſa terga, de quibus prius. *Cavatque*] Id ad primum indolis locum rurſus attinet: quod paulò pòſt Poëta dicet de ſue:

Et pedibus ſubigit terram.

Solido] Duris ungulis, & altis, & concavis rotundiſque Columella admiſſarium inſtruit. Palladius pedem ſiccum & ſolidum & cornu concavo altiùs calciatum, ungularum ſolida & fixa rotunditate. *Talis Amyclæi*] Illuſtratio eſt poſitæ deſcriptionis per exempla præſtantium equorum *Amyclæi*] Amyclæ, Amyclarum, Peloponneſi civitas, patria & regia Caſtoris & Pollucis. *Pollucis*] Pro Caſtoris, ait Servius: quia Caſtor domitor equorum fingitur. *Martis equi*] De quibus Homerus Iliad. δ. & σ. δεῖμος καὶ φόβος, terror & timor. *Currus*] Metonymia pro adjunctis equis, Xantho & Balio de quibus Homerus Iliad. π. quomodo à Zephyro geniti & velocitate pares

ventis. *Saturnus*] Saturnus mutatus in equum, Phyliram compreſſit, & Opis uxoris adventu territus in Pelium Theſſaliæ montem confugit. *Hunc quoque*] Poſtremus locus eſt de ætate, quæ definitur in equo à Columella, à tertio anno ad viceſimum: à Plinio ad triceſimum tertium & quadrageſimum: in equa autem à Varrone à tertio ad decimum. Virgilius omnino morbi & ſenectutis imbecillitatem excipit, & prohibet admiſſura. *Frigidus*] Exponitur ignis ſimilitudine inopia ſeminis. *Prælia*] Admiſſuram. ſic undecimo Æneidos:

At non in Venerem ſegnes nocturnaque bella,

Pro Venere, ſimili metaphora dictum eſt. *Ergo animos*] Epilogus de indole & ætate. additur ad indolem laudis amor, & effectorum exemplo declaratur. *Parentum*] Qui aut circenſes, aut militares, aut vectarii, aut gradarii fuere. *Carcere*] Synecdoche pro carceribus, quibus in circo arcentur equi: ut fuit primo Georgico:

Ut cùm carceribus ſeſe effudere quadrigæ:

Hic autem verſus cum ſuperiore proximo hemiſtichio quinto Æneid. repetitur. Vide Plinium libri octavi capite quadrageſimo ſecundo, quomodo ſit in equis intellectus cognationis, ſymphoniæ, dominorum, artis, adhortationis, gloriæ. *Juvenum*] Aurigarum, Albatorum aut Praſinorum. hæ ſiquidem erant aurigantium ſectæ. *Verbere torto*] Sic Æneidos quinto:

Nec ſic immiſſis aurigæ undantia lora
Concuſſere jugis, pronìq; in verbera pendent

Axis] Synecdoche pro curru. *Tantus amor*] Sic Georgico ſecundo:

----tantus amor terræ.

Item quarto:

Tantus amor florum----

Primus] Exornatio poſiti exempli, per ejus authorem primum Erichthonium, filium Vulcani, qui ad tegendos draconteos pedes primus junctis equis uſus eſt. *Frena*] Illuſtratio altera ex authoribus equitationis militaris: quæ præſtantium equorum ars ſecunda eſt. *Pelethronii*]

Pele-

Pelethronium, oppidum Theſſaliæ, ubi Lapithæ primùm equos domuerunt. *Equitem*] Equum equitantem. propriè enim & Eques & Equitare in equis dicuntur: de homine equi ſeſſore. *Glomerare*] Metaphora à mulieribus nentibus, quarum globus ex filo factus, glomus dicitur. hinc glomerare, in glomi ſpeciem implicare: quod poſtea dicetur Alterna volumina crurum inſinuare. Plinius libri octavi capite quadrageſimo ſecundo de hoc equorum genere videtur dicere: In Hiſpania (ait) Gallecà gens & Aſturica equini generis, quos Thieldones vocamus, minori forma appellatos Aſturcones gignunt: quibus non vulgaris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equis tollutim carpere in curſus traditur arte. *Equus*] Repetitur epilogus de indole & ætate, & exornatur diſſimili laude præteritæ velocitatis, & natalitii loci. *Epirum*] Sic primo Georgico Epirus nobilitatur:

---- Eliadum palmas Epiros equarum.

Mycenas] Oppidum Peloponneſi, & quondam regia Agamemnonis. Hinc illud Æneidos ſexto:

Eruet ille Argos, Agamemnoniaſq; Mycenas.

Varro autem ait libri ſecundi capite ſeptimo, ætate ſua greges equorum & equarum in Apulia & Peloponneſo fuiſſe. Et ibidem, De ſtirpe, magni intereſt, qua ſint, quòd genera ſunt multa. Itaque adhoc nobiles à regionibus dicuntur in Græcia Theſſalici equi, à terra Apuli, ab Roſea Roſeani. *Neptunique*] De quo fuit Georgico primo:

---Tuq; ò, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.

His animadverſis, inſtant ſub tempus, & omnes
Impendunt curas denſo diſtendere pingui,
Quem legêre ducem, & pecori dixere maritum:
Florenteſq; ſecant herbas: fluvioſq; miniſtrant,
Farraq;, ne blando nequeant ſupereſſe labori,

Invalidiq; patrum referant jejunia nati.
Ipſa autem macie tenuant armenta volentes:
Atq; ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondesq; negant, & fontibus arcent:
Sæpe etiam curſu quatiunt, & ſole fatigant,
Cùm graviter tunſis gemit area frugibus, & cùm
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes,
Sed rapiat ſitiens Venerem, interiusq; recondat.
Rurſus cura patrum cadere, & ſuccedere matrum
Incipit. Exactis gravidæ cùm menſibus errant,
Non illas gravibus quiſquam juga ducere plauſtris,
Non ſaltu ſuperare viam ſit paſſus, & acri
Carpere prata fuga, fluviosq; innare rapaces.
Saltibus in vacuis paſcant, & plena ſecundùm
Flumina, muſcus ubi, & viridiſſima gramine ripa,
Speluncæq; tegant, & ſaxea procubet umbra.
Eſt lucos Silari circa, ilicibusq; virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen Aſilo
Romanum eſt: Oeſtron Graji vertêre vocantes:
Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſylvis
Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther
Concuſſus, ſylvæque, & ſicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Iuno peſtem meditata juvencæ.
Hunc quoq; (nam mediis fervoribus acrior inſtat)
Arcebis gravido pecori: armentaq; paſces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.

Hu animadverſis] Adhuc parentum delectus in bu-
bulo

bulo & equino pecore fuit: proximum præceptum eſt, ut patres ſaginentur, matres macerentur tempore admiſſionis. Saginationis & efficiens cauſſa, & finis præponitur. *Pingui*] Pingue, pinguis; neutro genere pro ſagina apud Plinium etiam eſt libri noni capite decimo quinto: Utiliſſima ex his quæ caudæ proxima, quia pingui carent. Apud eundem tamen libri octavi capite quinquageſimo, Pinguedo pro eodem eſt: Omni pinguedine detracta, in olla caro decoquitur. Pro eodem & Pinguitudo apud Varronem eſt libro tertio de re Ruſtica: Et lux pinguitudini inimica. Item apud Columellam & Plinium. Errat igitur hîc Servius, qui pinguedinem & pinguitudinem Latina non eſſe docet. *Quem legere*] Hic verſus periphraſim admiſſarii continet. *Florenteſque*] Varro libri ſecundi capite quinto: Tauros duobus menſibus ante admiſſuram herba & palea & fœno facio pleniores. Columella libri ſexti capite viceſimo ſexto, tauris pabulum adjicit, quo fortiùs ineant. viceſimo ſeptimo: Roborandus eſt (ait) admiſſarius largo cibo, & appropinquante Vere, hordeo ſaginandus, ut Veneri ſuperſit: quantoque fortior inierit, firmiora ſemina præbeat futuræ ſtirpi Ideoque ibidem quotannis non plures fœminas, quàm viginti implendas admiſſario uni tribuit. de quo etiam ita Plinius: Sed ad generandum, paucis animalium minor fertilitas: qua de cauſſa per intervalla, admiſſuræ dantur: nec tamen quindecim initus ejuſdem anni valet tolerare. Palladius non ampliùs quàm duodecim vel quindecim admiſſuras permittit: Varro tauris duobus ſeptuaginta matrices attribuit, uni anniculo, alteri bimo. Admiſſuræ verò initium ab Æquinoctio verno, & partum duodecimo menſe omnes definiunt. Ad faſtidium etiam admiſſionis levandum, Varro & Columella, ſcilla contrita, naturalia equæ illinunt, & equi naribus admovent. Vulgaris autem parit quotannis, alternis autem generoſa, quo firmior pullus materno lacte fiat, ait Varro: itemque Columella. *Ipſa autem*] Macies item ſuis cauſſis exponitur, efficientibus primùm,

detractione cibi & potionis, laboris acceſſione.

Frondesq; negant; & fontibus arcent] Contrarium fuit ad ſaginandum,

Florentesq; ſecant herbas fluviosq; miniſtrant.

De quo ſic Varro libri ſecundi capite quinto: Propter fœturam hæc ſervare ſoleo, ante admiſſuram menſem unum, ne vaccæ cibo aut potione ſe impleant, quòd exiſtimantur faciliùs macræ concipere. Idem Columella libri ſexti capite viceſimo ſexto: Sed & pabulum circa tempus admiſſuræ ſubtrahitur fœminis, ne eas ſteriles reddat nimia corporis obeſitas. *Cùm graviter*] Periphraſis eſt meridiani temporis, ubi Solis calor eſt major, quoque tempore frumentum in area teritur. *Hoc faciunt*] Finis maciei, quia macræ faciliùs concipiant. Res per allegoriam ab agrorum cultu & ſatione ſignificatur. Quædam enim (ait Quintilianus libri octavi capite ſexto) parum ſpecioſa dictu, per metaphoram explicantur. *Luxu*] Nimia obeſitate (ait Columella. *Genitali arvo*] Utero, naturalibus, ut idem Columella loquitur. *Sulcos*] Admiſſuras. *Oblimet*] Repleat, ut ſecundo de Natur. Deorum apud Ciceronem: Ægyptum Nilus irrigat: &, cùm tota æſtate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit. *Rurſus*] Cura prægnantium ſequitur, ne graventur vectura, ſaltu, curſu, trajectione fluminum, ſed paſcantur in vacuis ſaltibus, ripis herboſis plenorum fluminum, locis etiam umbroſis. *Exactis*] Menſe duodecimo æque pariunt, ut dictum eſt. *Non illas*] Varro libri ſecundi capite quinto de vaccis: Cavere oportet ne aut anguſtiùs ſtent, aut feriantur, aut concurrant. Sic idem ſeptimo: Cùm conceperunt equæ, videndum ne laborent pluſculum. Idem Palladius: Gravidæ non urgeantur, nec inter ſcloci comprimantur anguſtiis. *Paſcant*] Sic Varro jubet paſci in locis viridibus & aquoſis: & æſtate bis ad aquam appelli, hyeme ſemel. *Saltibus*] Saltus, ſylvas paſcuas ſignificat: de quibus ecloga ſexta diximus. *Umbra*] Varro tamen prohibet, ne ſe ad frigidum

dum locum recipiant, quòd algor maximè prægnantibus obeſt. Idemque Columella, qui largo paſcuo prægnantes firmandas cenſet: Varro tamen neque impleri cibo, neque eſurire vult. *Eſt lucos*] Poſtrema gravidarum cura, ut tabanis prohibeantur: ideoque mane & veſpere paſcantur. Tabanus autem nomine & ſubjectis locis, & adjuncto ſono deſcribitur. *Silari*] Fluminis Lucaniæ, in quem virgulta & & folia immerſa lapideſcunt: aliàs ſalubris potus ejus aquæ: Plinius libri ſecundi capite centeſimo tertio. *Alburnum*] Alburnus, Lucaniæ mons, à candore verticis appellatus. *OEſtron*] Οἶστρος, ſtimulus vel aſilus dicitur. à Varrone etiam Tabanus appellatur, cùm ait hac de re: Itaque, quòd eas æſtate tabani concitare ſolent & beſtiolæ quædam minutæ ſub cauda, ne concitentur, aliqui ſolent includere ſeptis. *Tanagri*] Tanager fluvius Lucaniæ. *Hoc quondam*] Illuſtratio per exemplum. Ino autem filia Inachi, in ſpeciem vaccæ mutata, à Jove adamata eſt. Itaque à Junone concitata, in mare ſe præcipitavit. Latinis autem eſt Matuta, Græcis Leucothea, ait Cicero prima Tuſculana: ubi Cadmi filia fit, non Inachi.

Poſt partum, cura in vitulos traducitur omnis:
Continuóq; notas & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo,
Aut aris ſervare ſacris, aut ſcindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cætera paſcuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad ſtudium atq; uſum formabis agreſtem,
Iam vitulos hortare, viamque inſiſte domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primùm laxos tenui de vimine circlos
Cervici ſubnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio aſſuerint, ipſis è torquibus aptos

Iunge pares, & coge gradum conferre juvencos:
Atque illis jam ſæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, & ſummo veſtigia pulvere ſignent.
Poſt valido nitens ſub pondere faginus axis
Inſtrepat, & junctos temo trahat æreus orbes.
Interea pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec veſcas ſalicum frondes, ulvamq; paluſtrem,
Sed frumenta manu carpes ſata. nec tibi fœtæ
More patrum nivea implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces conſument ubera natos.

Poſt partum] Adhuc de parentibus: deinceps de natis agitur, ut inuſtis notis ſignentur: de quo Columella libri duodecimi capite ſecundo, & Palladius in Aprili. *Aris*] Equus apud Perſas immolabatur. Ovidius primo Faſtorum:

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Romæ etiam ſacris publicis immolabatur, ait Plinius libri viceſimioctavi capite nono. *Cætera*] Non apta admiſſuræ, non ſacrificiis, non aratris. *Tu quos*] Buculorum domitura deſcribitur, è levioribus & ludicris laboribus, poſtea autem ſeriis. *Faciles animi*] Sic paulò antè:

Præcipuum jam inde à teneris impende laborem.

& ſuperiore libro:

---- Adeò à teneris conſueſcere multum eſt.

Non ante tertium, nec poſt quintum annum domitura hæc fiat, ut Columella & Plinius. Columella libri ſexti capite ſecundo, domituram hanc copioſè propoſuit, ut buculi conſueſcant manu tractari, ad præſepia religari, & extra ſtabulum ad ſtipites, clava ſaligna modicis ictibus coërceri, per mille paſſus compoſitè ac ſine pavore progredi, domitorem ſuum blandientem & accedentem intueri & odorari, ab eoque mero aſpergi, ventre attrectari, palato defricari, offis & vino infuſis allici. Nam per hæc

hæc blandimenta triduo ferè manſueſcunt, jugumque quarto die accipiunt. *Pondere*] Interdum (ait Columella) & pondus aliquod injungitur, ut majore niſu laboris exploretur patientia: poſt ejuſmodi experimenta, vacuo plauſtro ſubjungendi, & paulatim longiùs cum oneribus producendi ſunt. Sic perdomiti, mox ad aratrum inſtituantur: ſed in ſubacto agro, ne ſtatim difficultatem operis reformident, neve adhuc tenera colla, dura proſciſſione terræ contundant. *Interea*] Juvencorum paſtus copioſus deſcribitur, ex efficientibus cauſſis, herba, fronde, ulva, frumento, copia lactis. Qua de re ſic Varro: Semeſtribus vitulis (ait) objiciunt furfures triticeos, & farinam hordeaceam, & teneram herbam, & ut bibant mane & veſperi. *Veſcas*] Edules vel ediles. Veſcum enim dicitur quo veſcimur. hinc quarto Georgico:

---- veſcumq; papaver.

Ulvam] Vulgo herbam marinam vocant. *Mulctralia*] Mulctrale, vas quo mulgentur vaccæ. Mulctra etiam Columellæ dicitur.

Sin ad bella magis ſtudium, turmasq; feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Piſæ,
Et Iovis in luco currus agitare volantes:
Primus equi labor eſt, animos atq; arma videre
Bellantum, lituoſq; pati, tractuq; gementem
Ferre rotam, & ſtabulo frenos audire ſonantes:
Tum magis atq; magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primò depulſus ab ubere matris
Audiat, inque vicem det mollibus ora capiſtris
Invalidus, etiamq; tremens, etiam inſcius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta acceſſerit æſtas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis, ſinuetque alterna volumina crurum:

Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Provocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix ſumma veſtigia ponat arena.
Qualis hyperboreis Aquilo cùm denſus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemes atque arida differt
Nubila: tum ſegetes altæ, campique natantes
Lenibus horreſcunt flabris, ſummæque ſonorem
Dant ſylvæ, longique urgent ad litora fluctus:
Ille volat, ſimul arva fuga, ſimul æquora verrens.
Hic vel ad Elei metas & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas:
Belgica vel molli meliùs feret eſſeda collo.
Tum demum craſſa magnum farragine corpus
Creſcere jam domitis ſinito. namque ante domandum
Ingentes tollent animos: prenſique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.

Sin ad] Equuli militaris & curſoris domitura, quinque præceptis inſtruitur. primum, eſt exemplum veteranorum. *Turmaſque*] Turma propriè eſt equitum militaris ordo. *Alphea*] Alpheus fluuius, de quo jam diximus: alluit Elim, civitatem vicinam Piſæ & Olympiæ, ubi ludicrum Olympicum. *Jovis*] Olympici, cui Hercules ludos Olympicos inſtituit. *Lituoſq;*] Secundum præceptum de militaribus & curulibus inſtrumentis. Lituus autem, genus eſt buccinæ incurvæ, unde vox gracilior exit:

Et lituo pugnas inſignis obibat, & haſta:

Sexto Æneidos. A cujus ſimilitudine, Lituus Augurum nominatus eſt, ait Cicero primo de Divinatione. *Frænos*] De hac domitura Varro libri ſecundi capite ſeptimo. Neque priùs biennio confecto (ait) à lacte removendum: eoſque, cum ſtent cum matribus, interdum tractandum: ne, cùm ſint disjuncti, exterreantur. Eademque cauſſa ibi frænos ſuſpendendum, ut equuli conſue-

conſueſcant & videre eorum faciem, & è motu audire crepitus. Cùm jam ad manus accedere conſueverint, interdum imponere iis puerum, bis aut ter pronum in ventrem, poſtea jam ſedentem. hæc facere, cùm ſit trimus. tum enim maximè creſcere, ac lacertoſum fieri. Sunt qui dicant poſt annum & ſex menſes, equulum domari poſſe: ſed meliùs poſt trimum. *Tum magis*] Tertium, de blandimentis magiſtrorum. habet enim equus intellectum laudis & adhortationis, ut ex Plinio diximus. *Atque hac*] Quartum, de tempore domituræ, ante quartum annum: quod ex Varrone jam patuit. Columella libri ſexti capite viceſimo nono: Equus bimus, ad uſum domeſticum rectè domatur, certaminibus expleto triennio: ſic tamen ut poſt quartum demum annum labori committatur. *At tribus*] Quintum, de progreſſionis arte: de qua paulo antè,

---gyroſq; dedere.

Sinuetque alterna] Illud nimirum eſt Greſſus glomerare: quo in verſu & ſequentibus duobus, animadvertes numeri celeritate, curſus celeritatem mirificè exprimi. *Vix ſumma*] Talis eſt hyperbole Æneidos ſeptimo,

Illa vel intacta ſegetus per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

Qualis] Exornatio per ſimilitudinem: cujus redditio præcedit, de velocitate equorum. *Hyperboreis*] Deſcribitur Aquilo, è ſubjecta plaga Septentrionis, & ejus effectis. *Hyperboreis*] Hyperborei montes ſunt & populi Scythiæ. ſic paulo pòſt:

Talis Hyperboreo ſeptem ſubjecta Trioni.

Arida] Sicca & frigida. *Sonorem*] Vehementiorem ſonum, ut Æneidos ſeptimo:

---magno veluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni.

Longique] Hi longi fluctus paulo pòſt dicentur:

Fluctus ut in medio---

Ille] Aquilo. Hæc autem comparatio Homerica eſt. Homerus enim equos Achillis, Xanthum & Balium fin-

git Zephyro genitos, & ventis pares velocitate, Iliados [illegible] ν. *Hic vel*] Militaris equi domitura deſcripta [illegible] ſor, & vectarius breviter proponitur. *Elei*] De Elide [illegible] dictum eſt. *Belgica*] Apud Belgas Gallos primùm [illegible] ta. Eſſedis autem etiam in bello Galli veteres illi, itemque Britanni utebantur. Hinc Eſſedarii apud Cæſarem [illegible] Commentariorum: Equites (ait) hoſtium eſſedariique acriter prælio cum equitatu noſtro in itinere conflixerunt. *Tum demum*] Sequitur domituram animi, corporis accretio, ex efficientibus cauſſis. Prima eſt è farragine, quæ fit hordeo, vicia, avena, leguminibus: Franci Drageam vocant, quæ eſt equis alimentum & purgatio. De quo ſic Varro libri ſecundi capite ſeptimo: Poſt trim[illegible] farrago dari ſolet. hæc enim purgatio maximè neceſſaria pecori equino. quod diebus decem facere oportet, nec pati alium ullum cibum guſtare. Ab undecimo die uſque ad quartum decimum, dandum hordeum, quotidie adjiciendo minutatim. Quod quarto die feceris, in eo decem diebus proximis manendum: ab eo tempore mediocriter exercendum, &, cùm ſudarit, perungendum oleo. ſi frigus erit, in equili faciendus ignis. Columella præterea hæc addit: Nec minùs quotidie corpora pecudum, quàm hominum defricanda ſunt: ac ſæpe plus prodeſt preſſa manu ſubegiſſe terga, quàm ſi longiſſimè cibos præbeas. *Ante domandum*] Grammatici quidam paſſivè interpretantur, Antequam domiti ſint. Potes dicere, Antequam domueris: nec ex ambiguo loco regula nova fingenda eſt. *Lupatis*] Frenis ad ſimilitudinem lupinorum dentium inæqualiter factis, quæ etiam Lupi dicũtur,

Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos: Ovid. 4. Triſt.

Sed non ulla magis vires induſtria firmat
Quàm Venerem & cæci ſtimulos avertere Amoris:
Sive boum, ſive eſt cui gratior uſus equorum.
Atq; ideo tauros procul atq; in ſola relegant
Paſcua, poſt montem oppoſitum, & trans flumina lata:

Aut

Aut intus clauſos, ſatura ad præſepia ſervant.
CARPIT *enim vires paulatim, uritque videndo*
Fœmina: nec nemorum patitur meminiſſe, nec herbæ;
Dulcibus illa quidem illecebris & ſæpe ſuperbos
Cornibus inter ſe ſubigit decernere amantes.
Paſcitur in magna ſylva formoſa juvenca:
Illi alternantes multa vi prælia miſcent
Vulneribus crebris: lavit ater corpora ſanguis,
Verſaq; in obnixos urgentur cornua vaſto
Cum gemitu: reboant ſylvaq; & magnus Olympus.
Nec mos bellantes unà ſtabulare: ſed alter
Victus abit, longeq; ignotis exulat oris,
Multa gemens ignominiam plagaſque ſuperbi
Victoris, tum quos amiſit inultus amores:
Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura jacet pernox inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis & carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit,
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt, ubi collectum robur, vireſque receptæ,
Signa movet, præcepsq; oblitum fertur in hoſtem:
Fluctus ut in medio cœpit cùm albeſcere ponto
Longiùs, ex altoq; ſinum trahit: utq; volutus
Ad terras, immanè ſonat per ſaxa, nec ipſo
Monte minor procumbit: at ima exæſtuat unda
Vorticibus, nigramq; altè ſubjectat arenam.

Sed non] Secunda incrementi ratio, è contrario ſaginæ impedimento. Sic Columella jubet pretioſos equos à fœminis removeri, ne, cùm volet, ineant: aut, ſi prohibeatur,

cupidine ſolicitati, noxam contrahant. Itaque vel in longinqua paſcua marem placet ablegari, vel ad præſepia contineri. *Carpit enim*] Ratio prohibitæ Veneris ex effectis; quia macerat & in furioſas contentiones impellit: quod taurorum exemplo latiùs exponitur. *Uritq; videndo*] De quo ſecunda ecloga:

Me tamen urit amor. Quis enim modus adſit amori?

Item octava:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!

Meminiſſe nec herba] Sic eadem ecloga:

Paſtorum muſam Damonis & Alpheſibœi,
Immemor herbarum quos eſt mirata juvenca.

Illi alternantes] Hic locus duodecimo Æneidos ad ſimilitudinem Turni & Æneæ, de Lavinia virgine dimicantium repetitur:

Ac velut ingenti Syla, ſummove Taburno,
Cùm duo converſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi ceſſere magiſtri:
Stat pecus omne metu mutum, muſſantq; juvencæ:
Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur.
Illi inter ſeſe multa vi vulnera miſcent.
Cornuaq; obnixi infigunt, & ſanguine largo
Colla armoſq; lavant: gemitu nemus omne remugit.

De hoc taurorum certamine Plinius etiam, libri octavi capite quadrageſimo quinto, ita ſcribit: Tauris in aſpectu generoſitas torva fronte, auribus ſetoſis, cornibus in procinctu dimicationem poſcentibus. Sed tota comminatio prioribus in pedibus ſtat, ira gliſcente alternos replicans, ſpargensque in altum arenam, & ſolius animalium eo ſtimulo ardeſcens. Vidimus de imperio dimicantes, & ideo demonſtratos rotari, cornibus cadentes excipi, iterumque reſurgere: modò jacentes ex humo tolli, bigarumque etiam curſu citato velut aurigas inſiſtere. Theſſalorum gentis inventum eſt, equo juxta quadrupedante, cornu intorta cervice tauros necare. Primus id ſpectaculum Romæ dedit Cæſar Dictator. *Lavit*] Imbuit, conſpergit. *Olympus*] Mons Theſſaliæ ſummæ altitu-

altitudinis: hîc per ſynecdochen pro quovis alto monte. *Nec mos*] Illuſtratio dimicationis, ex adjunctis acceptæ cladis, exilio & dolore amiſſæ juvencæ. *Aſpectans*] Sic de Catilina Cicero ſecunda Catilinaria: Jacet ille proſtratus, (Quirites) & ſe perculſum atque abjectum eſſe ſentit, & retorquet oculos ſæpe ad hanc urbem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget. *Regna*] pabulis in quibus regnabat, dux nempe & maritus gregis: qualis eſt metaphora, prima ecloga:

Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor, ariſtas.

Ergo omni cura] Illuſtratio altera futuræ contentionis ſecundæ, ex cauſſis ſperatæ victoriæ. *Carice*] De qua diximus ecloga tertia, ad illum locum,

----tu poſt carecta latebas.

Gladiolum quidam vocant, junci magni ſpeciem.

Tentat] Duodecimo Æneidos hæc repetuntur:

His igitur furiis totoq; ardentis ob ore
Scintilla abſiſtunt, oculis micat acribus ignis:
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atq; iraſci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco: ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Poſt ubi] Renovatum prælium exornatur ſimilitudine fluctuum marinorum: ubi redditio ſimiliter præcedit, ut in ſuperiore comparatione. Hæc autem comparatio repetitur undecimo Æneidos:

Qualis ubi alterno procurrens gurgite Pontus,
Nunc ruit ad terras, ſcopuloſq; ſuperjacit undam
Spumans, extremamq; ſinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retrò, atq; æſtu revoluta reſorbens
Saxa, fugit, littuſq; vado labente relinquit.

Vorticibus] Aquis in ſe contortis: quę propria ſignificatio eſt, ut Quintilianus exponit libro octavo.

Omne adeo genus in terris hominumq; ferarumq;
Et genus æquoreum pecudes pictæq; volucres,
In furias ignemq; ruunt: AMOR *omnibus idem.*

Tempore non alio catulorum oblita leæna,
Sævior erravit campis: nec funera vulgo
Tam multa informes urſi, ſtragemq; dedêre
Per ſylvas: tum ſævus aper, tum peſſima tigris.
Heu malè tum Libyæ ſolis erratur in agris!
Nonne vides ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, ſi tantùm notas odor attulit auras?
Ac neque eos jam fræna virûm, nec verbera ſæva,
Non ſcopuli rupesq; cavæ atq; objecta retardant
Flumina, correptos unda torquentia montes.
Ipſe ruit, dentesq; Sabellicus exacuit ſus;
Et pede proſubigit terram, fricat arbore coſtas,
Atq; hinc atq; illinc humeros ad vulnera durat.
Quid juvenis magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus Amor? nempe abruptis turbata procellis
Cæca nocte natat ſerus freta: quem ſuper ingens
Porta tonat cœli, & ſcopulis illiſa reclamant
Æquora: nec miſeri poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum
Atq; canum? quid? quæ imbelles dant prælia cervi?
Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum.
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumpſere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant:
Continuoq; avidis ubi ſubdita flamma medullis,
(Vere magis: quia VERE calor redit oſſibus) illæ
Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantq; leves auras, & ſæpe ſine ullis
Conjugiis, vento gravidæ, (mirabile dictu)

Saxa

Saxa per & ſcopulos, & depreſſas convalles
Diffugiunt: non Eure tuos, neque ſolis ad ortus,
In Boream Caurumque, aut unde nigerrimus Auſter
Naſcitur, & pluvio contriſtat frigore cœlum.
Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum deſtillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod ſæpe malæ legêre novercæ,
Miſcueruntq; herbas, & non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.
Hoc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasq; capellas.
Hic labor, hinc laudem fortes ſperate coloni.
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quàm ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnaſsi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor: juvat ire jugis qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Omne adeò] Diſputatur locus de amoris furore generaliter, & per ſpecies varias inducitur: ubi animalium cæterorum hiſtoria non pauca comprehenditur. *Leæna*] Magna leænis libido coitus, & ob hoc maribus ira. Odore Pardi coitum ſentit in adultera Leo, totaque vi conſurgit in pœnam. Idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longiùs comitatur. Ariſtoteles tradit, leænam primo fœtu parere quinque catulos, ac per annos ſingulos uno minùs: ab uno ſterileſcere: Plinius libri octavi capite decimoſexto. *Informes*] Catulus urſinus, informis caro naſcitur, paulò muribus major, ſine oculis, ſine pilo: ungues tantùm prominent. hanc lambendo paulatim figurant, ut eſt ibidem capite triceſimoſexto. Hinc urſi informes, à prima genitura nominantur. *Sævus aper*] De quo paulò pòſt iterum in ſuibus. *Tigris*] De qua ecloga 5.

Daphnis & Armenias curru conjungere tigres.

& Georgico ſecundo:

At rabidæ tigres abſunt----

Heu male] Sic Georgico ſecundo:

Heu male tum mites defendet pampinus uvas.

Libye] Quæ multis locis deſerta eſt propter feras. *Nomine*] Equorum amor exponitur, ex adjuncto tremore & furore. *Odor*] Sic Varro & Columella jam docuerunt, Veneris faſtidium in equis tolli, ſi ad equarum vulvas naribus admoverentur. *Montes*] Hyperbole eſt, quia ſaxa ingentia intelligimus. *Ipſe ruit*] Amor ſuum exponitur, ex effectis. Suibus autem maribus in coitu plurima eſt aſperitas. Tunc inter ſe dimicant, indurantes attritu arborum coſtas, lutoque ſe tergorantes. Fœminæ in partu aſperiores, & fere ſimiliter in omni genere beſtiarum: Plinius libri octavi capite quinquageſimo ſecundo. *Quid juvenis*] Amor hominum exponitur, exemplo Leandri, qui eſt mari obrutus propter amores Herus puellæ. De quibus Ovidius in Epiſtolis: & Muſæus, poeta Græcus, in poëmate hujus fabulæ. *Freta*] Helleſpontum quem traſiciebat Leander, Abydo Seſtum uſque. Helleſpontus. n. duob. illis oppidis, Abydo in Aſia, Seſto in Europa cingitur, & è regione veluti clauditur: ut ſecundo Georgico ad illum locum,

---oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Quid Lynces] Amor lyncum: quarum urina glaciatur in gemmam, quæ lyncurium dicitur: Plinius libri octavi capite tricoſimo octavo. *Varia*] Sic Æneidos primo,

---maculoſa tegmine lyncis.

Luporum] Amor luporum non ampliùs, quàm dies duodecim durat. Caudæ autem lupi vulgo creditur ineſſe amatorium virus exiguo in villo: cumque, cùm capiatur, abjici: nec idem pollere niſi viventi direptum: Plinius libri octavi capite viceſimo ſecundo. Genera verò luporum Oppianus quinque deſcribit. *Canum*] Canes concipiunt apud Indos è tigribus: apud Gallos, è lupis, illis autem annui partus. Catuli non ultra viceſi-

mum

mum primum diem viſum accipiunt, nec ante ſeptimum: Plinius libri octavi capite quadrageſimo. *Cervi*] Cervis quoque eſt ſua malignitas, quanquam placidiſſimo animalium, à conſpectu ſeparant ſe: at mares relicti, rabie libidinis ſæviunt: Plinius libri octavi capite triceſimo ſecundo. *Scilicet*] Extrema pars inductionis, de mirabili equarum amore: qui deſcribitur ex effectis, adjuncto conceptu & veneno. *Glauci*] Glaucus, Siſyphi filius, apud Potniam urbem equas velociſſimas habuit, à quibus mordicus laceratus: quòd eas admiſſura equorum prohiberet. *Quadrigæ*] Equæ vel quatuor junctæ, vel quadrijugum currum trahentes. *Gargara*] Mons Phrygiæ, de quo primo Georgico:

-------- ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.

Aſcanium] Fluvium Phrygiæ. Hîc autem per Synecdochen, Gargara & Aſcanium pro quibuslibet montibus & fluminibus poſuit, ut etiam mox interpretatur. *Vere magis*] Sic Columella libri ſexti capite viceſimo ſeptimo, ait equas libidinis furiis extimulari, ſi circa vernum Æquinoctium deſideriis naturalibus angantur. *Quia Vere*] Quod ſecundo Georgico planiùs in definitione Veris dictum eſt:

Et Venerem certis repetunt armenta diebus.

Ore omnes] Varro libri ſecundi capite primo, de hoc ſic ait: In fœtura res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quòd in Luſitania ad Oceanum, in ea regione ubi eſt oppidum Olyſſippo, monte Tagro, quædam è vento concipiunt certo tempore equæ, ut hîc gallinæ quoque ſolent, quarum ova ὑπηνέμια appellant. Sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt. Idem Columella de equabus, libri ſexti capite viceſimo ſeptimo: Nec dubium quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coeundi fœminæ, ut, etiam ſi marem non habeant, aſſidua & nimia cupiditate figurantes ſibi ipſæ Venerem, cohortalium more avium, vento concipiant. Et poſt utrumque Plinius libri octavi capite quadrageſimo ſecundo: Conſtat in Luſitania circa Ulyſſipponem oppidum

& Tagum amnem, equas Favonio flante obverſas, animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri & gigni perniciſſimum ita, ſed triennium vitæ non excedere. Quapropter è Varrone, Columella, Plinio, phyſicum hoc miraculum teſtatum videmus, quemadmodum equæ ore, id eſt locis naturalibus & vulva, obverſæ Favonio, ſeu Zephyro, concipiant ſine admiſſario. *Caurumque*] Repetit Zephyrum jam propoſitum. Corus enim, pro quo Caurus, Græcis eſt Zephyrus, ab occaſu ſolſtitiali flans. *Hinc demum*] Definitur Hippomanes virus lentum, è menſtruo equino diſtillans. Additur ratio nominis & veneficium inde confectum. *Hippomanes*] ἡ τοῦ ἵππου μανία, equi furor Græcè dicitur: unde compoſitum nomen Hippomanes: unde ἱππομανεῖν, Equire, atque amore deperire. De hoc autem Ariſtoteles ſexto de hiſtoria animalium: Cùm equa peperit, ſtatim ſecundas devorat, atque etiam quod pulli naſcentis fronti adhæret, Hippomanes dictum, magnitudine minus carica parva, ſpecie latiuſculum, orbiculatum, nigrum. Hoc ſi quis prærepto odorem moveat, equa excitatur furitque agnito eo odore. Quapropter id à veneficis petitur & percipitur mulierculis. De quo erit etiam quarto Æneidos:

Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus,
Et matri prareptus amor.

Columella eodem libro: unde etiam (ait) veneno inditum eſt nomen Hippomanes, quòd equinæ cupidini ſimilem mortalibus amorem accendat. Et Plinius: Et ſanè equis, amoris innaſci veneficium, Hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro: quod ſtatim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit. ſi quis præreptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur. *Noverca*] Idem repetitur è ſecundo Georgico:

Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntq; herbas & non innoxia verba.

Sed

Sed fugit] Concluditur per tranſitionem prima pars de armentis boum & equorum: ſecunda pars proponitur, de gregibus ovium & caprarum. Additur autem attentionis gratia, adjuncta difficultas operis, è principio libri hujus repetita. *Irreparabile*] Sic Ovidius tertio de Arte:

Ludite: eunt anni more fluentis aquæ:
Nec quæ præteriit, iterum revocabitur unda:
Nec quæ præteriit hora, redire poteſt.

Hic labor] Talis apoſtrophe eſt ſecundo Georgico:

Quare agite, ò proprios generatim diſcite cultus,
Agricolæ, fructuſq; feros mollite colendo.

Nec ſum] Sic Georgico quarto:

In tenui labor: at tenuis non gloria----

Hîc autem Virgilius imitatus eſt Lucretium, qui ſic ait libro primo:

Nec me animi fallit, Grajorum obſcura reperta
Difficile illuſtrare, latinis verſibus eſſe:
Multa novis verbis præſertim cùm ſit agendum,
Propter egeſtatem linguæ & rerum novitatem.

Sed me Parnaſſi] Hac allegoria ſignificat ſe doctrinæ partem adhuc intactam perſecuturum: quod initio hujus libri jam dictum eſt,

----ſaltuſq; ſequamur
Intactos----

Ubi item eſt imitatio Lucretii, qui libri quarti initio ſic ait:

Avia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo: juvat integros accedere fontes,
Atq; haurire, juvatq; novos decerpere flores,
Inſignemq; meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ.

Parnaſſi] Parnaſſus, mons Phocidis, qui duo juga habet, Tithoræam & Hyampeum. *Caſtalium*] Caſtalius fons, etiam Libethra dicitur, in radicibus Parnaſſi montis, ſacer Muſis: à Caſtalia virgine, quæ fugiens Apollinem, præcipitata eſt in illum fontem. *Orbita*] Metaphora

eſt à veſtigio rotæ. Itaque nulla orbita, nullum poëma veterum poëtarum. *Molli clivo*] Id eſt facili & numeroſa oratione hanc doctrinam deſcripſit.

Nunc veneranda Pales, magno nunc ore ſonantum.
Incipiens, ſtabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondoſa reducitur æſtas:
Et multa duram ſtipula filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus ſcabiemq; ferat, turpesque podagras.
Poſt hinc digreſſus, jubeo frondentia capris
Arbuta ſufficere, & fluvios præbere recentes:
Et ſtabula à ventis hyberno opponere ſoli;
Ad medium converſa diem, cùm frigidus olim
Iam cadit extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæc quoque non cura nobis leviore tuenda,
Nec minor uſus erit; quamvis Mileſia magno
Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores.
Denſior hinc ſoboles, hinc largi copia lactis:
Quo magis exhauſta ſpum averit ubere mulctra,
Læta magis preſſis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, ſetasq; comantes,
Vſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.
Paſcuntur verò ſylvas & ſumma Lycæi,
Horrentesq; rubos, & amantes ardua dumos.
Atq; ipſa memores redeunt in tecta, ſuosq;
Ducunt, & gravido ſuperant vix ubere limen.
Ergo omni ſtudio glaciem ventosque nivales,
Quo minus eſt illis cura mortalis egeſtas,
Avertes, victumq; feres: & virgea lætus

Pabu-

Pabula, nec tota claudes fœnilia Bruma.

Nunc veneranda] Repetitur invocatio, ex eodē initio,

Te quoq; magna Pales---

Incipiens] Primum præceptum, de nutricatu & ovilibus, ut molliter ſtrata ſint. Finis additur, ad morbos cavendum. *Herbam*] Fœnum dicit. Varro autem libri ſecundi capite ſecundo, folia ficulnea, paleam, vinacea, furfures, cytiſum, Medicam hic proponit. *Stipula*] Stramentis multis. Et ſic Varro ibidem: Ubi ſtent oves, ſolum oportet eſſe eruderatum & proclivum, ut everri facilè poſſit, ac fieri purum. Non enim ſolùm ea uligo lanam corrumpit ovium, ſed etiam ungulas, ac ſcabras fieri cogit. Cùm aliquot dies ſteterunt, ſubjicere oportet virgulta alia, quo molliùs requieſcant, purioresque ſint: libentiùs etiam ita paſcuntur. *Molle*] Namque id pecus quamvis ex omnibus animalibus eſt veſtitiſſimum, frigoris tamen eſt impatientiſſimum, nec minus æſtivi vaporis: Columella libri ſeptimi capite tertio. *Poſthinc*] Secundum præceptum de caprarum nutricatu & caprilibus. *Arbuta*] Palladius in Novembri, jubet hœdis ſupra lactis abundantiam ſæpe præberi hederam: itemque arbuti & lentiſci cacumina. *Fluvios recentes*] Aquam recentem, id eſt recens hauſtam. *Et ſtabula*] Sic Varro de ovibus libri ſecundi capite ſecundo: Stabula idoneo loco ſint, ne ventoſa, ſed tamen quæ ſpectent magis ad Orientem quàm ad Meridianum tempus. Et ibidem capite tertio de capris: Stabulatur pecus meliùs, ad hybernos exortus ſi ſpectat, quod eſt alſioſum. Id ut pleraque lapide aut teſta ſubſterni oportet, quo caprile minùs ſit uliginoſum ac lutulentum. *Hæc quoque*] Utilitas ovium & caprarum æquiparatur: Quamvis lanæ pretium majus ſit, tamen partura caprarum & mulctra copioſior eſt. *Mileſia*] Id eſt præſtantia, quales lanas habet Miletus, civitas Ioniæ: unde Thales Mileſius. De quibus Columella libri ſeptimi capite ſecundo: Generis eximii Mileſias, Calabras, Apulaſque noſtri exiſtimabant, earumque optimas Ta-

rentinas. nunc Gallicæ pretioſiores habentur, earumque præcipuè Altinates: item quæ circa Parmam & Mutinam macris ſtabulantur campis. *Tyrios*] Purpureos: de quibus ſecundo Georgico ad illum locum,

---Sarrano dormiat oſtro.

Incocta] Valde cocta, ut paulo pòſt Incana pro valde cana. *Denſior*] Ovis geminos parere ſolet, ait Varro libri ſecundi capite ſecundo: At capra nonnunquam trigeminos, ait Columella libri ſeptimi capite ſexto: imo quaternos, ſed rarò admodum, ait Plinius libri octavi capite quinquageſimo. *Copia*] Hinc capella probatur ſi ſit uberis maximi, & lactis abundantiſſimi, ut Columella libri ſeptimi capite ſexto. Hinc Varro libri ſecundi capite tertio, mammulas penſiles requirit, quòd hæ fœcundiores ſunt: itemque ut ubere ſint grandiore. Quod paulo pòſt iterum Virgilius repetit:

---& gravido ſuperant vix ubere limen.

Mulctra] De quo tertia ecloga:

Bis venit ad mulctram---

Nec minùs] Repetitur utilitas tonſuræ & facilitas paſtus oſtenditur. *Barbas*] Capræ & hirci tondentur & velluntur ad uſum nauticum, & ad bellica tormenta: & fabrilia vaſa. Neque non quædam nationes harum pellibus ſunt veſtitæ, ut in Getulia, Sardinia, Phrygia: unde Cilicia & cætera ejus generis fieri ſolent. ſed quòd primùm ea tonſura in Cilicia ſit inſtituta, nomen id Cilicas adjeciſſe dicunt. Varro libri ſecundi capite primo & undecimo. Plinius libri octavi capite quinquageſimo addit, circa Syrtes idem fieri. *Cinyphii*] Cinyphos vel Cinyps, fluvius eſt Africæ, apud quem magni ſunt hirci. *Comantes*] Magnas, inſtar comarum. *Lycæi*] Montis Arcadiæ: de quo initio libri hujus,

Paſtor ab Amphryſo, vos ſylvæ amneſq; Lycæi.

Ubi

Ubi Lycæum pro quovis monte dicit. Caprinum verò pecus ſylveſtribus ſaltibus potiùs delectatur quàm pratis. ſtudioſè enim agreſtibus fruticibus paſcitur, atque in locis cultis virgulta carpit. itaque à carpendo Capræ nominatæ: Varro libro 2, cap. 3. & poſt eum Columella libro 7, cap. 6, idem ferè ait: Id autem genus, dumeta potiùs quam campeſtrem ſitum deſiderat, aſperisque etiam locis ac ſylveſtribus optimè paſcitur. Nam nec rubos averſatur, nec vepribus offenditur; & arbuſculis frutetisque maximè gaudet. Ea ſunt arbutus atque alaternus, cytiſusque agreſtis: nec minùs ilignei querneique frutices, qui in altitudinem non proſiliunt. *Ergo*] Concluditur per epilogum, nutricatus hybernus: ubi collatio partium eſt: Quanto minor eſt illis cura mortalis egeſtatis, tanto magis eſt providendum. *Glaciem*] Huic pecudi nocet æſtus, ſed magis frigus, & præcipuè fœtæ quæ gelicidio hyemis conceptum fecit, ait Columella libri ſeptimi capite ſexto. *Fœnilia*] Loca in quibus fœnum conſervatur. *Bruma*] Bruma, propriè eſt pars hyemis ſolſtitio oppoſita, cùm dies eſt minimus: cùm Sol videlicet fuerit in primo gradu Capricorni. Hic ſynecdoche eſt partis pro tota hyeme. Columella tamen libri ſeptimi capite tertio paſtionem aliquam & pabulationem hybernam permittit, & vernam: Hyeme (ait) & Vere matutinis temporibus intra ſepta contineantur, dum dies arvis gelicidia detrahat. Nam pruinoſa iis diebus herba, pecudi gravedinem creat, ventremque proluit. quare etiam frigidis humidisque temporibus anni ſemel tantùm ei poteſtas aquæ facienda eſt. Idemque Varro ſentit: Hyberno ac verno tempore, pruina jam exhalata, propellunt in pabulum, & paſcunt diem totum, ac Meridiano tempore ſemel agere potum ſatis habent.

At verò Zephyris cùm læta vocantibus æſtas:
In ſaltus utrumq; gregem, atq; in paſcua mittes.
Luciferi primo cum ſydere, frigida rura

Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.
Inde ubi quarta ſitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ,
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam.
Æſtibus at mediis umbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubet umbra.
Tum tenues dare rurſus aquas: & paſcere rurſus
Solis ad occaſum, cùm frigidus aëra Veſper
Temperat, & ſaltus reficit jam roſcida Luna,
Littoraq; Halcyonem reſonant, & Acanthida dumi.
Quid tibi paſtores Libyæ, quid paſcua verſu
Proſequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem noctemque, & totum ex ordine menſem
Paſcitur, itq; pecus longa in deſerta ſine ullis
Hoſpitiis: (tantum campi jacet) omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumq; laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Creſſamque pharetram:
Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Injuſto ſub faſce viam cùm carpit, & hoſti
Ante expectatum poſitis ſtat in agmine caſtris.
At non, qua Scythiæ gentes, Mæoticaq; unda,
Turbidus & torquens flaventes Iſter arenas,
Quaque redit medium Rhodope porrecta ſub axem,
Illic clauſa tenent ſtabulis armenta: neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:

Sed

Sed jacet aggeribus niveis informis & alto
Terra gelu latè, ſeptemq́ aſſurgit in ulnas.
Semper hyems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentes haud unquam diſcutit umbras,
Nec cùm invectus equis altum petit æthera, nec cùm
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concreſcunt ſubitæ currenti in flumine cruſtæ,
Vndaq́ jam tergo ferratos ſuſtinet orbes:
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris.
Æraq́ diſſiliunt vulgo, veſteſq́ rigeſcunt
Indutæ, cæduntque ſecuribus humida vina:
Et totæ ſolidam in glaciem vertere lacunæ,
Stiriaq́ impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non ſecius aëre ningit:
Intereunt pecudes, ſtant circumfuſa pruinis
Corpora magna boum: confertoq́ agmine cervi
Torpent mole nova, & ſummis vix cornibus extant.
Hos non immiſſis canibus, non caſſibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ:
Sed fruſtra oppoſitum trudentes pectore montem,
Comminus obtruncant ferro, graviterq́ rudentes
Cædunt, & magno læti clamore reportant.
Ipſi in defoſſis ſpecubus, ſecura ſub alta
Otia agunt terra: congeſtaq́ robora, totasq́
Advolvere focis ulmos, igniq́ dedêre.
Hîc noctem ludo ducunt, & pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.
Talis Hyperboreo Septem ſubjecta Trioni
Gens effrena virûm Riphæo tunditur Euro:
Et pecudum fulvis velantur corpora ſetis.

At verò] Paſtus deinde traditur communis ovium & caprarum, æſtatis tempore: in quo tempora diſtinguuntur duo pabulandi, totidem aquandi, unum requieſcendi. *Zephyris*] Periphraſis eſt primæ æſtatis circa Idus Maji, quibus Vergiliæ exoriuntur, Zephyruſq; flare incipit. Vide Columellam lib. 11. cap. 2. & ſic Varro lib. 2. cap. 2. Hanc paſtionem, à Vergiliarum exortu ad æquinoctium autumnale, maximè obſervant. *Luciferi*] Periphraſis eſt matutini temporis, ex ejus authore ſidere, atque adjunctis. *Canent*] Exalbeſcunt, pruina vel rore. *Et ros*] Verſus hic repetitur ex octava ecloga:

Frigida vix cœlo noctis deceſſerat umbra,
Cùm ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.

Idem tempus Varro libro 2. capite 2. ſequitur: Æſtate prima luce exeunt paſtum, propterea quòd tùnc herba roſcida, meridianam (quæ eſt aridior) jucunditate præſtat. Columella autem de temporibus paſcendi, & ad aquam ducendi per æſtatem, idem ſentit quod Varro: imò Poëtæ verſus pro præceptis aſſumit. *Inde ubi*] Periphraſis eſt ſecundi temporis ad aquationem, item ex authore ſidere. Quarta verò hora æqualis tum Romanis inter octavam & nonam æqualem fuit. de quo ibidem Varro: Sole exorto puto propellunt, ut redintegrantes rurſus ad paſtum alacriores faciant. Et ibidem: Quandiu admiſſura fit, eadem aqua uti oportet, quòd commutatio lanam facit variam, & corrumpit uterum. *Cicada*] De quibus ecloga ſecunda fuit:

At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Cantus autem cicadarum Nicandro τερέτισμα dicitur.

Canalibus] In quibus ad pabuli faſtidium tollendum, pro condimento ſal imponitur, ut cùm è paſtu redierint, oves lambant, atq; eo ſapore cupidinem bibendi paſcendique concipiant. Columella libri ſeptimi capite tertio. *Æſtibus*] Tertium tempus: de quo ſic ibidem Varro: Circiter meridianos æſtus, dum deferveſcant, ſub umbriferas rupes & arbores patulas ſubjiciunt, quoad refri-

refrigerato aëre veſpertino, rurſus paſcant ad ſolis occaſum. *Jovis*] Sic primo Georgico ſacratæ ſunt arbores:

---- cùm jam glandes atq; arbuta ſacra
Deficerent ſylvæ, & victum Dodona negaret.

Item ſecundo Georgico:

---- nemorumq; Jovi quæ maxima frondet,
Eſculus, atq; habitæ Grajis oracula quercus.

Tum tenues] Reliqua duo tempora pomeridianæ aquationis & paſtionis breviter proponuntur. de quibus ibidem Varro: Ab occaſu, parvo intervallo interpoſito, ad bibendum appellunt: & rurſus paſcunt, quoad contenebravit. iterum enim tum jucunditas in herba redintegravit. Et Columella in his Virgilii verſibus ſic ait: Rurſus deinde jam mitigato vapore compellantur ad aquam. etiam per æſtatem id faciendum, & iterum ad paſcua producendum. *Solis ad occaſum*] Intellige tempus occidentis ſolis, non autem plagam occiduam. Nam ita paſcere pecus oportet, ut adverſo ſole agat. caput enim ovis maximè molle eſt, ait ibidem Varro. Quod idem Columella manifeſtiùs repetit: Sed obſervandum eſt ſidus æſtatis per emerſum Caniculæ, ut ante meridiem grex in occidentem ſpectans agatur, & in eam partem progrediatur, poſt meridiem in orientem: ſiquidem plurimum refert, ut paſcentium capita ſint obverſa ſoli, qui plerumque nocet animalibus, oriente prædicto ſidere. *Roſcida*] Id nimirum paulò antè fuit:

Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.

Et ſic ecloga quarta:

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Sed Luna hîc roſcida dicitur, quæ roris mater eſt & frigoris. *Halcyonem*] De qua dictum eſt primo Georgico:

Non tepidum ad ſolem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones ----

Hîc igitur periphraſis eſt ſerenitatis veſpertinæ.

Acanthida] Acanthis, quam alii Luſciniam eſſe volunt,

alii Carduelum, qui ſpinis & carduis paſcitur. & inde eſt apud Græcos Acanthis, dicta ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, à ſpinis quibus paſcitur, ait Servius. *Quid tibi*] Expoſitus eſt adhuc paſtus temparatæ Zonæ, qualis in Italia eſt: deinceps intemperatarum Zonarum paſtus deſcribitur, Libycus & Scythicus. Libyc⁹ primùm, totum menſem continuum: quales non ſolùm in Libya ſunt Numidæ, ſed in Arabia, Parthia, Scythia, ut è Plinio cognoſces, libris 4, 5, 6. *Mapalia*] Numidarum ædificia agreſtia, oblonga curvis lateribus, recta quaſi navium carinæ, mapalia ab illis appellantur, ut ait Saluſtius in Jugurtha. quod idem ferè Plinius lib. 4. cap. 11: Numidæ verò Nomades appellati à permutandis pabulis, mapalia ſua (hoc eſt domos) plauſtris circumferentes: quæ à Virgilio 1 & 4 Æneidos magalia dicuntur. *Omnia*] Sic ferè Varro lib. 2 cap. 2, de longinqua paſtione: Contrà illæ in ſaltibus quæ paſcuntur, & à tectis abſunt longè, portant ſecum crates aut retia, quibus in ſolitudine cohortes faciant, cæteraque utenſilia. longè enim & latè in diverſis locis paſci ſolent, ut multa millia abſint ſæpe hybernæ paſtiones ab æſtivis. *Amyclæumque*] Laconicum: & ſic paulo pòſt dicet

Veloces Spartæ catulos----

Et de Amyclæis dictum priùs ad illum locum,

Talis Amyclæ----

Creſſam] Cretenſem: quomodo quinto Æneidos,

Creſſa genus Pholoë:----

Sagittæ autem Cydoniæ præcipuè in Creta laudantur hinc illud decima ecloga:

----libet Partho torquere Cydonia cornu

Spicula----

Non ſecus] Illuſtratio per ſimilitudinem, cujus redditio præceſſit, ut in duabus ſuperioribus:

Qualis Hyperboreis----

Item:

Fluctus ut in medio----

Patriis] Avitis, & quaſi congeneribus. Nam Romani à Marte, armorum præſide, procreati ſunt. *Injuſto*] De labo-

laboribus & excercitationibus Romanæ militiæ, Cicero 2 Tuſcul. ſic loquitur: Noſtri exercitus primùm unde nomen habeant, vides: deinde, qui labor, quantus agminis. ferre plus dimidiati menſis cibaria. ferre ſi quid ad uſum velint, ferre vallum. nam ſcutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant quàm humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis eſſe dicunt. Quæ quidem ita geruntur aptè, ut, ſi uſus foret, abjectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare poſſint. Quid excercitatio legionum? quid ille curſus, cōcurſus, clamor, quanti laboris eſt? Ex hoc ille animus in prœliis paratus ad vulnera. Ergo hinc faſcis injuſtus Virgilio dicitur, qui repetitur à Vegetio libro primo, quòd Tyrones pondus quoque bajulent uſque ad ſexaginta libras: ubi citatur hic Virgilii verſus. *Hoſti*] Servius ita legit, & *Stat* interpretatur Obſtat, & *Ante expectatum* pro, Antequam expectetur: aliàs tamen legitur *Hoſtem*, & ea lectio facilior erit. *At non*] Paſtio Scythica ſequitur, rariſſima, vel nulla potiùs, propter aſſiduas nives & perpetua frigora. *Mæotica*] Mœotis palus cum Tanai fluvio Europā extremam à Septentrione concludit. *Iſter*] Qui & Danubius dicitur. *Rhodope*] Mons Thraciæ. *Axem*] Septentrionem. & ſic paulo pòſt dicetur Scythia.

--- ſeptem ſubjecta Trioni.

Herba] Id falſum eſſe, poſtea Coſmographia cognita docuit. ſed de hoc errore dictum eſt primo Georgico, ad illum locum.

Quinq; tenent cœlum Zonæ---

Cauri] Hic iterum Cauros pro ſeptentrionali flatu accipit: ſicut antea,

--- in Boream Caurumq;----

Equis] Qui quatuor jam dicti ſunt, ex ſecundo Metamorphoſ.

Interea volucres, Pyrois, Eous, & Æthon,
Solis equi, quartusq; Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusq; repagula pulſant:

Petit æthera] Periphraſis eſt orientis & occidentis ſolis: vel aſcendentis à Capricorno, & à Cancro deſcendentis. *Undiq;*] Amplificatur vis frigoris ex ejus effectis. *Suſtinet orbes*] Sic octavo Æneidos repetitur:

---- humero qui ſuſtinet orbes.

Æraque] Sic Varro ſcribit, hydrias æreas frigore confringi. *Securibus*] Philippus Comminæus, hiſtoricus Francus, ſcribit id accidiſſe bello Eburonico, centum abhinc annis. *Humida*] Aqua diluta: ut propter aquam vina glacientur. Nec rectè Quintilianus octavi libri capite ſexto, cenſet hoc epitheton otioſum eſſe, cùm ait: Epitheto Poëtæ & frequentiùs & liberiùs utuntur. namque illis ſatis eſt convenire verbo, cui apponitur: & ita dentes albi, & humida vina. In his non reprehenduntur: apud Oratorem, niſi aliquid efficitur, redundat. *Interea*] Continuatur eadem propoſitio frigoris ex aliis effectis & adjunctis: ubi Scytharum mores interea notantur. *Confertoque agmine*] Eſt enim hoc animal valde ſociale: & ſic primo Æneidos:

---- tres littore cervos
Proſpicit errantes: hos tota armenta ſequuntur
A tergo, & longum per valles paſcitur agmen.

Canibus] Venatio triplex ab Oppiano, primo libro deſcribitur, aëris, aquæ, terræ: quæ videtur hic per canes, caſſes, pennas notari. *Penna*] Quæ adhibentur ad cervos terrendum, ut eſt iterum 12. Æneidos:

Incluſum veluti ſi quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ ſeptum formidine pennæ,
Venator curſu canis & latratibus inſtat.

Et 15. Metamorph. Ovidius:

Nec formidatis cervos includite pennis.

Hæ verò pennæ ex plumis vulturis & vellere cygni conficiuntur, ut ſpecies ſit horribilior aſpectu. *Rudentes*] Metaphora eſt ab aſinis, quorum eſt proprium rudere. *Hic noctem*] Sic ſecundo Georgico, otia ſimilis feſtivitatis deſcribuntur:

Ipſa

Ipſe dies agitat feſtos, fuſuſq́; per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocii cratera coronant.

Vitea] Similia vino faciunt. Eſt autem periphraſis cerviſiæ, quæ fit apud varios populos variis modis. *Sorbis*] Sorbis quadruplex differentia. Aliis enim eorum rotunditas mali, aliis turbinatio pyri, aliis ovata ſpecies, ceu malorum aliquibus. Hæc obnoxia acori. Odore & ſuavitate rotunda præcellunt: cæteris vini ſapor: generoſiſſima, quibus circa pediculos tenerá folia. Quartum genus, torminale appellant, remedio tantùm probabile, aſſiduum proventu, minimumque pomo, arbore diſſimili, foliis penè platani. Non ferunt ante trimatum ex ullo genere. Cato & ſorba, ſapa condi jubet. Hæc Plinius libro 15. cap. 21. *Talis*] Concluditur locus de moribus Scytharum, & veſtitus additur. *Hyperboreo*] De quo priùs ad illum locum:

Qualis Hyperboreis Aquilo cùm denſus ab oris.

Tmeſis appellatur, uſitata interdum in proſa, ut, Per mihi gratum, apud Ciceronem. *Effrena virûm*] Viris parêre inſueta. *Riphæo*] ῥιφὴ, impetus: unde Scythiæ montes Riphæi dicuntur, quia hinc magnus ventorum impetus. *Euro*]Eurum pro vento perſynecdochen poſuit. Hìc enim ventus Aquilonius, non orientalis intelligitur. *Setis*]Pellibus: metonymia adjuncti pro ſubjecto. eſt autem periphraſis Renonis, id eſt, veſtis pelliceæ.

Si tibi lanicium curæ, primùm aſpera ſylva,
Lappaq́; tribuliq́; abſint: fuge pabula læta:
Continuoq́; greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries ſit candidus ipſe,
Nigra ſubeſt udo tantùm cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuſcet vellera pullis
Naſcentum: plenoq́; alium circumſpice campo,

Munere ſic niveo lanæ (ſi credere dignum eſt)
Pan deus Arcadiæ captam te Luna fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantem.
At cui lactis amor, cytiſum lotoſque frequentes
Ille manu, ſalſasq; ferat præſepibus herbas:
Hinc & amant fluvios magis, ac magis ubera tendunt,
Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.
Multi jam excretos prohibent à matribus hœdos:
Primaq; ferratis præfigunt ora capiſtris.
Quod ſurgente die mulſere, horisq; diurnis,
Nocte premunt; quod jam tenebris, & ſole cadente,
Sub lucem exportant calathis, adit oppida paſtor:
Aut parcò ſale contingunt, hyemiq; reponunt.

Si tibi] Repetitur tonſura gregis, & mulctra: de qua jam prius actum eſt. ac tonſura prius ex ſuis cauſſis exponitur, pabulo ſicco, & albo grege. *Lanicium*] Lana, inquit Servius: ut fuga & effugium pro eodem. quæ tamen eadem omnino non ſunt, & lanicium potius eſt ipſum lanæ opificium, ut Plinius indicat, cùm ait lib. 6. Seres lanicio ſylvarum nobiles. *Aſpera ſylva*] Hoc hemiſtichium cum ſequente verſu repetitur è primo Georgico. de quo ſic Columella lib. 7. cap. 3. Sequeris autem novalia non ſolum herbida, ſed quæ plerumque vidua ſunt ſpinis: utamurque ſæpius authoritate divini carminis:

Si tibi lanicium curæ eſt, primùm aſpera ſylva,
Lappæq; tribuliq; abſint.

quoniam ea res (ut ait idem) ſcabras oves reddit,

---- cùm tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres:

tum etiam quotidiè minuitur lana; quæ quanto prolixior in pecore concreſcit, tanto magis obnoxia eſt rubis, quibus velut hamis inuncata, à paſcentium tergoribus avellitur: molle pecus etiam velamen, quo protegitur,

gitur, amittit, atque id non parvo ſumptu reparatur. *Mollibus*] Varro libri ſecundi capite ſecundo: De forma, ovem eſſe oportet corpore amplo, quæ lana multa ſit & molli, villis artis & denſis toto corpore, maximè circum cervicem & collum: ventrem quoque ut habeat piloſum. Itaque quæ id non haberent, majores noſtri Apicas appellabant, ac rejiciebant. *Nigra*] Idem Varro libri ſecundi capite ſecundo: Animadvertendum quoque linguane nigra aut varia ſit: quòd ferè qui ea habent, nigros aut varios procreant agnos. Ibidem Columella: Itaque non ſolùm ea eſt ratio probandi arietis, ſi vellere candido veſtitur, ſed etiam ſi palatum atque lingua concolor lanæ eſt. Nam cùm hæ corporis partes nigræ aut maculoſæ ſunt, pulla vel etiam varia naſcitur proles. Una eademque ratio eſt in Erythræis & nigris arietibus, quorum ſimiliter (ut jam dixi) neutra pars eſſe debet diſcolor lanæ, multoque minùs ipſa univerſitas tergoris maculis variet. ideo niſi lanatas oves emi non oportet, quo meliùs unitas coloris appareat. quæ niſi præcipua eſt in arietibus, paternæ notæ plerumque natis inhærent. *Munere*] Illuſtratio ex adjuncto pretio, quo Luna decepta fingitur à Pane, qui rex Arcadiæ fuit, aſtrologus, menſesque à Luna collegit. unde fabulæ error datus eſt, & finguntur Arcades ante Lunam nati, ut eſt ſexto Faſtorum apud Ovidium.

Orta prior Luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Hinc προσέληνοι Arcades appellantur: nec rectè hic Virgilius à Servio reprehenditur, quaſi pro Endymione Pana commutatit. Fuit enim uterque, & Pan & Endymion, aſtrologus, obſervator Lunæ. *At cui*] Mulctra deinde ex ſuis item cauſſis explicatur, ſalſo & humido pabulo, & depulſis hœdis. *Cytiſum*] De Cytiſo ſæpe jam dictum eſt. Eſt autem cytiſum maximè

R

amicum ovibus, & Medica. Nam & pingues facit facillime, & lac gignit: Varro libri ſecundi capite ſecundo. idem libri ſecundi capite primo, dat lactariis Medicam & cytiſum. *Lotos*] Plinius libri decimitertii capite decimoſeptimo de Loto arbore cùm locutus eſſet: Eſt (ait) eodem nomine & herba, & in Ægypto caulis, in paluſtrium genere. recedentibus enim aquis Nili riguis provenit ſimilis fabæ, caule foliiſque denſa congerie ſtipatis, brevioribus tantùm gracilioribuſque, cui fructus in capite papaveri ſimilis inciſuris, omnique alio modo, intus grana ceu milium. Incolæ capita in acervis putrefaciunt, mox ſeparant lavando, & ſiccata tundunt, eoque pane utuntur. Mirum eſt, quòd præter hæc traditur, Sole occidente papavera ea comprimi, & integi foliis: ad ortum autem aperiri, donec matureſcant, floſque, qui eſt candidus, decidat. Idem libri viceſimiquarti capite ſecundo, ait, loti ramentis nihil eſſe amarius, fructuque dulcius. *Salſaque*] Sic antea diximus ex Columella, canalibus ſalem imponi. & idem libri ſeptimi capite octavo ait: Nonnulli, antequam pecus numellis inducant, virides pineas nuces in mulctram demittunt, & mox ſuper eas emulgent, nec ſeparant, niſi cum tranſmiſerint in formas coactam materiam. Ipſos quidam virides conterunt nucleos, & lacti permiſcent, atque ita congelant. Sunt qui thymum contritum, cribroque colatum, cum lacte cogant. Similiter qualiſcunque velis ſaporis, efficere poſſis, adjecto, quod elegeris, condimento. *Excreto*] Cùm excreverunt. Disjunguntur autem à matribus agni quadrimeſtres, ait Varro libri ſecundi capite primo & ſecundo. quo tempore quidam matres non mulgent, quia lanæ plus ferunt, & omnino agnos plures, ut eſt ibidem. Summotis autem agnis, fructus lactis ex matribus non minor percipitur, ait Columella libri ſeptimi capite tertio. *Quod ſurgente*] Utilitas mulctræ duplicis, ex caſeo recenti & inveterato. de duplici autem

tem mulctra Varro libri ſecundi capite undecimo: Mulgent Vere ad caſeum faciendum, manè: aliis temporibus, meridianis horis, tametſi propter loca & pabulum diſpatile non uſquequaque idem fit. De quo etiam Columella libri ſeptimi capite octavo: Caſei quoque faciendi non erit omittenda cura, utique longinquis regionibus; ubi mulctram devehere non expedit. Is porrò ſi tenui liquore conficitur, quàm celerrimè vendendus eſt, dum adhuc viridis ſuccum retinet: ſi pingui & opimo, longiorem patitur cuſtodiam, ſed lacte fieri debet ſincero & quàm recentiſſimo. Nam requietum vel miſtum celeriter acorem concipit. *Sale*] Varro libri ſecundi capite undecimo: Quin aſpergi ſolent ſales: melior foſſilis quàm marinus.

Nec tibi cura canum fuerit poſtrema: ſed unà
Veloces Spartæ catulos acremq; Moloſſum
Paſce ſero pingui. nunquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſusq; luporum,
Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam curſu timidos agitabis onagros:
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulſos ſylveſtribus apros
Latratu turbabis agens, monteſq; per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.

Nec tibi] Deſcriptis armentis & gregibus, deſcribitur breviter triplex canis ſpecies, venaticus, pecuarius, villaticus. *Spartæ*] Sic antea:

---- *Amyclæumq; canem* ----

Canes autem à ſeminio & regione laudantur, Lacones, Epirotici, & Salentini: Varro libri ſecundi capite nono. *Moloſſum*] Epiroticum. Nam

Moloſſi, ſunt Epirotæ. *Sero*] De quo ibidem Varro, Cibatus canis, propior hominis quàm ovis. paſcitur enim è culina & oſſibus. nec non ita panem hordeaceum dandum, ut non potiùs eum in lacte des intritum, quòd eo conſueti cibo uti, à pecore non citò deſciſcunt. *Cuſtodibus*] Hîc villaticus canis propriè notatur: eſt tamen laus iſta communis canum. Columella libri ſeptimi capite duodecimo: Nunc, ut exordio priore ſum pollicitus, de mutis cuſtodibus loquar: quanquam canis falsò dicitur mutus cuſtos. Nam quis hominum clariùs aut tanta vociferatione beſtiam vel furem prædicat, quàm iſte latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis cuſtos incorruptior? quis excubitor inveniri poteſt vigilantior? quis denique ultor aut vindex conſtantior? Plinius ſimiles laudes, ac multo plures commemorat libri octavi capite quadrageſimo. *Incurſusque*] Deſignatur hic pecuarius ſeu paſtoralis canis. *Iberos*]Iberus fluvius Hiſpaniæ: cujus accolæ, Iberi nominantur, qui quondam latrociniis vixerunt: hinc per Synecdochen ſpeciei pro genere, per Iberos intelliges abigeos, vel (quod idem eſt) abactores pecorum. *Sæpe etiam*] Deſcribitur jam apertiùs canis venaticus, ex ejus venatione. de quo Plinius ibidem: Sed in venatu ſolertia & ſagacitas præcipua eſt. ſcrutatur veſtigia, atque perſequitur, comitantem ad feram inquiſitorem loro trahens, quamvis aquam tranſiliens ſe occultaſſet, quam ſignificans demonſtratio eſt, cauda primùm, deinde roſtro. Ergo etiam ſenecta feſſos cœcosque ac debiles, ſinu ferunt; ventos & odorem captantes, prodentesque roſtro cubilia. *Onagros*] Sylveſtres aſinos, qui ſunt in Phrygia & Lycaonia præcipui. Pullis eorum ceu præſtantibus ſapore, Africa gloriatur, quos Laliſiones appellant: Plinius libri octavi capite quadrageſimo quarto. Ibidem capite quadrageſimo tertio: Pullos aſinarum epulari Mæcenas inſtituit, multùm eo tempore prælatos onagris: poſt eum interiit authoritas ſaporis. *Cervum*] De quo ſuprà jam dictum eſt.

Hos

Hos non immiſſis canibus ----

Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoq; agitare graves nidore chelydros.
Sæpe ſub immotis præſepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit:
Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & umbræ,
Peſtis acerba boum, pecoriq; aſpergere virus,
Fovit humum. cape ſaxa manu, cape robora paſtor,
Tollentemq́; minas, & ſibila colla tumentem,
Dejice. jamq́; fuga timidum caput abdidit altè,
Cùm medii nexus, extremæq́; agmina caudæ
Solvuntur, tardosq; trahit ſinus ultimus orbes.
Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squammea convolvens ſublato pectore terga,
Atq; notis longam maculoſus grandibus alvum:
Qui, dum amnes udi rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus Auſtris,
Stagna colit: ripisq́; habitans hic piſcibus atram
Improbus ingluviem, ranisq́; loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terræq; ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum: & flammantia lumina torquens,
Sævit agris, aſperq́; ſiti, atq; exterritus æſtu.
Ne mihi tum molles ſub dio carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas:
Cùm poſitis novus exuviis, nitidusq́; juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens
Arduus ad Solem, & linguis micat ore triſulcis.

Diſce] Expoſita eſt adhuc pecorum generatio & edu-

catio: corruptio deinde è contrariis malis ſequitur. prima, è ſerpentibus: quorum remedium unà deſcribitur duplex, primum ex odore, ſecundum è cæde. *Odoratam*] Odoriferam. de cedro autem ſuperiore libro dictum eſt. *Galbaneoque*] Galbanus, ſuccus eſt cujuſdam herbæ, ſimilis ferulæ; de quo ſic Plinius libri duodecimi capite viceſimoquinto: Dat & Galbanum Syria, in eodem Amano monte, è ferula, quam ejuſdem nominis reſinæ modo Stagonitin appellant: quod maximè laudant, cartilaginoſum, purum ad ſimilitudinem ammoniaci, minimeque lignoſum. *Chelydros*] De quibus ſecundo Georgico:

---- nigris exeſa chelydris.

Serpentes autem propè omni auſteritate fugantur: & nocentes ſpiritus innocentia fumi graveolentis exagitat. Uramus galbanum vel cervi cornua, radices lilii, capræ ungulas. Hoc genere monſtra noxia prohibentur, ait Palladius libri primi Tit. triceſimoquinto. Columella autem libri octavi capite quinto: Incenſi cornu cervini vel galbani, vel muliebris capilli odore, ſerpentium peſtis fugatur: quod idem libri ſeptimi capite quarto repetitur, de capillis & cornu. *Vipera*] Quæ impreſſo dentium repulſu virus fundit in morſus. mas autem caput inſerit in os fœminæ, quod illa abrodit voluptatis dulcedine: deinde cùm parit, extremi catuli (vicenos enim parit, diebus ſingulis ſingulos) tarditatis impatientes, perrumpunt latera, occiſa parente: Plinius libri decimi capite ſexageſimoſecundo. *Fovit humum*] Quod ad ſerpentes attinet: vulgatum eſt colores earum pleraſque terras habere, in quas occultentur. Plin. 8, 23. *Tollentemq;*] Deſcriptio ſerpentis, è partibus & earum adjunctis. *Timidum*] Cui timet. Nam (ut ait Plinius) ſerpentis caput, etiam ſi cum duobus digitis evaſerit, nihilominus vivit: Hæc Servius. Locum igitur in Plinio requires. huic enim interpreti multa jam exempla docent temerè credendum nil eſſe. *Agmina*] Orbes, nexus. eſt etiam deſcriptio Natricis ex variis adjunctis corporis, & ſolo geniali. Natricem autem

tem deſcribi, Columella libri primi capite quinto definitione eadem indicat: Palus, natricum ſerpentiumque peſtes, hyberna deſtitutas uligine, cœno & fermentata colluvie venenatas emittit. Hydrus autem ſecundo Georgico ad illum locum:

---- immanis dentibus hydri,

appellatus eſt. Hæc autem ſerpentis definitio è Culice repetita eſt, quem Virgilius adoleſcens luſerat. Verſus autem ita ſunt:

Nam ſolitum volvens ad tempus tractibus iiſdem
Immanis vario maculatus corpore ſerpens,
Merſus ut in limo, magno ſubſideret æſtu,
Obvia vibranti carpens gravis aëra lingua,
Squammoſos latè torquebat motibus orbes:
Pallebant auræ liventis ad omnia viſus.
Jam magis atq; magis corpus revolubile volvens,
Attollit nitidis pectus fulgoribus, & fert
Sublimi cervice caput: cui criſta ſupernè
Edita purpureo lucens maculatur amictu:
Aſpectuq; micant flammantia lumina torvo:
Metabat ſeſe circum loca ----

Longam] Plinius libri ſexti capite viceſimotertio: Circa Perſidis inſulas Hydri marini vicenûm cubitorum adnatantes, terruere claſſem. Ducentorum verò pedum talis ſerpens inter Iſlandiam & Lappiam notatur in charta Septentrionalium regionum. *Ne mihi*] Proponitur periculum ab hoc ſerpente. *Exuviis*] De quibus Plinius libri octavi capite viceſimoſeptimo: Anguis hyberno ſitu membrana corporis obducta, fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitiduſque vernat. Exuit autem à capite primùm, nec celeriùs quàm uno die ac nocte replicans, ut extra fiat membranæ, quod fuerat intus. Idem hyberna latebra viſu obſcurato, marathro herbæ ſeſe affricans, oculos inungit ac refovet: ſi vero ſquammæ obtorpuere, ſpinis juniperi ſe ſcabit. *Cùm poſitis*] Hæc ſententia repetitur ſecundo Æneidos, ubi Pyrrhus tali ſerpenti comparatur:

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat:
Nunc poſitis novus exuviis, nitiduſq; juventa,
Lubrica convolvit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Ova] In terreſtribus ova pariunt ſerpentes, excepta vipera, & incubant contecta in terra, annoque ſequente excludunt: Plinius libri decimi capite ſexageſimoſecundo. *Linguis*] Quæ ſerpentibus ſunt tenuiſſimæ & triſulcæ, vibrantes, atri coloris, &, ſi extrahas, prælongæ: Plinius libri undecimi capite trigeſimoſeptimo. *Triſulcis*] Trifidis, hoc eſt, tres acies habentibus, & trifariam ſecantibus.

Morborum quoque te cauſſas & ſigna docebo.
Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu: vel cùm tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magiſtri
Perfundunt, uduq; aries in gurgite villis
Merſatur, miſſuſq; ſecundo defluit amni:
Aut tonſum triſti perfundunt corpus amurca,
Et ſpumas miſcent argenti, & ſulphura viva,
Idæaſq; pices, & pingues unguine ceras,
Scillamq;, helleboroſq; graves, nigrumq; bitumen.
Non tamen ulla magis præſens fortuna laborum eſt,
Quàm ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Vlceris os. ALITUR *vitium, vivitq; tegendo,*
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora deos ſedet omnia poſcens.
Quinetiam ima dolor balantum lapſus ad oſſa

Cùm

Cùm furit, atq; artus depaſcitur arida febris,
Profuit incenſos æſtus avertere, & inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam:
Biſaltæ quo more ſolent, acerq; Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, atq; in deſerta Getarum,
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.
Quam procul aut molli ſuccedere ſæpius umbræ
Videris, aut ſummas carpentem ignavius herbas,
Extremamq; ſequi, aut medio procumbere campo
Paſcentem, & ſeræ ſolam decedere nocti:
Continuò culpam ferro compeſce, prius quàm
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.
Non tam creber, agens hyemem, ruit æquore turbo,
Quàm multæ pecudum peſtes. nec ſingula morbi
Corpora corripiunt, ſed tota æſtiva repentè,
Spemque gregemque ſimul, cunctamque ab origine
gentem.
Tum ſciat aërias Alpes & Norica ſi quis
Caſtella in tumulis, & Iapidis arva Timavi,
Nunc quoq; poſt tanto videat, deſertaq; regna
Paſtorum, & longè ſaltus lateque vacantes.

Morborum] Secunda corruptionis cauſſa è triplici morborum genere, ſcabie, febre, peſte: ſcabies primùm ex ſuis cauſſis deſcribitur. *Scabies*] Scabies, eſt durior cutis rubicunda, ex qua puſtulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam duriores, quædam ſicciores: exit ex quibuſdam ſanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens: Celſus lib. 5. cap. 28. *Frigidus imber*] Duas cauſſas contrarias memorat, frigoris & caloris immodici: quas Varro libro 2. cap. 1. ſimiliter commemorat: Ferè morborum cauſſæ erunt, quòd laborant propter æſtus, aut pro-

pter frigora, nec non etiam propter nimium laborem, contrà propter nullā exercitationem, aut ſi, cùm exerci-ris, ſtatim ſine intervallo cibum aut potionem dederis. Idem Columella libri 7. cap. 5. Oves frequentius quàm ullum aliud animal, infeſtantur ſcabie: quæ ferè naſcitur, ſicut noſter memorat poëta)

---- cum frigidus imber
Altiùs ad vivum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu:

vel poſt tonſuram, ſi remedium prædicti medicaminis non adhibeas, ſi æſtivum ſudorem mari vel flumine non abluas, ſi tonſum gregem patiaris ſylveſtribus rubis ac ſpinis ſauciari, ſi ſtabulo utaris in quo mulæ aut equi aut aſini ſteterunt: præcipuè tamen exiguitas cibi maciem, macies autem ſcabiem facit. Idem etiam ſigna adjungit hic à Virgilio prætermiſſa: Vitioſum locum pecudes aut morſu ſcalpunt, aut cornu, vel ungula tundunt, aut arbori adfricant, parietibusque detergent. *Dulcibus*] Remedium ſcabiei proponitur ex oppoſitis cauſſis: de quibus ibidem Varro: Curatio autem, cùm hic eſt morbus, hæc. Perfunditur aqua, & perungitur oleo & vino tepefacto, & item cibo ſuſtinetur, & injicitur aliquid, ne frigus capiat: ſitienti aqua tepida datur. Si hoc genus rebus nō proficitur, dimittitur ſanguis, maximè è capite. *Amurca*] Columella ibidem varia remedia commemorat: primùm jubet lanam pecudis diduci. nam ſubeſt aſpera cutis, & velut quædam prurigo, & inter cætera remedia, ait, Eidem remedio eſt amurca, duabus partibus decocta. *Spumas*] *argenti*] De qua Plinius libri triceſimi tertii capite ſexto: Eſt autem, ut ex nomine intelligi poteſt, ferveſcentis & ſe purgantis materiæ ſpuma, vitium, ut purgatæ ſcoria: cujus genera tria ſunt, Chryſitis, Argyritis, Molybditis. Eſt autem vis ejus ſiccare, mollire, refrigerare, temperare, purgare, explere, ulcerum tumores lenire. *Sulphura viva*] Sulphuris genera ſunt quatuor: vivum (quod Græci

ἄπυρον

ἄπυρον vocant) naſcitur ſolidum, hoc gleboſum. Eo ſolo ex omnibus generibus medici utuntur. Cætera enim liquore conſtant, & conficiuntur oleo incocta: vivum autem effoditur, translucetque & viret: Plinius libri 35. cap. 15. *Idæasque pices*] Ida, mons Phrygiæ latiſſimus, pinis frequens; unde Ida pinifera Statio dicitur, tertio Sylvarum: quæ picis cauſſa eſt. pinus enim picis & reſinæ ferax eſt, ut ſecundo Georgico monuimus. Pix autem Narycia ſuperiore libro notata eſt, ad illum locum,

Naryciæq; picis lucos---

Sed quarto Georgico iterum pix Idæa celebratur:

Et viſco & Phrygiæ ſervant pice lentius Idæ.

Unguine] Ungento. *Scillamque*] Scilla, ſpecies eſt cepæ, quæ à Varrone Squilla dicitur: ab Hippocrate ſcella. Frãci Siboullam vocant. *Helleborosque*] Helleborus, vel Helleborum, duplex eſt, candidum & nigrum: de cujus vi, multa apud Plinium ſcripta libro 25 cap. 5. quod etiam ſtudiorum gratia ſumitur, ad pervidendum acriùs. ſic Carneadem reſponſurum Zenonis libris, helleboro purgatum ajunt: unde proverbium. Helleboro opus habere. Columella libri ſeptimi capite quinto, ad hoc remedium, Ad fæcem (inquit) & amurcam, ſuccumque decocti lupini, miſceas portione æqua detritum album helleborum. vide Eraſmum in Chiliadib. in proverbio, Helleborum bibe: quod in inſanum & furioſum dici ſolet. *Bitumen*] De quo diximus 8 ecloga, ad illum verſum,

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Non tamen] Ultimum & ſummum ſcabiei remedium, ut ulcus aperiatur, cureturque: de quo Columella libri ſeptimi capite quinto. Itaque reſerandum eſt, & ulcera medicamentis curandum. Idem libro 6. cap. 11. Suppuratio meliùs ferro reſcinditur quàm medicamento. *Vivitque*] Sic Lucretius:

Ulcus enim viveſcit & inveteraſcit alendo.

Quinetiam] Secundus morbus è febri, breviter deſcribitur ex ſuis effectis. *Profuit*] Remedium febris è ſanguinis miſſione: de quo Columella libro 7, cap. 5, cùm de Virgilio loquitur: Subjicit deinde æquè prudenter, febricitantibus ovibus, de talo, vel inter duas ungulas, ſanguinem emitti oportere. Nam plurimùm id quidem

Profuit, incenſos æſtus avertere, & inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam.

Nos etiam ſub oculis & de auribus ſanguinem detrahim⁹. *Biſaltæ*] Illuſtratio propoſiti remedii per ſimilitudinem: cujus redditio præcedit, ſicut antea:

Qualis hyperboreis. &c.
Fluctus ut in medio. &c.
Non ſecus ac patriis. &c.

Biſaltæ] Biſaltæ, gens eſt Macedoniæ. *Gelonus*] Populus Scythiæ, de quo fuit Georgico ſecundo,

Eoaſq; domos Arabum, pictoſq; Gelonos.

Et iterum octavo Æneidos:

Hic Lelegas Caraſq; ſagittiferoſque Gelonos
Finxerat---

Rhodopen] Montem Thraciæ: de quo primo Georgico, ad illum locum,

Aut Atho aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit---

Getarum] Qui populi ſunt Thraciæ verſus Euxinum Pontum, ubi Ovidius exulavit.

Nulla Getis toto gens eſt truculentior orbe,

ut eſt apud Ovidium 2 de Ponto. *Cum ſanguine*] Sic apud Dionyſium eſt, de ſitu orbis, quod hi populi vino careant, & lac cum ſanguine permiſtum bibant. *Quam procul*] Signa febris ὕστερον πρότερον proponuntur, quinque numero. *Continuo*] Repetitur propoſitum remedium è phlebotomia. *Non tam*] Hyperbolica minorum collatione amplificatur numerus morborum: Non tam multi ſunt maris fluctus, quàm gregis morbi. *Ab origine gentem*] Sic antea fuit,

Neptuniq; ipſa deducat origine gentem.

Tunc

Tunc ſciat] Hîc remedium quoddam propoſitum eſt adverſus deſcriptum morbum, è mutatione pabuli & aquationis: quod Columella lib. 7. cap. 5. ad remedium peſtis adhibet. *Aërias*] Altas. ſic ecloga prima:

Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo. Item 8.
Præceps aërii ſpicula de montis in undas
Deferar ---

Norica] Noricum habet ab Occaſu OEnum fluvium, qui medius inter Vindelicos & Noricos: à Septentrione Danubium. Eam regionem plerique nunc Bavariam eſſe putant. *Iapidis*] Iapis, nomen proprium Ætoli, qui in agro Veneto, oppidum de ſuo nomine condidit: unde regio illa, ubi Timavus fluvius eſt, nomen accepit.

Hîc quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoq; autumni incanduit æſtu:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:
Corrupitq; lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat ſimplex: ſed ubi ignea venis
Omnibus acta ſitis, miſeros adduxerat artus,
Rurſus abundabat fluidus liquor, omniaq; in ſe
Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.
Sæpe in honore Deûm medio ſtans hoſtia ad aram,
Lanea dum nivea circundatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros:
Aut ſi quam ferro mactaverat ante ſacerdos,
Inde neq; impoſitis ardent altaria fibris,
Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates:
Ac vix ſuppoſiti tinguntur ſanguine cultri:
Summaq; jejuna ſanie infuſcatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præſepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit: & quatit ægros

Tuſſis anhela ſues, ac faucibus angit obeſis.
Labitur infelix ſtudiorum, atq; immemor herbæ
Victor equus: fonteſq; avertitur, & pede terram
Crebra ferit: demiſſæ aures, incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura reſiſtit.
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus.
Sin in proceſſu cœpit crudeſcere morbus,
Tum verò ardentes oculi, atq; attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis, imaq; longo
Ilia ſi ngultu tendunt, it naribus ater
Sanguis, & obſeſſas fauces premit aſpera lingua.
Profuit inſerto latices infundere cornu
Lenæos: ea viſa ſalus morientibus una.
Mox erat hoc ipſum exitio, furiiſq; refecti
Ardebant: ipſiq; ſuos jam morte ſub ægra
(Dii meliora piis, erroremq; hoſtibus illum)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.

Hic quondam] Sequitur poſtrema morbi ſpecies è peſte, quæ hic univerſalis (qualis eſt apud Lucretium in extremo ſexti) ex ſuis cauſſis deſcribitur. prima eſt è corruptione aëris, quæ fit primùm ſtellarum contagione, ut Saturni & Martis: tum Solis eclipſi: deinde ventis, ut Auſtrinis diutiùs afflantibus. *Autumni*] Secunda cauſſa, ex anni parte morbifera, qualis eſt Autumnus: de cujus cauſſa ſic eſt apud Ovidium in Arte:

Dum modò frigoribus premimur, modò ſolvimur æſtu:
Aere non certo corpora languor habet.

Eandem Autumni peſtilentiam Horatius ſecundo Sermonum item ſignificat:

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auſter,
Autumnuſq; gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.

Lacus]

Lacus] Tertia cauſſa, è corruptione alimentorum, de qua ſic Lucretius,

Hac igitur ſubitò clades nova peſtilitaſq;
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudumq; cibatus.

Tabo] Unde corpora tabeſcerent. ſunt autem tabi tres ſpecies, atrophia, cachexia, phthiſis. *Nec via*] Significat tantam vim peſtis, ut non una morte, ſed multis morerentur tali morbo affecti. Videtur autem hîc illud Lucretianum attingr:

Profluvium porrò cui tetri ſanguinis acre
Exſerat, tamen in nervos hinc morbus & artus
Ibat, & in partes genitales corporis ipſas:
Et graviter partim metuentes limina lethi
Vivebant ferro privati parte virili:
Et manibus ſine nonnulli pedibusq; manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim.
Uſq; adeo mortis metus his inceſſerat acer.

Minutatim] Sic Lucretius,

A pedibusq; minutatim- ---

Sæpe] Amplificatur peſtilentia ex ſuis effectis, quòd ſpecies animalium omnium hoc modo intereant: primùm de victimis in medio ſacrificio cadentibus. *Infula*] Infula, faſcia, eſt in modum diadematis, vittis utrinque dependentibus, ut hic etiam locus indicat. ſignificat etiam filamenta alba, quibus templa ornabantur: & per metaphoram interdum ornamenta quævis, ut Agraria ſecunda: His inſignibus atque infulis imperii venditis. *Ardent*] Cor negatur cremari poſſe, qui veneno interempti ſunt, ait Plinius libro 11 cap. 37. an eadem ratione peſte infecta cremari non poſſint. conſiderato: Lucretius certè, in Attica peſtilentia ait peſte extinctos non humatos, ſed crematos eſſe:

Namq; ſuos conſanguineos aliena rogorum
Inſuper extructa ingenti clamore locabant:
Subdebantq; faces, multo cum ſanguine ſæpe,

Digitized by Google

Rixantes potius quàm corpora deſererentur.

Vates] Extiſpex ſignficatur, qui conſulendis extis immolatæ victimæ, futurum præſagiebat. *Cultri*] Quibus hoſtia mactabatur. *Saniæ*] Sanguine corrupto & concreto. *Hinc lætis*] Secundum exemplum de vitulis, amplificatum è ſubjecto pabulo. *Hinc canibus*] Tertium, è canibus blandis, quos à Melita Melitæos catulos appellari Callimachus author eſt: Plinius lib. 4. cap. 26. Erant autem hi in deliciis fœminarum. Id Lucretius paulo ſecus:

----cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram.

Rabies] Canum morbus eſt angina, podagra, rabies. *Quatit*] Quartum, de ſuibus tuſſi & angina peſtifera morientibus. Eſt autem hic porcorum morbus, ait Servius: unde apud Plautum,

Vellem me in anginam verti, ut huic aniculæ
faucem præoccuparem.

Obeſis] Tumentibus. *Labitur*] Quintum exemplum, de equo, variis adjunctis ſignis exaggeratum. *Avertitur*] Deponenti ſignificatione dixit, ut antea Depaſcitur,

----Atq; artus depaſcitur arida febris.

Crebra] Crebrò, ut antea, jam multa. *Demiſſa*] Hæc ſigna, ſunt etiam hominum communia; quæ Lucretius plenius executus eſt:

Quippe patentia cùm totas ardentia noctes
Lumina verſarent oculorum expertia ſomno.
Multaq; præterea mortis tum ſigna dabantur,
Perturbata animi mens in mœrore metuq;:
Triſte ſupercilium, furioſus vultus & acer:
Sollicitæ porrò plenæq; ſonoribus aures,
Creber ſpiritus, aut ingens, raroque coortus,
Sudoriſq; madens per collum ſplendidus humor:
Tenuia ſputa, minuta, croci contacta colore.
Salſaque per fauces raucas vix edita tuſſi.
In manibus verò trahier nervi, & tremere artus,
A pedibusque minutatim ſuccedere frigus

Non

Non dubitabat: item ad ſupremum deniq; tempus,
Compreſſa nares, naſi primoris acumen
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis
Duraq; inhorrebat rictum, frons tenta minebat;
Nec nimio rigida poſt ſtrati morte jacebant:
Octavoq; fere candenti lumine Solis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.

Ardentes oculi] Lucretius paulo antè,

Quippe patentia---

& iterum:

Principio caput incenſum fervore gerebant,
Et duplices oculos ſuffuſa luce rubentes.

Spiritus] Lucretius:

Inde ubi per fauces pectus complerat, & ipſum
Morbida vis in cor mœſtum confluxerat ægris:
Omnia tum verò vitai clauſtra latebant,
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu:
Atq; animi prorſum vires totius, & omne
Languebat corpus lethi jam limine in ipſo:
Intolerabilibusq; malis erat anxius angor
Aſſidue comes, & gemitu commiſta querela:
Singultusq; frequens noctem perſæpe diemque
Corripere aſſidue nervos, & membra coactans;
Diſſolvebat eos defeſſos ante fatigans.

Sanguis] Lucretius,

Sudabant etiam fauces intrinſecus atro
Sanguine, & ulceribus vocis via ſepta coibat,
Atq; animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aſpera tactu.

Profuit] Interponitur ad eandem amplificationem ſpecies remedii, ex infuſione vini, qua tamen morbus ingraveſceret. *Latices Lenæos*] Periphraſis, qualis eſt primo Æneidos:

Regales inter menſas, laticemq; Lyæum.

& quarto:

Gens epulata toris Lenæum libat honorem.
& principio ſecundi Georgici de hoc dictum eſt:
Huc pater o Lenæe veni----
Cornu] Columella vocat infundibulum & fiſtulam, ſæpe etiam cornu, quo infunditur aliquid in os pecudis. *Dij meliora*] Optatio hac parentheſi includitur.

Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extremosq; ciet gemitus. it triſtis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata movere animum: non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at imâ
Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urget inertes,
Ad terramq; fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertiſſe graves? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ:
Frondibus, & victu paſcuntur ſimplicis herbæ:
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina: nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boves Iunonis, & Vris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægrè raſtris terram rimantur, & ipſis
Vnguibus infodiunt fruges, montesq; per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.
Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat. timidi damæ, cervique fugaces

Nunc

Nunc interq; canes, & circum tecta vagantur.

Ecce autem] Sextum exemplum, de bove, variis modis amplificatum. Primus locus eſt ex adjunctis. *Non umbra*] Secundus locus, ex diſſimilibus: Cibus ac potus nihil nocent, ſed ſtupor ac torpor vincunt. *Electro*] De quo jam dictum eſt ecloga octava ad illum locum:

Pinguia corticibus ſudent electra myricæ.

Devexo] Convexo: ut ecloga quarta:

Aſpice convexo nutantem pondere mundum:

devexo igitur, id eſt, declivi & deflexo. *Quid labor*] Tertius locus, ex effectis & diſſimilibus: Bene meriti ſunt boves, nec crapula, gula, curave nocuit. *Maſſica*] Sic ſecundo Georgico:

---- Bacchi Maſſicus humor.

dicitur. *Frondibus*] Approbatio diſſimilium, è repugnantibus. *Tempore*] Quartus locus, ex adjuncta difficultate, ex interitu boum conſecuta, quod homines currum trahere, & arare coacti ſint. *Junonis*] Argiva ſacerdos curru vehebatur in Junonis templum. unde eſt illud prima Tuſculana: Deorum immortalium judicia ſolent in ſcholis proferre de morte: nec verò ea fingere ipſi, ſed Herodoto authore aliiſq; pluribus. Primùm Argiæ ſacerdotis, Cleobis & Biton filii prædicantur. Nota fabula eſt. Cùm enim illam ad ſolenne & ſtatum ſacrificium curru vehi jus eſſet, ſatis longè ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta: tunc juvenes ii (quos modo nominavi) veſte poſita, corpora oleo perunxerũt, ad jugum acceſſerunt: ita ſacerdos advecta in fanum. Cùm currus eſſet ductus à filiis, precata deam dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſit à Deo. Pòſt epulatos cum matre adoleſcentes ſomno ſe dediſſe, manè inventos eſſe mortuos. Talem igitur vecturæ neceſſitatem modo Virgilius inſinuat. *Uris*] Sylveſtribus bobus, de quibus Georgico ſecundo:

Sylveſtres Uri aſſiduè, capreæq; ſequaces.

Non lupus] Septimum exemplum, de lupo, dama, cervo, metu peſtis turbatis. Simile autem fuit ecloga quinta, ſed occaſione pacis:

Nec lupus inſidias pecori ----

Timidi damæ] Sic ecloga octava:

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Cervique] Sic ecloga quinta:

---- nec retia cervis
Ulla dolum meditantur ----

Iam maris immenſi prolem, & genus omne natantū,
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina Phocæ.
Interit & curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, & attoniti ſquaminis adſtantibus hydri.
Ipſis eſt aër avibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt.
Præterea nec jam mutari pabula refert:
Quæſitæq; nocent artes: ceſſere magiſtri,
Phyllirides Chiron, Amythaoniusq; Melampus.
Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone: morbos agit antè, metumque:
Inque dies avidum ſurgens caput altiùs effert.
(Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,
Arentesq; ſonant ripæ, collesq; ſupini)
Iamque catervatim dat ſtragem: atq; aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam neq; erat coriis uſus: nec viſcera quiſquam
Aut undis abolere poteſt, aut vincere flamma.
Nec tondere quidem morbo illuvieque pereſa

Vellera

Vellera, nec telas poſſunt attingere putres.
Verùm etiam inviſos ſi quis tentarat amictus;
Ardentes papulæ, atq; immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus ſacer ignis edebat.

Jam maris] Octavum, de piſcibus. *Naufragia*] Naufragio ejecta: ubi brevis eſt ſimilitudo. *Phocæ*] Vituli marini, qui ſpirant & dormiunt in terra: (ut ait Pliuius libri noni capite ſeptimo) quod dicetur etiam quarto Georgico,

Sternunt ſe ſomno, diverſo in littore Phocæ.

Interit] Nonum de ſerpentibus, ut vipera & hydro: de quibus dictum eſt. *Ipſis*] Decimum, de avibus: de quibus ita Lucretius; (*ſupra*

Multaque humi cùm inhumata jacerent corpora
Corporibus, tamen alituum genus atq; ferarum
Aut procul abſiliebat, ut acrem exiret odorem:
Aut, ubi guſtarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temerè illis ſedibus ulla
Comparebat avis, nec noctibu' ſecla ferarum
Exibant ſylvis. Languebant pleraq; morbo.

Præterea] Redit ad remedia, quæ inania hîc eſſe profitetur. quod ſic Lucretius,

Nec requies erat ulla mali, defeſſa jacebant
Corpora: muſſabat tacito medicina timore.

Et poſtea,

Nec ratio remedI communis certa dabatur:
Nam quod alIs dederat, vitales aëris auras
Volvere in ore licere, & cœli templa tueri:
Hoc aliis erat exitio, lethumq; parabat.

Pabula] Hoc tamen Columella libri ſeptimi capite quinto unicè commendat: Si ægrotat univerſum pecus, (ut & antè præcepimus, & nunc, quod remur eſſe maximè ſalutare, iterum aſſeveramus, in hoc caſu quod

eſt remedium præſentiſſimum) pabula mutemus & aquationes totius regionis, & alium quæramus ſtatum cœli, curemusque, ſi ex calore & æſtu concepta peſtis invaſit, ut opaca rura: ſi invaſit frigore, ut eleganter aprica. *Philyrides*] Filius Philyræ, ex Saturno, ſicut antea dictum eſt.

Conjugis adventu pernix Saturnus----

Chiron] Chiron, herbarum vires ad medicamenta reperit, ait Plinius libri ſeptimi capite quinquageſimo ſexto. Is, ut in fabulis eſt, Lernæa Herculis ſagitta fortè percuſſus, cùm graviter angeretur, impetravit à Diis ut moreretur. Itaque receptus in cœlum, Sagittarius factus eſt in Zodiaco. *Amythaoniusque*] Filius Amythaonis: de quo Homerus Odyſſ o. Divinitas autem & quædam cœlitum ſocietas nobiliſſima ex fœminis in Sibylla fuit: ex viris, in Melampode apud Græcos, apud Romanos in Marcio: Plinius libri ſeptimi capite triceſimo tertio. Idem libri viceſimi quinti capite quinto: Melampodis fama divinationis artibus nota eſt. ab hoc appellatur unum hellebori genus Melampodium. aliqui paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſto illo animadvertentem, datoque lacte earum, ſanaſſe Prœtidas furentes. Ergo hic Chiron & Melampus per Synecdochen pro medicis excellentibus uſurpantur. *Sævit*] Amplificatione poëtica ſignificatur, peſtem divinitus immiſſam ad vltionem malorum. *Stygiis*] Infernis. Styx enim, palus inferna eſt. *Tiſiphone*] Furia eſt, ultrix homicidarum. τίσις enim, ultio eſt: & φόνος, cædes dicitur: ut ſexto Æneidos:

Continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, torvosq; ſiniſtra
Intentans angues, vocat agmina ſæva ſororum.

Balatu] Sequitur ſtrages paſſim edita: qualis etiam deſcribitur tertio Æneidos:

---ſubito cum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miſerandaq; venit

Arbori-

Arboribusq́; ſatisq́; lues, & lethifer annus:
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum ſteriles exurere Sirius agros:
Arebant herbæ & victum ſeges ægra negabat.

Catervatim] Sic Lucretius,

Inde catervatim morbo mortiq; dabantur.

& iterum poſtea,

Confertos ita acervatim mors accumulabat.

Continebat autem caterva in militia Gallica, ſex millia hominum. *Donec humo*] Greges peſte conſumpti, inhumandi ſunt, quia corium vellusque peſtiferum eſt. Eſt autem remedium apud Columellam libri ſeptimi capite quinto, adverſus univerſi gregis peſtem: Sed Ægyptiæ gentis author memorabilis, Dolus Mendeſius, cujus commenta, quæ appellantur græcè ὑπομνήματα, ſub nomine Democriti falsò produntur, cenſet propter hanc, ſæpiùs ac diligenter ovium terga perſpicere, ut, ſi fortè ſit in aliqua tale vitium deprehenſum, confeſtim ſcrobem defodiamus in limine ſtabuli, & vivam pecudem, quæ fuerit puſuloſa, reſupinam obruamus, patiamurque ſuper obrutam mejere totum gregem: quòd eo facto morbus propulſetur. *Abolere*] Abluere. *Vincere flamma*] Et illud fortaſſis eſt quod de venenato corde jam diximus. *Verum etiam*] Oſtenditur amictus multis modis contagioſus, qui factus ſit è vellere pecoris peſte conſumpti. *Pabula*] Carbunculi, ait Servius: de quo & ſequentibus, Lucretius:

Nec nimio cuiquam poſſes ardore tueri
Corporis in ſummo ſummam fervescere partem:
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et ſimul ulceribus quaſi inuſtis omne rubere
Corpus, ut eſt, per membra ſacer cùm diditur ignis.

Immundus ſudor] Periphraſis eſt phthiriaſeos, ſi Servio credimus. Plinius capite 33. lib. 11. ait lanicio interemptarum à lupis ovium phthiriaſim gigni: tu obſer-

vabis, an etiam peſte conſumptarum. *Sacer ignis*] Servius ſacrum morbum interpretatur; ſed falsò. ſacer enim morbus, eſt morbus caducus, ſeu Herculeus, quem vulgus appellat morbum ſancti Joannis. At ſacer ignis, vulgo dicitur ignis ſancti Antonii: & paulò antè propoſitus eſt à Lucretio: multoque manifeſtiùs ſic proponitur à Columella libri ſeptimi capite quinto: Eſt etiam inſanabilis ſacer ignis, quam puſulam vocant paſtores. ea, niſi compeſcitur intra primam pecudem, quæ tali morbo correpta eſt, univerſum gregem contagione proſternit: ſic quidem, quòd nec medicamentorum, nec ferri remedia patitur. Nam penè ad omnem tactum excandeſcit. ſola tamen ea fomenta non aſpernatur lactis caprini: quod infuſum tantùm valet, ut & blandiatur igneam ſævitiam, differens magis occidionem gregis, quàm prohibens.

FINIS TERTII
Georgici.

P. RAMI

P. RAMI PROFESSORIS REGII PRÆLECTIONES IN QVARTUM GEORGICUM.

Argumentum quarti Georgici.

DESCRIBITUR quarto Georgico apum educatio, retentio, contentio, mitigatio, mellificatio, procreatio, mellatio, afflictio, curatio.

PRotinus aërii mellis cœleſtia dona
Exequar. hanc etiam Mæcenas aſpice partem.
Admiranda tibi levium ſpectacula rerum,
Magnanimosq; duces, totiusq; ordine gentis
Mores, & ſtudia, & populos, & prælia dicam.
In tenui labor, at tenuis non gloria, ſi quem
Numina læva ſinunt, auditq; vocatus Apollo.

Protinus] Propoſitio, de quarta & ultima parte ope-

ris initio diſtributi. fuerat enim,

---atq; apibus quanta experientia parcis.

Sed tranſitio obſcurior eſt quàm ſuperioribus libris. *Protinus*] Expoſito pecore, quæ pars tertia fuerat. vel Protinus, deinceps, continuè. *Aërii*] Apes, mella ex rore aëris, ſiderum exortu potiſſimùm, & arcus cœleſtis incubitu, contrahunt, ait Ariſtoteles libri quinti capite viceſimo ſecundo: De quo erit poſtea. multo autem copioſiùs Plinius libri undecimi capite duodecimo: Venit hoc, ait, ex aëre, & maximè ſiderum exortu: præcipueque ipſo Sirio explendeſcente fit, nec omnino priùs Vergiliarum exortu ſublucanis temporibus. Itaque cum prima aurora folia arborum, melle roſcida inveniuntur: ac, ſiqui matutino ſub dio fuere, unctas liquore veſtes, capillumque concretum ſentiunt: ſive ille eſt cœli ſudor, ſive quædam ſiderum ſaliva, ſive purgantis ſe aëris ſuccus: utinamque eſſet & purus ac liquidus, & ſuæ naturæ, qualis defluit primò: nunc verò è tanta cadens altitudine, multumque, dum venit, ſordeſcens, & obvio terræ halitu infectus: præterea è fronde ac pabulis potus, & in utercul os congeſtus apum, (ore enim vomunt) adhæc ſucco florum corruptus, & alveis maceratus, toties que mutatus, magnam tamen cœleſtis naturæ voluptatem affert. *Mellis*] Mellis genera tria ſunt, vernum, æſtivum, ſylveſtre. Æſtivi generis mel illud eſt, quod horæum vocatur, à tempeſtivitate præcipua, ipſo Sirio explendeſcente, poſt ſolſtitium diebus x x x ferè. Immenſa circa hoc ſubtilitas naturæ mortalibus patefacta eſt, niſi fraus hominum cuncta pernicie corrumperet. Namque ab exortu ſideris cuiuſcunque, ſed nobilium maximè, aut cœleſtis arcus, ſi non ſequantur imbres, ſed ros tepeſcat Solis radiis, medicamenta, non mella gignuntur, oculis, ulceribus, internisque viſceribus dona cœleſtia. vide Plinium libri undecimi capitibus decimo quarto, quinto & ſexto. unde percipies his epithetis non hyperbolicam laudem, ſed phyſicam veritatem contineri.

Hanc

Hanc etiam] Apoſtrophe ad Mæcenatem: ubi locus eſt attentionis,ex adjuncta admirabilitate. *Mæcenas*] Sic appellatus eſt tribus ſuperioribus libris:primo,

----quo ſidere terram
Vertere, Mæcenas----

Et ſecundo, *Tuq; ades,incœptumq; unà decurre laborem,*
O decus, ò fama meritò pars maxima noſtra,
Mæcenas: pelagoque volans da vela patenti.

Et tertio, *Interea Dryadum ſylvas,ſaltusq; ſequamur*
Intactos:tua, Mæcenas, haud mollia juſſa:
Te ſine nil altum mens inchoat----

Spectacula] Metaphora eſt à ludis, in quibus pugnæ & fabulæ, ſpectacula dicuntur, *Duces*] De quorum generibus & mitigatione, in contentione apum dicetur. *Mores*] Quod maximè mirum ſit, mores habent, ait Plinius libri undecimi capite quinto:ubi hujus admirationis argumenta magna comperies. *In tenui*] Sic ſecundo Georgico:

Nec ſum animi dubius,verbis ea vincere magnum
Quam ſit,& anguſtis hunc addere rebus honorem.

Plinius libri undecimi capite nono, de amatoribus apū, id eſt hujus gloriæ ſtudioſis,ita ſcribit: Ne quis miretur,amore earum captos, Ariſtomachum Solenſem duodeſexaginta annis nihil aliud egiſſe: Hylſcum verò Thaſium in deſertis apes colentem, Agrium cognominatum:qui ambo ſcripſere de his. *Læva*] Proſpera, ait Servius. Malo ſequi interpretem Aulum Gellium libri quinti capite duodecimo, ubi Jupiter, juvans pater, appellatur Dijovis: contra verò, Deus is qui nocendi poteſtatem tantùm haberet, Vejovis dicitur: cujus videlicet lævum numen nunc appellatur:quales erant dii, Duerruncus & Robigus, placandi tantùm ut finerent, ac nihil nocerent.

Principio ſedes apibus ſtatioq; petenda
Quò neq; ſit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neq; oves hœdiq; petulci

Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.
Abſint & picti ſqualentia terga lacerti
Pinguibus à ſtabulis, meropesq; aliæq; volucres,
Et manibus Progne pectus ſignata cruentis.
Omnia nam latè vaſtant: ipſasq; volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus eſcam.
At liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco
Adſint, & tenuis fugiens per gramina rivus:
Palmaq; veſtibulum aut ingens oleaſter obumbret:
Vt, cùm prima novi ducent examina reges
Vere ſuo, ludetq; favis emiſſa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaq; hoſpitiis teneat frondentibus arbos,
In medium, ſeu ſtabit iners, ſeu profluet humor,
Tranſverſas ſalices & grandia conjice ſaxa:
Pontibus ut crebris poſſint conſiſtere, & alas
Pandere ad æſtivum ſolem, ſi fortè morantes
Sparſerit, aut præceps Neptuno immerſerit Eurus,
Hæc circum caſiæ virides, & olentia latè
Serpylla, & graviter ſpirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumq; bibant violaria fontem.

Principiò] Deſcribitur ſubjectum apibus ſolum, quod Græcis eſt μελιττὼν & μελιττοτροφεῖον, Latinis apiarium, mellarium, alvearium. Primus locus deſcriptionis eſt ex oppoſitis, quæ nocent apibus, ideoque abeſſe debent, ut venti, pecora, ſerpentes, avès. *Ventis*] Sic Palladius primo libro jubet apiarium in horti parte ſecreta conſtitui & aprica, & à ventis remota. *Alvum*] Alvus dicitur & Alveus. *Petulci*] Petulantes, laſcivientes. Lucretianum eſt:

---- *agnique petulci.*

Inimi-

Inimicæ verò ſunt etiam oves apibus. quia difficilè ſe ab earum lanis explicat: Plinius libri undecimi capite decimo octavo. *Picti*] Periphraſis eſt Stellionis, qui lacertæ ſimilis eſt, tergo circulis quibuſdam depictus, lucentibus guttis, ad modum ſtellarum: de quo erit & poſteà in hoc libro:

---nam ſæpe favos ignotus adedit

Stellio ---

Niſi fortè lacertos mavis intelligere, qui nominatim à Columella libri noni capite ſeptimo, & à Palladio libri primi tit. 37. inter hoſtes apum numerantur. *Squalentia*] Fulgentia, ut mox,

Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens.

Quicquid enim vehementer inculcatum fic eſt, ut horrorem viſentibus incutiat, à crebritate ſquammarū, ſqualere dicitur. *Pinguibus à ſtabulis*] Periphraſis eſt alveorum melle pinguium. *Meropeſque*] Merops, avis: de qua ſic Plinius libri decimi capite triceſimo tertio: Nec verò iis minor ſolertia, quæ cunabula in terra faciunt, corporis gravitate prohibitæ ſublime petere. Merops vocatur genitores ſuos reconditos paſcens, pallidò intus colore pennarum, supernè cyaneo, priori ſubrutilo, nidificat in ſpecu, ſex pedum foſſa altitudine. Ariſtoteles noni Hiſtoriæ libri capite quadrageſimo, de merope idem dicit. *Progne*] Periphraſis eſt hirundinis, in quam Progne Pandionis filia mutata eſt, ut Ovidius ſextò Metamorphoſeos explicat. De hac fabula diximus ecloga ſexta. *Cruentis*] Sic Ovidius ibidem,

---neq; adhuc de pectore cædis

Exceſſere notæ, ſignataq; ſanguine pluma eſt.

Ariſtoteles verò noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo, inter hoſtes apum numerat veſpas & aviculas quas Paros vocant: item hirundines & meropas, ranas lutarias & rubetas. Plinius libri undecimi capite decimò octavo addit crabrones, muliones è culicum genere. *At liquidi*] Secunda pars deſcriptionis, è cauſſis efficientibus, aqua, quæ potum apibus: arboribus & ſtirpibus, quæ etiam pa-

bulum præbeant. *Liquidi*] Apis nulla putidis aſſidet, nec utitur alio cibo quàm dulci. aquam etiam inde libentiſſimè hauriunt, quam ſinceri clariſſimiq; fontes ſcaturiunt: Ariſtoteles octavi Hiſtoriæ capite undecimo. Diligenter habenda cura, ut aqua ſit propinqua & pura: quod ad mellificium vehementer prodeſt, ait Varro libri tertii capite decimo ſexto. Sine aqua, neque mella neque favi, neq; pulli denique figurari queunt: Columella libri noni capite quinto. *Tenuis*] Ita ut ne altitudine aſcendat duos aut tres digitos: Varro ibidem. de quo iterum etiam Virgilius. *Palma*] De qua, & ejus generibus, ſecundo Georgico ad illum locum,

Chaoniiq; patris glandes, etiam ardua palma
Naſcitur----

Oleaſter] Olea ſylveſtris. de olea item ſecundo Georgico. *Examina*] Examen, novarum apum progenies. *Vere*] Apes quieſcunt & latent à Vergiliatum occaſu, nec ante fabas florentes exeunt ad opera & labores: Ariſtoteles octavi Hiſtoriæ capite decimo quarto: & Plinius libri undecimi capite ſexto. *Favis*] In mellificio primum fundamentum eſt Commoſis, cruſta nigra ſaporis amari: ſecundum, Piſſoceros, picantium modo ceu dilutior: tertium Propolis, craſſioris jam materiæ, nondum tamen cera, ſed favorum ſtabilimentum: quartum; favus, qui fingitur multiplicatus è cera Erithace vel ſandaraca, vel cerinthus apum cibus dum operantur, amari ſaporis, quo favi extremi inter ſe conglutinantur. vide Ariſtotelem noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo: Varronem libri tertii capite decimo ſexto: Plinium libri undecimi capite ſeptimo. *Decedere calori*] Sic ecloga octava,

----nec ſera meminit decedere nocti:

Et tertio Georgico,

----& ſera ſolam decedere nocti.

Ariſtoteles autem noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo, locum

locum apiarii vult eſſe æſtate non fervidum, hyeme tepidum: quod Varro repetit, & addit ut ſpectet ad hybernos ortus. Columella libri noni capite quinto optat imam partem vallis. *In medium*] Repetitur præceptum de aqua tanquam ponticulis diſtinguenda, quo facilius apes aquentur & ſiccentur ad ſolem. & ſic Varro jubet teſtas aut lapillos in aqua jacere, ita ut extent paulum, ubi aſſidere & bibere apes queant. quod Columella libri noni capite quinto repetit: & Palladius ſic primo libro: Fons vel rivus huc conveniat otioſus, qui humiles tranſeundo formet lacunas, quas operiant rara & tranſverſa virgulta, ſedes tutas apibus præbitura, cùm ſitient. *Neptuno*] Metonymia eſt, pro aqua. *Eurus*] Synecdoche ſpeciei pro genere. hîc enim ventus quivis ſignificatur. *Hæc circum*] Proponitur pabulationis materies, de qua iterum copioſiùs in hortis, paulo pòſt. *Caſia*] Caſiam vulgus vocat: de qua ecloga ſecunda,

Tum caſia atq; aliis intexens ſuavibus herbis,

Et ſecundo Georgico,

----humiles caſias apibus roremq; miniſtrat.

Et mox,

Et glaucas ſalices, caſiamq; crocumq; rubentem.

Serpylla] Sarpoletum vulgus appellat: de quo ecloga ſecunda:

Allia ſerpyllumq; herbas contundit olentes.

Thymbra] Sarrietam vulgus vocat: cui Columella libri noni capite quarto tribuit ſecundam à thymo laudē: itemque Palladius libro primo. *Violaria*] Loca violis conſita, ut horti, de quibus poſtea.

Ipſa autem ſeu corticibus tibi ſuda cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Anguſtos habeant aditus. nam frigore mella
Cogit hyems, eademq; calor liquefacta remittit.
Vtraq; vis apibus pariter metuenda: neq; illa

Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucóq; & floribus oras
Explent: collectúmq; hæc ipſa ad munera gluten:
Et viſco & Phrygiæ ſervant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effoſſis (ſi vera eſt fama) latebris,
Sub terra fodêre larem: penitúsq; repertæ
Pumicibusque cavis, exeſæq; arboris antro.
Tu tamen & lævi rimoſa cubilia limo
Vnge fovens circum, & raras ſuperinjice frondes;
Neu propius tectis taxum ſine: neve rubentes
Vre foco cancros: altæ neu crede paludi,
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vocíſq; offenſa reſultat imago.

Ipſa autem] Deſcriptum eſt adhuc alvearium: deſcribitur nunc alveus è materia & forma. materia duplex hîc proponitur; è cortice arboris & vimine. Varro libri tertii capite decimo ſexto; & Columella libri noni capite ſexto; addunt è ligno ferulæ; fimo, lateribus, ſubere: etiam fictiles alveos faciunt: optimas eſſe corticeas ajunt; deterrimas fictiles. *Alvearia*] Alveos dicit per metonymiam continentis pro contento. Alvus enim id propriè dicitur vel Alveus: Alvearium autem; locus eſt alveorum. *Anguſtos*] Media alvo, in qua introëant apes, faciunt foramina parva; dextra ac ſiniſtra: ad extrema quà mellarii favum eximere poſſunt; opercula imponunt alvis: Varro libri tertii capite decimo ſexto. Columella libri noni capite ſeptimo copioſiùs id exprimit: Nam frigus ignaviam creat: propter quod etiam foramina, quibus exitus aut introitus datur, anguſtiſſima eſſe debent, ut quam minimum frigoris admittant: eaque ſatis eſt ita forari, ne poſſint capere plus unius apis incrementum. Sic nec venenatus ſtellio; nec obſcœnum ſcarabæi vel papilionis genus; lucifugæque blattæ, ut ait Maro,

per

per laxiora ſpatia januæ, favos populantur. atque utiliſſimum eſt, pro frequentia domicilii, duos, vel tres aditus in eodem operculo distantes inter ſe fieri, contra fallaciam lacerti, qui velut custos veſtibuli, prodeuntibus inhians, apibus affert exitium. eæque pauciores intereunt, cum licet vitare peſtis obſidia, per aliud vadentibus effugium. *Nam*] Ratio anguſti aditus, ex adjunctis malis. *Neque illæ*] Confirmatio poſitæ rationis, ex operibus apum contra tales injurias: ubi triplex earum genus notatur; in alveis, ſub terra, in arboribus mellificantium. *Cera*] Periphraſis eſt commoſeos, unde primum tectorium. *Fucoque*] Piſſoceros hic poteſt intelligi, id eſt picatus cereus, ut Gaza vertit. Is enim fit ex lacrymis arborum, ſalicis, ulmi, & reliquarum, quæ glutinum pariunt. *Fucoque*] Phycos thalaſſion, fucus marinus, frutex eſt lactucæ ſimilis: de cujus tribus generibus, lato uno, altero longiore, ſed rubente, tertio criſpis foliis, quo veſtes in Creta tinguntur, Plinius libri decimi tertii capite viceſimo quinto, & viceſimi ſexti capite decimo. *Phrygiæ*] Ida Phrygia, pinifera Statio dicitur, ut ſecundo Georgico dictum eſt. Hinc igitur picis copia: tametſi primo Georgico fuit laus Narycïæ picis. *Si vera eſt*] Ariſtoteles Hiſtoriæ libri quinti capite viceſimo ſecundo id confirmat: Apud Themiſcyram, ait, circa Thermodontem amnem apes tam in terra quam in alveis faciunt favos, qui parum admodum ceræ contineant, & mel craſſius reddant. Et paulo pòſt ibidem: Sunt etiam apes quæ favos ſub terra, triplici ordine faciant, in quibus mel eſt, vermis nullus. *Pumicibus*] Pumex, lapis eſt cavernoſus ad corpora læviganda laudatiſſimus, in mari creſcens. hic pro quovis cavernoſo lapide. *Arboris*] De quo ibidem Ariſtoteles: Ad Amiſum urbem convehitur à locis ſuperioribus mel candidum craſſumque majorem in modum: quod apes faciunt in arboribus ſine favo: quale etiam fieri in Ponto cognitum eſt. *Tu tamen*] Abſolvitur inchoata alvei forma, Ut diligenter undique oblina-

tur. *Frondes*.] Huc ſpectare videtur illud Columellæ noni libri capite decimo quarto: Quicquid deinde rimarum eſt aut foraminum, luto & fimo bubulo miſtis illinemus extrinſecus: nec niſi aditus quibus commeent, relinquemus. Et quamvis porticu protecta vaſa, nihilominus congeſtu culmorum & frondium ſupertegemus: quantumque res patietur, à frigore & tempeſtatibus muniemus. De ordine alveorum (quod hic Virgilius omiſit) ita Varro præcipit: Easque alvos ita collocant in mutulis parietis, ut ne agitentur, neve inter ſe contingant, cùm in ordinem ſint poſitæ, ſic intervallo interpoſito, alterum & tertium ordinem infrà faciunt, & ajunt hinc potiùs demi oportere quàm addi quartum. Columella libri noni capite ſeptimo: Debebit lapideus ſuggeſtus extendi per totum apiarium, in tres pedes altitudinis, totidemque craſſitudinis: isque ſic extructus, diligenter opere tectorio lævigari: ita ne aſcenſus lacertis aut anguibus, aliisve noxiis animalibus præbeatur. Hæc ille, & multo plura his de rebus: quod Palladius repetit, ut podia ternis alta pedibus, teſtaceo & albario opere lævigata, propter lacertarum cæterorumque animalium noxam, quibus eſt moris irrepere, fabricentur. *Neu propius*] Admonet de contrariis removendis ab alveo, ut antea fecit de alveario. *Taxum*] De taxo, tanquam apibus inimica, ſic antea fuit ecloga nona:

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

& ſecundo Georgico,

---taxiq; nocentes

appellantur. Nominatim verò taxi repudiantur à Columella libri noni capite quarto. Palladius item libro primo: Abſint & herbæ, tithymallus, helleborum, thapſia, abſinthium, cucumis agreſtis, & omnis amaritudo conficiendæ adverſa dulcedini. Plinius tamen taxum non videtur improbare, cùm ait ex omnium ſatorum floribus

ceram

ceram confingi, excepta tamen rumice & chenopode: libri undecimi capite octavo, de lethali ejus facultate jam dictum eſt. *Rubentes*] Cum coquuntur vel uruntur. *Cancros*] Ariſtoteles noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo id teſtatur: Mundiſſimum omnium hoc animal eſt. quamobrem ſæpenumero, cùm alvi neceſſitas eſt, avolant, & in ſeceſſu reddunt excrementum, quoniam malè oleat. oderunt non ſolùm fœdos odores, ſed etiam unguentorum delicias. ex quo fit ut homines his delibutos percutiant. Idem Varro profitetur libri tertii capite decimo ſexto: Itaque nulla harum aſſidit in loco inquinato, aut eo qui malè oleat: neque etiam in eo qui bona olet ungenta. Itaque his unctus qui acceſſit, pungunt. Idem & Columella libri noni capite quinto, de ſedibus apum eligendis: Sed in ea parte quæ tetris latrinæ ſterquiliniique & balnei libera eſt odoribus. Et paulo pòſt: Gravis & tetri odoris; non ſolum virentia, ſed & quælibet res prohibeantur: ſicuti cancri nidor, cùm eſt ignibus aduſtus, aut odor paluſtris cœni. Nec minùs vitentur cavæ rupes, aut valles argutæ, quas Græci ἠχοὺς vocant. Plinius item libri undecimi capite decimo octavo: Cancrorum etiam odore, (ait) ſiquis juxta coquat, exanimantur. Idem & Palladius libro primo: Sed ab his apium caſtris longè ſint omnia odoris horrendi, balneæ, ſtabula, coquinæ fuſoria. *Altè*] De hac altitudine duorum triumve digitorum jam dictum eſt. *Paludi*] Aquæ. *Odor cœni*] De hoc jam dictum. *Concava*] De hoc item ex Columella. ſed & Varro libri tertii capite decimo ſexto: Primùm, ſecundum villam, potiſſimum ubi non reſonant imagines. Hic enim ſonus harum fugæ exiſtimatur eſſe. Quod idem Plinius repetit libri undecimi capite decimo nono: Inimica & echo eſt reſultanti ſono, qui pavidas alterno pulſat ictu. Idem Palladius libro primo repetit: Vitetur odor cœni, & cancer aduſtus, & locus qui ad humanam vocem falſa imitatione reſpondet.

Quod ſupereſt, ubi pulſam hyemem Sol aureus egit
Sub terras, cœlumq́ue æſtiva luce recluſit,
Illæ continuò ſaltus ſylvasq́ue peragrant:
Purpureosq́ue metunt flores, & flumina libant
Summa leves. hinc neſcio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidosq́ue fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emiſſum caveis ad ſidera cœli
Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen,
Obſcuramq́ue trahi vento mirabere nubem:
Contemplator: aquas dulces & frondea ſemper
Tecta petunt: huc tu juſſos aſperge ſapores,
Trita meliphylla, & cerinthæ ignobile gramen:
Tinnitusq́ue cie, & Martis quate cymbala circum.
Ipſæ conſident medicatis ſedibus, ipſæ
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.

Quod ſupereſt] Tertium præceptum, de opificio novæ æſtatis; cujus hic eſt periphraſis. *Aureus*] Sic primo Georgico:

Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.

Terras] Ad Antipodas nempe; quibus tum hyems eſt, cùm nobis æſtas. *Saltus*] Varro: Ut Diis Helicona atque Olympum attribuerunt homines; ſic his floridos & incultos naturâ montes attribuit. *Flores*] De hoc jam dictum. *Libant*] Libare, quaſi labiare, dicunt Grammatici, id eſt, primis labris attingere. Aquam autem tunc portant apes, cùm prolem nutriunt, ait Ariſtoteles Hiſtoriæ noni capite quadrageſimo: Sine qua neque mella, neque favi, neque pulli denique figurari queant, Columella libri noni capite quinto, ut jam dictum eſt. *Progeniem*] Plinius libri undecimi capite ſexto hunc ordinem naturæ in apibus eſſe dicit: Primùm itaque favos conſtru-

conſtruunt; ceram fingunt, hoc eſt domos cellasque faciunt: deinde ſobolem; poſtea mella: ceram ex floribus, melliginem è lacrymis arborum quæ glutinum pariunt, ſalicis, ulmi, arundinis: ſucco, gummi, reſina. Virgilius igitur naturæ ordinem hic non ſervavit, qui progeniem primùm & nidos, tum mella fieri dicit. *Progeniem*] De cujus procreatione iterum poſtea. *Nidosque*] Favos hîc intelligit. *Mella*] Ariſtoteles in Hiſtoria, libri quinti capite viceſimo ſecundo: Favos primùm conficiunt, mox collocant fœtum, ore emittentes ſuo, ut iis placent qui cenſent aliunde prolis primordia convehi. Deinde cibi cauſſa mellificant tam æſtate quàm autumno: ſed melius mel autumnale eſt. Conſtruunt favos è floribus, ceram ex lacryma arborum fingunt: mella ex rore aëris, ſiderum exortu potiſſimùm, & arcus cœleſtis incubitu, contrahunt. Omnino ante Vergiliarum exortum mel non fit. Favos itaque, ut dictum eſt, è floribus faciunt: mel autem non ipſas facere apes, ſed rorem candentem deferre, argumento eſt quòd uno aut altero die cellas melle repletas inveniunt apiarii. Item autumno mel, poſteaquam detractum eſt, non reparatur, cùm tamen illo etiam tempore flores proveniant. *Hinc ubi*] Quartum præceptum, de retinendo examine ſaporibus apiaſtri & cerinthæ, item muſica. *Nare*] Metaphora à piſcibus, pro Volare. *Æſtatem liquidam*] Præſagiunt apes & hyemem & imbres: cujus rei indicium eſt quòd non evolant, ſed ſereno adhuc in alveo volutantur. Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo. Plinius libri undecimi capite decimo: Tunc univerſæ provolant, ſi dies mitis futurus ſit: prædivinant enim ventos imbresque, & tunc ſe continent tectis. Itaque temperie cœli (& hoc inter præſcita habent) prorumpunt. Cùm verò migrandum eſt, vox ſolitaria & peculiaris quædam, aliquot antè diebus, intus mittitur, & biduo aut triduo paucæ circum alveum volant. An rex etiam inter eas ſit, nondum exploratum habemus, quoniam difficile cognitu

eſt. Collectæ jam avolant, & per ſingulos reges dividuntur: & ſi fortè paucæ prope multas conſiſtunt, concedunt paucæ iſtæ ad plures, ac regem quem reliquerint, ſi ſequatur, interimunt. Diſceſſus & migratio ita agitur. Ibidem: Cùm verò mutuo inter ſe annexu alia ex alia dependet in alveo, indicium deſerendi cubilis: quod ne eveniat, apiarii alveis afflant ex vino dulci: Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo. quod à Varrone repetitum eſt: Cùm examen exiturum eſt, quod fieri ſolet cùm adnatæ proſperè ſunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, ut olim crebrò Sabini factitaverunt propter multitudinem liberorum: hujus quòd duo ſolent præire ſigna, ſcitur. unum, quòd ſuperioribus diebus maximè veſpertinis, multæ ante foramen, ut uvæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ. alterum, quòd, cùm jam evolaturæ ſunt, aut etiam inceperunt, conſonant vehementer, proinde ut milites faciunt cùm caſtra movent. quæ primo cum exierunt, in conſpectu volitant, reliquas quæ nondum congregatæ ſunt, reſpectantes, dum conveniant. Idem Columella & Palladius de uberibus illis & globis præſertim. *Meliphylla*] Apiaſtrum alii μελίφυλλον, alii μελισσόφυλλον, quidam μέλινον appellant: Varro libri tertii capite decimo ſexto. Vulgus hanc herbam, meliſſam vocat. *Cerinthe*] Hanc herbam vulgus Francicum Paquettam dicit. *Matris*] Cybeles, in cujus ſacris Galli ſacerdotes cymbala aut tympana pulſabant. Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo, hoc ambiguè ſcribit: Gaudere etiam plauſu atque ſonitu apes videntur. Quapropter tinnitu æris aut fictilis convocari eas in alveum ajunt. Quanquam incertum eſt an audiant, & voluptatene an formidine id faciant. Varro voluptatis cauſſam videtur ſequi, cùm ait, apes cauſſa Muſarum dici volucres, quòd, ſiquando diſplicatæ ſunt, cymbalis & plauſibus, numero reducuntur in unum locum

cum. Idem tamen paulo pòſt de examine emigraturo ſic ait: Cùm à mellatio id fecisse ſunt animadverſæ, jaciendo in eas pulverem, & circuntinniendo ære perterritas, quo voluerit, perducet. Non longè inde obliniunt erithace atque apiaſtro, cæteriſque rebus quibus delectantur. Ubi conſederunt, afferunt alvum propè eiſdem illiciis illitam intus; & propè appoſita, fumo leni circumeundo cogunt eas intrare. Quod item Columella de terrore ſequitur, libri noni capite octavo: Cùm examen erupit, (ait) ſtrepitu coërcetur. Nam ſtatim ſono territum, vel in frutice, vel in editiore ſylvæ fronde conſidet, & à veſtigatore, præparato vaſe reconditur. Et rurſus capite duodecimo: Crepitaculis æreis, aut teſtarum plerunque vulgo jacentium ſonitu terreatur fugiens juventus. Quod Palladius in Junio ſequitur: Strepitu æris terreatur aut teſtulæ, ait. Ad quod etiam argumentum pertinet illa vocis imago, qua terrentur apes, ut jam dictum eſt. Plinius tamen delectationem muſicam planè ſequitur, ex eoque contra Ariſtotelis dubitationem, auditus ſenſum apibus attribuit libri undecimi capite viceſimo: Gaudent (ait) plauſu atque tinnitu æris, eoque convocantur. quo manifeſtum, auditus quoque ineſſe ſenſum. *Medicatis*] Apiaſtro nempe & cerinthe delinitis.

Sin autem ad pugnam exierint, (nam ſæpe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuoque animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longè præſciſcere. namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.

T 4

Tum trepidæ inter ſe coëunt: penniſq; coruſcant,
Spiculaq; exacuunt roſtris, aptantq; lacertos:
Et circa regem, atq; ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magniſq; vocant clamoribus hoſtem.
Ergo ubi ver nactæ ſudum, camposq; patentes,
Erumpunt portis: concurritur, æthere in alto
Fit ſonitus: magnum miſtæ glomerantur in orbem:
Præcipitesq; cadunt: non denſior aëre grando,
Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentes animos anguſto in pectore verſant:
Uſq; adeò obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos verſa fuga victor dare terga coëgit.

Sin autem] Quintum præceptum, de contentione & pugna apum: cujus cauſſa è diſcordia regum, & ſigna è bombo & armorum apparatu præponuntur. *Duobus*] De his regibus poſtea dicetur, & eorum formæ deſcribentur. Hîc autem Homericum illud cernitur:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.
Non bona res multorum principatus: unicus rex eſto.

Huc etiam illud pertinet Lucani:

Nulla fides regni ſociis, omniſq; poteſtas
Impatiens conſortis erit: nec gentibus ullis
Credite. nec longè fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Reges autem ſex aut ſeptem generantur, Ariſtoteles quinti Hiſtoriæ capite viceſimo primo. Apes autem multis de cauſſis & inter ſe unius examinis ſociæ, & cum aliis præliantur, de quo Ariſtoteles Hiſtoriæ noni capite quadrageſimo: Flagrant odio breves contra longas, easque alveis pellere conantur: qua in pugna ſi illæ vicerint, optimum ita fore examen putatur: ſed ſi hæ

ſolæ

ſolæ remanſerint, otioſè vivunt, & nihil boni integrè faciunt, pereunt etiam ipſæ antequam Autumnus ſit. Student bonæ apes, quoad fieri poteſt, nequam intra alveum interimant: & ſi qua interierit intus, ſtatim foras cadaver educunt. Qui autem fures vocantur, & ſuos invicem favos offendunt: & alienos, ſi latuerint, ſubeunt: ſed ſi capiantur, capite puniuntur, nec facilè aut latere, aut effugere poſſunt: ſunt enim in quoque aditu cuſtodes: & ſi quando fur ipſe ſubripere ingreſſum potuerit, adeò in ſatietatem repletur, ut nequeat evolare: ſed ante alveum volutetur. Itaque fuga perquam difficilis eſt. Et iterum ibidem: Nullum animal, niſi ſui generis, apes fugiunt: præliantur enim inter ſe, & cum veſpis. Sed cùm extra ſunt, nec ſibi invicem, neque aliis iniuriantur. At verò apud ſuos alveos pugnant acerrimè, & hoſtes, quos vicerint, enecant. Necant vel maxima animalia ictu ſui aculei. Iam & equus occiſus ab apibus eſt. Sed principes minimè irritantur & feriunt. Et rurſus ibidem. Cùm morbo examen quoddam laboraret, agmen peregrinum invaſit, & pugna conſerta, adeptaque victoria, mella diripiebat. quod cùm apiarius proſterneret, victum examen ſtatim egreſſum vlciſcebatur, nec hominem ipſum ulla parte impetebat. Quod Columella libri noni capite nono repetit: Inter ſe (ait) tanquam civilibus bellis, & cum alteris, quaſi cum exteris gentibus, præliantur. Et Plinius libri undecimi capite decimo ſeptimo: Quòd ſi defecerit alicujus alvei cibus, impetum in proximas faciunt, rapinæ propoſito. At illæ contrà dirigunt aciem, & ſi cuſtos adſit, alterutra pars, quæ ſibi favere ſentit, non appetit eum. Ex aliis quoque ſæpe dimicant cauſſis, eaſque acies contrarias duo imperatores inſtruunt, maximè rixa in convehendis floribus exorta, & ſuos quibuſque evocantibus. *Martius*] Hic militaris clangor ſexto Æneidos notatur:

Ære ciere viros, Martemq́ accendere cantu.

Et nono: *At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro*
Increpuit----

Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoq; & floribus oras
Explent: collectumq; hæc ipſa ad munera gluten:
Et viſco & Phrygia ſervant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effoſſis (ſi vera eſt fama) latebris,
Sub terra fodêre larem: penitusq; reperta
Pumicibusque cavis, exeſæq; arboris antro.
Tu tamen & lævi rimoſa cubilia limo
Vnge fovens circum, & raras ſuperinjice frondes,
Neu propius tectis taxum ſine: neve rubentes
Vre foco cancros: alta neu crede paludi,
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vocisq; offenſa reſultat imago.

Ipſa autem] Deſcriptum eſt adhuc alvearium: deſcribitur nunc alveus è materia & forma. materia duplex hîc proponitur; è cortice arboris & vimine. Varro libri tertii capite decimo ſexto; & Columella libri noni capite ſexto; addunt è ligno ferulæ; fimo, lateribus, ſubere: etiam fictiles alveos faciunt: optimas eſſe corticeas ajunt, deterrimas fictiles. *Alvearia*] Alveos dicit per metonymiam continentis pro contento. Alvus enim id propriè dicitur vel Alveus: Alvearium autem, locus eſt alveorum. *Anguſtos*] Media alvo, in qua introëant apes, faciunt foramina parva; dextra ac ſiniſtra: ad extrema quà mellarii favum eximere poſſunt, opercula imponunt alvis: Varro libri tertii capite decimo ſexto. Columella libri noni capite ſeptimo copioſius id exprimit: Nam frigus ignaviam creat: propter quod etiam foramina, quibus exitus aut introitus datur, anguſtiſſima eſſe debent, ut quam minimum frigoris admittant. eaque ſatis eſt ita forari, ne poſſint capere plus unius apis incrementum. Sic nec venenatus ſtellio, nec obſcœnum ſcarabæi vel papilionis genus; lucifugæque blattæ, ut ait Maro,

per

per laxiora ſpatia januæ, favos populantur. atque utiliſſimum eſt, pro frequentia domicilii, duos, vel tres aditus in eodem operculo diſtantes inter ſe fieri, contra fallaciam lacerti, qui velut cuſtos veſtibuli, prodeuntibus inhians, apibus affert exitium. eæque pauciores intereunt, cùm licet vitare peſtis obſidia, per aliud vadentibus effugium. *Nam*] Ratio anguſti aditus, ex adjunctis malis. *Neque illa*] Confirmatio poſitæ rationis, ex operibus apum contra tales injurias: ubi triplex eorum genus notatur; in alveis, ſub terra, in arboribus mellificantium. *Cera*] Periphraſis eſt commoſeos, unde primum tectorium. *Fucoque*] Piſſoceros hîc poteſt intelligi, id eſt piceatus cereus, ut Gaza vertit. Is enim fit ex lacrymis arborum, ſalicis, ulmi, & reliquarum, quæ glutinum pariunt. *Fucoque*] Phycos thalaſſion, fucus marinus, frutex eſt lactucæ ſimilis: de cujus tribus generibus, lato uno, altero longiore, ſed rubente, tertio criſpis foliis, quo veſtes in Creta tinguntur, Plinius libri decimi tertii capite viceſimo quinto, & viceſimi ſexti capite decimo. *Phrygiæ*] Ida Phrygia; pinifera Statio dicitur; ut ſecundo Georgico dictum eſt. Hinc igitur picis copia: tametſi primo Georgico fuit laus Narycíæ picis. *Si vera eſt*] Ariſtoteles Hiſtoriæ libri quinti capite viceſimo ſecundo id confirmat: Apud Themiſcyram, ait, circa Thermodontem amnem apes tam in terra quam in alveis faciunt favos, qui parum admodum ceræ contineant, & mel craſſius reddant. Et paulo pòſt ibidem: Sunt etiam apes quæ favos ſub terra, triplici ordine faciant, in quibus mel eſt, vermis nullus. *Pumicibus*] Pumex, lapis eſt cavernoſus ad corpora læviganda laudatiſſimus, in mari creſcens. hîc pro quovis cavernoſo lapide. *Arboris*] De quo ibidem Ariſtoteles: Ad Amiſum urbem convehitur à locis ſuperioribus mel candidum craſſumque majorem in modum: quod apes faciunt in arboribus ſine favo: quale etiam fieri in Ponto cognitum eſt. *Tu tamen*] Abſolvitur inchoata alvei forma; Ut diligenter undique oblina-

tur. *Frondes*] Huc ſpectare videtur illud Columellæ noni libri capite decimo quarto : Quicquid deinde rimarum eſt aut foraminum , luto & fimo bubulo miſtis illinemus extrinſecus : nec niſi aditus quibus commeent, relinquemus. Et quamvis porticu protecta vaſa , nihilominus congeſtu culmorum & frondium ſupertegemus : quantumque res patietur, à frigore & tempeſtatibus muniemus. De ordine alveorum (quod hic Virgilius omiſit) ita Varro præcipit : Easque alvos ita collocant in mutulis parietis, ut ne agitentur , neve inter ſe contingant , cùm in ordinem ſint poſitæ, ſic intervallo interpoſito , alterum & tertium ordinem infrà faciunt , & ajunt hinc potiùs demi oportere quàm addi quartum. Columella libri noni capite ſeptimo : Debebit lapideus ſuggeſtus extendi per totum apiarium , in tres pedes altitudinis , totidemque craſſitudinis : isque ſic extructus , diligenter opere tectorio lævigari : ita ne aſcenſus lacertis aut anguibus , aliisve noxiis animalibus præbeatur. Hæc ille , & multo plura his de rebus: quod Palladius repetit, ut podia ternis alta pedibus, teſtaceo & albario opere lævigata, propter lacertarum cæterorumque animalium noxam, quibus eſt moris irrepere, fabricentur. *Neu propius*] Admonet de contrariis removendis ab alveo, ut antea fecit de alveario. *Taxum*] De taxo, tanquam apibus inimica, ſic antea fuit ecloga nona:

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

& ſecundo Georgico,

---taxiq; nocentes

appellantur. Nominatim verò taxi repudiantur à Columella libri noni capite quarto. Palladius item libro primo: Abſint & herbæ, tithymallus, helleborum, thapſia, abſinthium, cucumis agreſtis , & omnis amaritudo conficiendæ adverſa dulcedini. Plinius tamen taxum non videtur improbare , cùm ait ex omnium ſatorum floribus

ceram

teram confingi, excepta tamen rumice & chenopode: libri undecimi capite octavo. de lethali ejus facultate jam dictum eſt. *Rubentes*] Cum coquuntur vel uruntur. *Cancros*] Ariſtoteles noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo id teſtatur: Mundiſſimum omnium hoc animal eſt. quamobrem ſæpenumero, cùm alvi neceſſitas eſt, avolant, & in ſeceſſu reddunt excrementum, quoniam malè oleat. oderunt non ſolùm fœdos odores, ſed etiam unguentorum delicias. ex quo fit ut homines his delibutos percutiant. Idem Varro profitetur libri tertii capite decimo ſexto: Itaque nulla harum aſſidit in loco inquinato, aut eo qui malè oleat: neque etiam in eo qui bona olet ungenta. Itaque his unctus qui acceſſit, pungunt. Idem & Columella libri noni capite quinto, de ſedibus apum eligendis: Sed in ea parte quæ tetris latrinæ ſterquiliniique & balnei libera eſt odoribus. Et paulo pòſt: Gravis & tetri odoris, non ſolum virentia, ſed & quælibet res prohibeantur: ſicuti cancri nidor, cùm eſt ignibus aduſtus, aut odor paluſtris cœni. Nec minùs vitentur cavæ rupes, aut valles argutæ, quas Græci ἠχοὺς vocant. Plinius item libri undecimi capite decimo octavo: Cancrorum etiam odore, (ait) ſiquis juxta coquat, exanimantur. Idem & Palladius libro primo: Sed ab his apium caſtris longè ſint omnia odoris horrendi, balneæ, ſtabula, coquinæ fuſoria. *Altè*] De hac altitudine duorum triumve digitorum jam dictum eſt. *Paludi*] Aquæ. *Odor cœni*] De hoc jam dictum. *Concava*] De hoc item ex Columella. ſed & Varro libri tertii capite decimo ſexto: Primùm, ſecundum villam, potiſſimum ubi non reſonant imagines. Hic enim ſonus harum fugæ exiſtimatur eſſe. Quod idem Plinius repetit libri undecimi capite decimo nono: Inimica & echo eſt reſultanti ſono, qui pavidas alterno pulſat ictu. Idem Palladius libro primo repetit: Vitetur odor cœni, & cancer aduſtus, & locus qui ad humanam vocem falſa imitatione reſpondet.

Quod ſupereſt, ubi pulſam hyemem Sol aureus egit
Sub terras, cœlumq; æſtiva luce recluſit,
Illæ continuò ſaltus ſylvasq; peragrant:
Purpureosq; metunt flores, & flumina libant
Summa leves. hinc neſcio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidosq; fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emiſſum caveis ad ſidera cœli
Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen,
Obſcuramq; trahi vento mirabere nubem:
Contemplator: aquas dulces & frondea ſemper
Tecta petunt. huc tu juſſos aſperge ſapores,
Trita meliphylla, & cerintha ignobile gramen:
Tinnitusq; cie, & Martis quate cymbala circum.
Ipſæ conſident medicatis ſedibus, ipſæ
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.

Quod ſupereſt] Tertium præceptum, de opificio novæ æſtatis; cujus hic eſt periphraſis. *Aureus*] Sic primo Georgico:

Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.

Terras] Ad Antipodas nempe; quibus tum hyems eſt, cùm nobis æſtas. *Saltus*] Varro: Ut Diis Helicona atque Olympum attribuerunt homines, ſic his floridos & incultos naturâ montes attribuit. *Flores*] De hoc jam dictum. *Libant*] Libare, quaſi labiare, dicunt Grammatici, id eſt, primis labris attingere. Aquam autem tunc portant apes, cùm prolem nutriunt, ait Ariſtoteles Hiſtoriæ noni capite quadrageſimo: Sine qua neque mella, neque favi, neque pulli denique figurari queant, Columella libri noni capite quinto, ut jam dictum eſt. *Progeniem*] Plinius libri undecimi capite ſexto hunc ordinem naturæ in apibus eſſe dicit: Primùm itaque favos conſtru-

conſtruunt; ceram fingunt, hoc eſt domos cellasque faciunt: deinde ſobolem; poſtea mella: ceram ex floribus, melligineum è lacrymis arborum quæ glutinum pariunt, ſalicis, ulmi, arundinis: ſucco, gummi, reſina. Virgilius igitur naturæ ordinem hic non ſervavit, qui progeniem primùm & nidos, tum mella fieri dicit. *Progeniem*] De cujus procreatione iterum poſtea. *Nidosque*] Favos hîc intelligit. *Mella*] Ariſtoteles in Hiſtoria, libri quinti capite viceſimo ſecundo: Favos primùm conficiunt, mox collocant fœtum, more emittentes ſuo, ut iis placent qui cenſent aliunde prolis primordia convehi. Deinde cibi cauſſa mellificant tam æſtate quàm autumno: ſed melius mel autumnale eſt. Conſtruunt favos è floribus, ceram ex lacryma arborum fingunt: mella ex rore aëris, ſiderum exortu potiſſimùm, & arcus cœleſtis incubitu, contrahunt. Omnino ante Vergiliarum exortum mel non fit. Favos itaque, ut dictum eſt, è floribus faciunt: mel autem non ipſas facere apes, ſed rorem cadentem deferre, argumento eſt quòd uno aut altero die cellas melle repletas inveniunt apiarii. Item autumno mel, poſteaquam detractum eſt, non reparatur, cùm tamen illo etiam tempore flores proveniant. *Hinc ubi*] Quartum præceptum, de retinendo examine ſaporibus apiaſtri & cerinthæ, item muſica. *Nare*] Metaphora à piſcibus, pro Volare. *Æſtatem liquidam*] Præſagiunt apes & hyemem & imbres: cujus rei indicium eſt quòd non evolant, ſed ſereno adhuc in alveo volutantur: Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo. Plinius libri undecimi capite decimo: Tunc univerſæ provolant, ſi dies mitis futurus ſit: prædivinant enim ventos imbresque, & tunc ſe continent tectis. Itaque temperie cœli (& hoc inter præſcita habent) prorumpunt. Cùm verò migrandum eſt, vox ſolitaria & peculiaris quædam, aliquot antè diebus, intus mittitur, & biduo aut triduo paucæ circum alveum volant. An rex etiam inter eas ſit, nondum exploratum habemus, quoniam difficile cognitu

eſt. Collectæ jam avolant, & per ſingulos reges dividuntur: & ſi fortè paucæ prope multas conſiſtunt, concedunt paucæ iſtæ ad plures, ac regem quem reliquerint, ſi ſequatur, interimunt. Diſceſſus & migratio ita agitur. Ibidem: Cùm verò mutuo inter ſe annexu alia ex alia dependet in alveo, indicium deſerendi cubilis: quod ne eveniat, apiarii alveis afflant ex vino dulci: Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo. quod à Varrone repetitum eſt: Cùm examen exiturum eſt, quod fieri ſolet cùm adnatæ proſperè ſunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, ut olim crebrò Sabini factitaverunt propter multitudinem liberorum: hujus quòd duo ſolent præire ſigna, ſcitur. unum, quòd ſuperioribus diebus maximè veſpertinis, multæ ante foramen, ut uvæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ. alterum, quòd, cùm jam evolaturæ ſunt, aut etiam inceperunt, conſonant vehementer, proinde ut milites faciunt cùm caſtra movent. quæ primo cum exierunt, in conſpectu volitant, reliquas quæ nondum congregatæ ſunt, reſpectantes, dum conveniant. Idem Columella & Palladius de uberibus illis & globis præſertim. *Meliphyl la*] Apiaſtrum alii μελίφυλλον, alii μελισσόφυλλον, quidam μέλιγον appellant: Varro libri tertii capite decimo ſexto. Vulgus hanc herbam, meliſſam vocat. *Cerintha*] Hanc herbam vulgus Francicum Paquettam dicit. *Matris*] Cybeles, in cujus ſacris Galli ſacerdotes cymbala aut tympana pulſabant. Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo, hoc ambiguè ſcribit: Gaudere etiam plauſu atque ſonitu apes videntur. Quapropter tinnitu æris aut fictilis convocari eas in alveum ajunt. Quanquam incertum eſt an audiant, & voluptatene an formidine id faciant. Varro voluptatis cauſſam videtur ſequi, cùm ait, apes cauſſa Muſarum dici volucres, quòd, ſiquando diſplicatæ ſunt, cymbalis & plauſibus, numero reducuntur in unum locum

cum. Idem tamen paulo pòſt de examine emigraturo ſic ait: Cùm à mellario id fecisse ſunt animadverſæ, jaciendo in eas pulverem, & circuntinniendo ære perterritas, quo voluerit, perducet. Non longè inde obliniunt erithace atque apiaſtro, cæteriſque rebus quibus delectantur. Ubi conſederunt, afferunt alvum propè eiſdem illiciis illitam intus: & propè appoſita fumo leni circumeundo cogunt eas intrare. Quod item Columella de terrore ſequitur, libri noni capite octavo: Cùm examen erupit, (ait) ſtrepitu coërcetur. Nam ſtatim ſono territum, vel in frutice, vel in editiore ſylvæ fronde conſidet, & à veſtigatore, præparato vaſe reconditur. Et rurſus capite duodecimo: Crepitaculis æreis, aut teſtarum plerunque vulgo jacentium ſonitu terreatur fugiens juventus. Quod Palladius in Junio ſequitur: Strepitu æris terreatur aut teſtulæ, ait. Ad quod etiam argumentum pertinet illa vocis imago, qua terrentur apes, ut jam dictum eſt. Plinius tamen delectationem muſicam planè ſequitur, ex eoque contra Ariſtotelis dubitationem, auditus ſenſum apibus attribuit libri undecimi capite viceſimo: Gaudent (ait) plauſu atque tinnitu æris, eoque convocantur. quo manifeſtum, auditus quoque inesse ſenſum. *Medicatis*] Apiaſtro nempe & cerinthe deliniis.

Sin autem ad pugnam exierint, (nam ſæpe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuoque animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longè præſciſcere. namq; morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.

Tum trepidæ inter ſe coëunt: pennisq; coruſcant,
Spiculaq; exacuunt roſtris, aptantq; lacertos:
Et circa regem, atq; ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magnisq; vocant clamoribus hoſtem.
Ergo ubi ver nactæ ſudum, camposq; patentes,
Erumpunt portis: concurritur, æthere in alto
Fit ſonitus: magnum miſtæ glomerantur in orbem:
Præcipitesq; cadunt. non denſior aëre grando,
Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentes animos anguſto in pectore verſant:
Vſq; adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos verſa fuga victor dare terga coëgit.

Sin autem] Quintum præceptum, de contentione & pugna apum: cujus cauſſa è diſcordia regum, & ſigna è bombo & armorum apparatu præponuntur. *Duobus*] De his regibus poſtea dicetur, & eorum formæ deſcribentur. Hîc autem Homericum illud cernitur:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
Non bona res multorum principatus: unicus rex eſto.

Huc etiam illud pertinet Lucani:

Nulla fides regni ſociis, omnisq; poteſtas
Impatiens conſortis erit: nec gentibus ullis
Credite. nec longè fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Reges autem ſex aut ſeptem generantur, Ariſtoteles quinti Hiſtoriæ capite viceſimo primo. Apes autem multis de cauſſis & inter ſe unius examinis ſociæ, & cum aliis præliantur: de quo Ariſtoteles Hiſtoriæ nono capite quadrageſimo: Flagrant odio breves contra longas, easque alveis pellere conantur: qua in pugna ſi illæ vicerint, optimum ita fore examen putatur: ſed ſi hæ

ſolæ

ſolæ remanſerint, otioſè vivunt, & nihil boni integrè faciunt: pereunt etiam ipſæ antequam Autumnus ſit. Student bonæ apes, quoad fieri poteſt, nequam intra alveum interimant: & ſi qua intercierit intus, ſtatim foras cadaver educunt. Qui autem fures vocantur, & ſuos invicem favos offendunt: & alienos, ſi latuerint, ſubeunt: ſed ſi capiantur, capite puniuntur, nec facilè aut latere, aut effugere poſſunt: ſunt enim in quoque aditu cuſtodes: & ſi quando fur ipſe ſubripere ingreſſum potuerit, adeò in ſatietatem repletur, ut nequeat evolare: ſed ante alveum volutetur. Itaque fuga perquam difficilis eſt. Et iterum ibidem: Nullum animal, niſi ſui generis, apes fugiunt: præliantur enim inter ſeſe, & cum veſpis. Sed cùm foris ſunt, nec ſibi invicem, neque aliis iniuriantur. At verò apud ſuos alveos pugnant acerrimè, & hoſtes, quos vicerint, enecant. Necant vel maxima animalia ictu ſui aculei. Iam & equus occiſus ab apibus eſt. Sed principes minimè irritantur & feriunt. Et rurſus ibidem. Cùm morbo examen quoddam laboraret, agmen peregrinum invaſit: & pugna conſerta, adeptaque victoria, mella diripiebat: quod cùm apiarius proſterneret, victum examen ſtatim egreſſum ulciſcebatur, nec hominem ipſum ullo pacto impetebat. Quod Columella libri noni capite nono repetit: Inter ſe (ait) tanquam civilibus bellis, & cum alteris, quaſi cum exteris gentibus, præliantur. Et Plinius libri undecimi capite decimo ſeptimo: Quòd ſi defecerit alicujus alvei cibus, impetum in proximas faciunt, rapinæ propoſito. At illæ contrà dirigunt aciem, & ſi cuſtos adſit, alterutra pars, quæ ſibi favere ſentit, non appetit eum. Ex aliis quoque ſæpe dimicant cauſſis, easque acies contrarias duo imperatores inſtruunt, maximè rixa in convehendis floribus exorta, & ſuos quibusque evocantibus. *Martius.*] Hic militaris clangor ſexto Æneidos notatur:

Ære ciere viros, Martemq́ accendere cantu.

Et nono: *At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro*
Increpuit----

Hunc igitur morem & apes habent, ut Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo: Tempore matutino omnes ſilent, donec una gemino aut triplici bombo excitet omnes: tum univerſæ ad opus provolant: cumque redierint, primùm item tumultuant: paulatimque minùs ſubinde ſtrepunt, dum una circumvolitando ſuſurrans, quaſi dormiendum præcipiat: tum repentè omnes conticeſcunt. Quod à Varrone repetitur: Omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt, & opus faciunt pariter, & ut colonias mittunt: hique duces conficiunt quædam ad vocem, ut imitatione tubæ. Tum id faciunt, cùm inter ſe ſigna pacis ac belli habeant. Et Plinius libri undecimi capite decimo: Interdiu ſtatio ad portas, more caſtrorum: noctu quies in matutinum, donec una excitet omnes gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Cùm advesperaſcit, in alveo ſtrepunt minùs ac minùs, donec una circumvolet, eodem quo excitavit bombo, ceu quietem capere imperans: & hoc, caſtrorum more: tunc repentè omnes conticeſcunt. *Pennisque*] Quas binas utroque ſui corporis latere gerunt: Ariſtoteles libri quarti de partibus animalium capite ſexto. *Spiculaque*] Apes omnes aculeo armantur, ait Ariſtoteles libri de generatione tertii capite decimo, & quarti capite ſexto. *Regem*] De cultu regis poſtea diligentiùs ad illum locum.

Præterea regem non ſic Ægyptus ----

Prætoria] Prætorium, tabernaculum Imperatoris à Romanis dicebatur. hinc prętoria cohors, & prętoria porta & navis, pro Imperatoris cohorte, nave, porta. *Ergo ubi*] Hypotypoſis pugnę amplificata effectis, adjunctis & comparatis. *Glomerantur*] More militari: quia legio modò dilatatur in quadrum, modò contrahitur in orbem. *Anguſto in pectore*] Sic Statius:

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Et Homerus;

---- μικρὸς

---- μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

Parvus quidem erat corpore, ſed pugnator.

Obnixi] Sic paulò antè *Ipſi*, tanquam non apes, ſed milites intelligerentur.

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta,
Pulveris exigui iactu compreſſa quieſcent.
Verùm ubi ductores acie revocaveris ambos:
Deterior qui viſus, eum, ne prodigus obſit,
Dede neci: melior vacua ſine regnet in aula.
Alter erit maculis auro ſqualentibus ardens.
(Nam duo ſunt genera) hic melior, inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquammis: ille horridus alter
Deſidia, latamque trahens inglorius alvum.
Vt binæ regum facies, ita corpora gentis.
Namque aliæ turpes horrent: ceu pulvere ab alto
Cùm venit, & terram ſicco ſpuit ore viator
Aridus. elucent aliæ, & fulgore coruſcant,
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.
Hæc potior ſoboles: hinc cœli tempore certo
Dulcia mella premes: nec tantùm dulcia, quantum
Et liquida & durum Bacchi domitura ſaporem.
At cùm incerta volant, cœloque examina ludunt,
Contemnuntq́; favos, & frigida tecta relinquunt:
Inſtabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor. tu regibus alas
Eripe. non illis quiſquam cunctantibus altum
Ire iter, aut caſtris audebit vellere ſigna.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et cuſtos furum atque avium cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

Ipſe thymum pinosq; ferens de montibus altis:
Tecta ferat late circum,cui talia curæ:
Ipſe labore manum duro terat:ipſe feraces
Figat humo plantas,& amicos irriget imbres.

Himotus] Sextum præceptum, de cauſſa pacificationis, & regis nequioris cæde. prior verò cauſſa communis, etiam eſt ad retinedum.non tantum ad mitigandum. *Pulveris*] Columella libri noni capite nono id copioſe interpretatur: Pugna quidem vel unius inter ſe diſſidentis, vel duorum examinum diſcordantium, facilè compeſcitur. Nam,ut idem ait:

Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcit,

aut mulſo, paſſove, aut alio quovis liquore ſimili reſperſo: videlicet familiari dulcedine, ſævientium iras mitigante. Nam eadem mirè etiam diſſidentes reges conciliant. ſunt enim ſæpe plures unius populi duces, & quaſi procerum ſeditione, plebs in partes diducitur. Quod frequenter fieri prohibendum eſt: quoniam inteſtino bello totæ gentes conſumuntur. Itaque ſi conſtat principibus gratia, manet pax incruenta: ſin autem ſæpius aciem dimicantes notaveris, duces ſeditionum interficere curabis. dimicantium verò prælia prædictis remediis ſedantur. Ac deinde, cum agmen glomeratum in proximo frondentis arbuſculæ ramo conſederit, animadvertito, an totum examen in ſpeciem unius uvæ dependeat: idque ſignum erit aut unum regem ineſſe, aut certè plures bona fide reconciliatos: quos ſic patieris, dum in ſuum revolent domicilium. Sin autem duobus, aut etiam compluribus velut uberibus diductum fuerit examen, ne dubitaveris & plures proceres & adhuc iratos eſſe. Atque in iis partibus quibus maximè videris apes glomerari, requirere duces debebis. Itaque ſucco prædictarum herbarum, id eſt meliſſophylli vel apiaſtri, manu illita, ne ad tactum effugiant, leviter inſeres digitos, & diductas apes ſcrutaberis, donec authorem

rem pugnæ, quem elidere debes, reperias. Quod idem Varro ſcribit. Præterea ut animadvertat, ne reguli plures exiſtant. inutiles enim fiunt propter ſeditiones. &, ut quidam dicunt, tria genera cum ſint ducum in apibus, niger, ruber, varius: ut Menecrates ſcribit, duo; niger & varius, qui ita melior, ut expediat mellario, cùm duo ſint eadem alvo, interficere nigrum, quem ſcit cum altero rege eſſe ſeditioſum, & corrumpere alvum, quòd fuget, aut cum multitudine fugetur. Et iterum: Providendum, ne infirmiores à valentioribus opprimantur: eo enim minuitur fructus. Itaque imbecilliores ſecretas ſubjiciunt ſub alterum regem. Quæ crebriùs inter ſe pugnabunt, aſpergi eas oportet aqua mulſa. Quo facto, non modò deſiſtunt pugna, ſed etiam conferciunt ſe lingentes: eò magis, ſi mulſo ſunt aſperſæ: quo, propter odorem, avidiùs applicant ſe, atque obſtupeſcunt potantes. Si ex alvo minùs frequentes evadunt, ac ſubſidit aliqua pars, ſuffumigandum, & propè apponendum beneolentium herbarum, maximè apiaſtrum & thymum. Plinius libri undecimi capite decimoſeptimo: Quæ dimicatio, injectu pulveris aut fumo tota diſcutitur: reconciliantur verò lacte, vel aqua mulſa. At Ariſtoteles ait, ab apibus ſeditioſum regem interimi: Enecant nimirum ipſæ etiam duces, qui plures, quàm ſatis ſit, habeantur: & potiſſimùm improbos, ne principum multitudo ſeditiones in examine faciat. Necant præcipuè, cùm non ampla ſobolis copia extitit, nec habent quam coloniam mittant. Favos etiam regum eo tempore, ſi parati ſunt, diruunt, utpote cùm deſint, quibus mittendis duces ipſi præficiantur. Nec non favos tollunt fucorum, ſi mellis penuriam conjectantur, nec alvei annona ſuperioris anni abundant, & apiarium eximentem de melle, tunc præcipuè impugnant, ac præſentes fucos expellunt: & quidem ſæpe viſuntur foris in alveo reſidentes exules. In quo Plinius Ariſtotelem etiam ſequitur, libri undecimi capite decimoſexto: Reges plures inchoantur, ne deſint. poſtea ex eis ſoboles cum adulta eſſe cœpit, concordi ſuffra-

gio deterrimos necant, ne diſtrahant agmina. *Alter erit*] Deſcribuntur ex adjunctis notis, regum duo genera & apum inferiorum totidem: quæ ſumpta ſunt ex Ariſtotelis Hiſtoria. Recteque Columella libri noni capite tertio docet, Virgilium hîc Ariſtotelis imitatorem eſſe. Varro, Menecrate authore, tria regum genera facit, nigrum, rubrum, varium. Plinius libri undecimi capite decimooctavo, apum genera duo primum facit, ruſticas & urbanas, ſicut Ariſtoteles nono Hiſtoriæ fecit: deinde urbanarum duo hæc genera. *Elucent alia*] Hoc Ariſtoteli tertium genus eſt optimum, breve, & in rotunditatem compactile & varium. *Namque alia*] Hoc Ariſtoteli quartum genus eſt, longum, crabronibus ſimile: cui præterea addit furem, nigrum & alvo ampliorem: quinetiam fucum, omnium maximum, ſed ſine aculeo, & ignavum. De his regibus Columella libri noni capite decimo: Sunt autem ii reges majores paulò & oblongi magis, quàm cæteræ apes, rectioribus cruribus, ſed minùs amplis pinnis, pulchri coloris & nitidi, læveſque ac ſine pilo, ſine ſpiculo: niſi quis fortè pleniorem quaſi capillum, quem in ventre gerunt, aculeum putet: quo & ipſo tamen ad nocendum non utuntur. Quidam etiam infuſci atque hirſuti reperiuntur, quorum pro habitu damnabis ingenium Quæ ferè ad verbum repetit Palladius in Junio. Plinius autem libri undecimi capite decimoſexto de regibus, hæc ait: Duo genera regum: melior rufus quam niger variuſque. omnibus forma ſemper egregia, & duplo quàm cæteris major, pinnæ breviores, crura recta, ingreſſus celſior, in fronte macula quodam diademate candicans: multum etiam nitore à vulgo differunt. *Hac potior*] Columella hîc Virgilii velut interpres, apes cum Virgilio probat parvulas, oblongas, leves, nitidas:

Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.

Breves, varias, & in rotunditatem compactiles, optimas ait eſſe, deteriores autem, quibus ſimilitudo veſparum: etiamnum deterrimas ex his piloſas. Ariſtoteles tamen noni

noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo, videtur turpes illas præponere, cùm ait, Minores, officioſiores ſunt majoribus: pennæ his detritæ, color niger, dorſum repandum: Illæ nitidæ venuſtæque ſunt, more otioſarum mulierum. Et ibidem: Sylveſtres, horridiores aſpectu, & iracundiores & minores, ſed opere ac labore præſtantiores. Quod Plinius nominatim ſecutus eſt. Comparatio igitur Virgilii de urbanis tantùm intelligatur. *Tempore certo*] Verno & autumnali. *Bacchi*] Vini & mellis permiſtione factum mulſum hîc ſignificat. *At cùm*] Repetitur præceptum quartum, de retinendo examine novis remediis. primùm eſt, ſi alæ regibus exectæ ſint. *Volant*] De hoc Plinius libri undecimi capite viceſimo ita ſcribit: Effecto opere, deducto fœtu, functæ munere omni, exercitationem tum ſolennem habent, ſpatiatæque in aperto, & in altum datæ, gyris volatu editis, tum demum ad cibum redeunt. *Alas*] Columella libri noni capite decimo: Qui tamen & ipſe ſpoliandus eſt alis, ubi ſæpius cum examine ſuo conatur eruptione facta profugere. nam velut quadam compede retinebimus erronem ducem detractis alis: qui fugæ deſtitutus præſidio, finem regni non audet excedere: propter quod ne ditionis quidem ſuæ populo permittit longius evagari. Quod Palladius in Junio repetit. & Plinius libri undecimi capite decimoſeptimo: Si quis alam regi detruncet, non fugiet examen. *Alas*] Quæ exciſæ non poſſunt renaſci, ait Ariſtoteles in Hiſtoria, libri tertii capite duodecimo. *Vellere ſigna*] More militum diſcedentium. Palladius libro primo addit præterea, apes diſceſſuras non eſſe, ſi ſtercus primogeniti vituli adlinamus oribus vaſculorum. *Invitent*]. Secundum remedium repetitur è ſuavitate florum: quorum ſpecies jam ſex expoſitæ fuere, caſiæ, ſerpylli, thymbræ, violæ, meliſſophylli, cerinthæ: novendecim deinceps aliæ proponuntur. *Halantes*]. Flagrantes. *Cuſtos furum*] Olim in remedio & tutela hortorum, Satyrica ſigna ponebantur: quanquam hortos tutelæ Veneris aſſignante Plauto: Plinius

libri decimi noni capite quarto. Priapum enim cuſtodem adhibebant,tanquam fœcunditatis,quæ præcipua in hortis eſt,authorem,ſicut conſtat ecloga ſeptima:

Sinum lactis,& hæc te liba,Priape, quotannis
Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem ſuppleverit,aureus eſto.

Quod Horatius repetit Serm, lib.1. ſat.8.

---- nam fures dextra coërcet,
Obſcœnoque ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa ----

Saligna] E trunco vel ramo ſalicis facta. *Helleſpontiaci*] Nati ex Baccho & Venere,Lampſaci. Eſt autem Lampſacum civitas Bithyniæ in Helleſponto. *Thymum*] Varro ait, Thymum ad mellificium aptiſſimum eſſe: propter hoc,Siculum mel fert palmam,quòd ibi thymum bonum & frequens eſt. Itaque quidam thymum contundunt in pila, & diluunt aqua tepida: eoque conſpergunt omnia ſeminaria conſita apum cauſſa. Columella libri noni capite quarto: Saporis præcipui mella reddit thymus. Quod Palladius ſequitur,&Plinius: Duo thymi genera ſunt,candidum ac nigricans. Floret autem circa ſolſtitia,cùm & apes decerpunt: & augurium mellis eſt. proventum enim ſperant apiarii, largè florente eo. Læditur imbribus,amittitque florem. Semen thymi non poteſt deprehendi, cùm origani perquàm minutum non tamen fallat Sed quid intereſt id occultaſſe naturam? In flore ipſo intelligitur, ſatoque eo naſcitur. Quid non tentavere homines? Mellis Attici in toto orbe ſumma laus exiſtimatur. Ergo tranſlatum eſt ex Attica thymum, & vix flore, uti docemus, ſatum. Sed alia ratio naturæ obſiſtit,nõ durante Attico thymo, niſi in afflatu maris feratur. Erat quidem hæc opinio antiqua in omni thymo, ideoque non naſci in Arcadia. Tunc oleam non putabant gigni niſi intra c c c. ſtadia à mari.

à mari. Thymis quidem nunc etiam lapideos campos in provincia Narbonenſi refertos ſcimus: hoc penè ſolo reditu, è longinquis regionibus pecudum millibus convenientibus, ut thymo veſcantur. Et idem libri undecimi capite decimoquinto: Aptiſſimum in æſtimatione è thymo, coloris aurei, ſaporis gratiſſimi, cùm ſit palam doliolis pingue, marino è rore ſpiſſum. quod concreſcit autem, hoc minimè laudatur. Thymoſum non coit, & tactu prætenuia fila mittit. *Pinoſque*] Reſinæ gratiâ, qua utuntur apes in figlina favorum. unde antea fuit:

---- collectumq; hæc ipſa ad munera gluten,
Et viſco & Phrygiæ ſervant pice lentius Idæ.

Atque equidem, extremo ni jam ſub fine laborum
Vela traham, & terris feſtinem advertere proram:
Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique roſaria Pæſti:
Quoque modò potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripæ, tortusq; per herbam
Creſceret in ventrem cucumis. nec ſera comantem
Narciſſum, aut flexi tacuiſſem vimen acanthi,
Pallenteſque hederas, & amantes littora myrtos.
Namque ſub OEbaliæ memini me turribus altis;
Qua niger humectat flaventia culta Galeſus,
Corycium vidiſſe ſenem, cui pauca relicti
Iugera ruris erant. nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho:
Hîc rarum tamen in dumis olus; albaq; circum
Lilia verbenaſque premens, veſcumque papaver;
Regum æquabat opes animis: ſeraque revertens
Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis:
Primus vere roſam, atq; autumno carpere poma:

Et cùm triſtis hyems etiam nunc frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Æſtatem increpitans ſeram, Zephyroſq; morantes.
Ergo apibus fœtis idem, atq; examine multo
Primus abundare, & ſpumantia cogere preſſis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus:
Quotque in flore novo pomis ſe fertilis arbos
Induerat, totidem Autumno matura tenebat.
Ille etiam ſeras in verſum diſtulit ulmos,
Eduramque pyrum, & ſpinos jam pruna ferentes,
Iamq; miniſtrantem platanum potantibus umbram,
Verùm hæc ipſe equidem ſpatiis diſcluſus iniquis
Prætereo, atq; aliis poſt me memoranda relinquo.

Atque equidem] Digreditur in hortorum amœnitatem, quam pleniùs exequeretur, niſi compendium doctrinæ hujus ſibi propoſuiſſet. Tota autem digreſſio apophaſi continuatur. *Vela traham*] Allegoria eſt à nautis ad portum accedentibus: cujus rei hiſtoria eſt ſexto Æneidos:

> *Sic fatur lacrymans, claſſiq; immittit habenas,*
> *Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.*
> *Obvertunt pelago proras* ---

Paſti] Pæſtum, oppidum Lucaniæ, roſis abundantiſſimum, & propter cœli clementiam, biferum, Majo & Septembri. *Intyba*] De quibus primo Georgico fuit:

> *Strymoniæq; grues, & amaris intyba fibris.*

Genera ejus duo ſunt, ſativum, quod Serin vocant, & erraticum, quod in Ægypto Cichorium dicitur, apud Latinos Ambigua: unde vulgo nobis Endivia eſt dicta. Vide Plinium libri decimi noni & viceſimi capite octavo. Columella hic videtur differentiam quandam

dam notare, cùm probat in hac paſtione intybi ſylveſtris flores, libri noni capite quarto. *Rivis*] Hic verſus aliàs legitur:

Quoque modo poſitis gauderent intyba fibris.

Apio] De quo fuit ecloga ſexta:

Floribus atque apio crines ornatus amaro.

Selinon Græcè dicimus: de cujus generibus vide Plinium libri deciminoni capite ſeptimo. *Cucumis*]Cucumis cucumis, vel Cucumer cucumeris, Concombra vulgo Francis dicitur: cujus natura & genera deſcribuntur à Plinio libri deciminoni capite quinto. *Comantem*] Florentem. *Narciſſum*] De quo fuit ecloga ſecunda:

Narciſſum & florem jungit bene olentis anethi:

Et ecloga quinta:

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo:

& octava:

Mala ferant quercus, narciſſo floreat alnus.

A Columella Gladiolus narciſſi hîc annumeratur.

Acanthi] De quo fuit ecloga tertia:

Et molli circum eſt anſas amplexus acantho.

& quarta:

Miſtaq; ridenti colocaſia fundet acantho.

Vulgus brancham Urſinam vel Hircinam vocat. *Pallenteſque*] Candidas: de quibus ecloga ſeptima:

----hedera formoſior alba.

Sunt enim & nigræ: de quibus ſecundo Georgico:

---- aut hederæ pandunt veſtigia nigra.

Sunt præterea helices. Columella tamen libri noni capite quarto: Hederæ quoque, ait, non propter bonitatem recipiuntur, ſed quia præbent plurimum mellis. *Littora myrtos*] Sic ſecundo Georgico:

Littora myrtetis lætiſſima ----

Namque] Confirmatio per exemplum apiarii Tarentini, hortorum cultu divitis. *OEbalia*] OEbalus Arguli filius, rexque Laconiæ, à quo Laconia ipſa

OEbalia dicta eſt: deinde etiam Tarentum in Italia à Laconibus, duce Phalantho, conditum. *Galeſus*] Fluvius Tarento vicinus, quinque paſſuum millibus disjunctus. *Corycium*] Cilicem. Κώρυκος enim, oppidum eſt Ciliciæ, à quo non longè abeſt Corycius ſpecus, croci proventu nobilis: de quo Mela, Strabo & Plinius. Victis autem piratis, Cilicibus Pompejus agros aſſignavit, partim in Cilicia, partim in Græcia, partim etiam in Calabria, ut Servius hic è Suetonio nobis narrat. *Relicti*] Succiſivi, poſt factam cæteris diviſionem. *Nec fertilis*] Inutilem terram deſcribit, non paſcuam, non frumentariam, non vineariam. *Lilia*] quæ etiam à Columella hîc probantur. De his fuit ſecunda ecloga,

----tibi lilia plenis,
Ecce, ferunt nymphæ calathis----

Item ecloga decima:

Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans.

Verbenasq;] De quibus octava ecloga:

Verbenasque adolepingues----

Vervena vulgo nominatur. Plinio Vervenaca, Hierobotane, periſtereos eadem eſt, libri viceſimi quinti capite nono. *Veſcumque*] Eſculentum, cereale: ut primo Georgico

----cereale papaver dicitur.

Item tertio,

Nec veſcas ſalicum frondes----

Varro hîc papaver; Columella autem papaveris nigri flores commendat. *Regum*] Collatio minorum ad amplificandum adhibetur *Animis*] Animus ſiquidem divites facit, non arca. Simile eſt illud Varronis, libri tertii capite decimo ſexto; qui quotannis alvearia ſua locata habebat quinis millibus pondo mellis: & de duobus fratribus Vejaniis eadem re locupletibus: quibus cùm à patre relicta eſſet parva villa & agellus, non r jugero uno, circum villam totam alveant, & hortum habuerunt. hi nunquam minus

nus, ut peræquè ducerent, dena millia ſeſtertia ex melle recipere ſunt ſoliti: tum volebant expectare, ut ſuo potiùs tempore mercatorem admitterent, quàm celeriùs alieno. *Roſam*] Roſa probatur à Varrone: à Columella autem Punica Roſa. *Comam*] Sic Columella comiferarum arborum pleraſque utiles hìc eſſe cenſet. *Et cùm*] Periphraſis eſt ſummæ hyemis: qualis deſcripta eſt tertio Georgico:

Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet axes,
Puppibus illa priùs patulis, nunc hoſpita plauſtris.

Zephyroſque] Ventos, primi Veris nuntios. *Ergo*] Concluditur ex antecedentibus cauſſis fœcunditatis apum. *Illi tiliæ*] Redit ad hortos & apiarias arbores. Tiliæ verò ſolæ ex omnibus ſunt nocentes, ait Columella libri noni capite quarto. Plinius tamen libri undecimi capite decimotertio, Virgilium probat: Sorbetur, ait, mel optimum, & minimè fronde infectum, è quercus, tiliæ, arundinum foliis. *Induerat*] Primo Georgico paulò ſecus loquitur:

---- cùm ſe nux plurima ſylvis
Induet in florem ----

Ulmos] De quibus abundè ſecundo Georgico:

---- plantis
Edura coryli naſcuntur ----

Spinos] Spinus, eſt prunus ſylveſtris, & ſpinæ ſpecies; cujus fructus, ſpineolus appellatur. *Platanum*] De qua item dictum eſt ſecundo Georgico, quemadmodum umbræ gratiâ ex alieno orbe in Italiam tranſlata ſit, deinde ad Morinos uſque pervenerit, pro eaque vectigal Romanis penſitatum ſit. *Verùm hæc ipſe*] Concluſio digreſſionis. *Diſcluſus*] Columella libri decimi initium hinc ſibi fecit, & legit *Excluſus*.

Hortorum quoque te cultus, Sylvine, docebo:
Atque ea quæ quondam ſpatiis excluſus iniquis,
Cùm caneret lætas ſegetes, & munera Bacchi,

Et te, magna Pales, nec non cæleſtia mella,
Virgilius poſt ſe nobis memoranda reliquit.

Nunc agè, naturas apibus, quas Iupiter ipſe
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecuta,
Dictæo cæli regem pavere ſub antro.
Sola communes natos, conſortia tecta
Vrbis habent, magniſq; agitant ſub legibus ævum:
Et patriam ſolæ, & certos novere penates:
Venturæq; hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.
Namq; aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina. deinde tenaces
Suſpendunt ceras. aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,
Inque vicem ſpeculantur aquas, & nubila cæli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis
Cùm properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii ſtridentia tingunt
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus Ætna:
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter (ſi parva licet componere magnis)

Cecro-

Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamq; ſuo. grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & Dædala fingere tecta:
At feſſæ multa referunt ſe nocte minores,
Crura thymo plenæ: paſcuntur & arbuta paſſim,
Et glaucas ſalices, caſiamque, crocumq; rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum: labor omnibus unus:
Manè ruunt portis: nuſquam mora: rurſus eaſdem
Veſper ubi è paſtu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit ſonitus: muſſantq; oras & limina circum:
Pòſt, ubi jam thalamis ſe compoſuere, ſiletur
In noctem, feſſoſq; ſopor ſuus occupat artus.
Nec verò à ſtabulis pluvia impendente recedunt
Longiùs, aut credunt cœlo adventantibus Euris:
Sed circùm tutæ ſub mœnibus urbis aquantur,
Excurſuſq; breves tentant: & ſæpe lapillos,
Vt cymbæ inſtabiles fluctu jactante ſaburram,
Tollunt: his ſeſe per inania nubila librant.

Nunc age] Septimum præceptum de naturis apum; ubi totum opificium variis partibus explicatur. *Jupiter*] Attingit initio fabuloſam apum originem: de qua Columella libri noni capite ſecundo: Nec ſanè ruſtico dignum eſt ſciſcitari, fueritne mulier pulcherrima ſpecie Meliſſa, quā Jupiter in apem convertit: an, ut Euhemerus Poëta dicit, crabronibus & Sole genitas apes, quas nymphæ Phryxonides educaverint: mox Dictæo ſpecu, Jovis extitiſſe nutrices, eaſq, pabula munere Dei ſortitas, quibus ipſæ parvum educaverant alumnum. Iſta enim, quamvis non deceant Poëtam, ſummatim tamen & uno tantummodo verſiculo leviter attigit Virgilius, cùm ſic ait:

Dictæo cœli regem pavere ſub antro.

Curetum] Curetes, primi Cretæ incolæ fuerunt: de quibus Virgilius tertio Æneidos:

Et tandem antiquis Curetum allabitur oris.

Hi armiſonam quandam cum ſaltibus agilitatem edebant, proferentes quandam de Jovis origine fabulam, in qua Saturnum introducũt, mox filios, ut in lucem editi fuerint, devorantem: Rheam verò, dolores pariendi ſimulare conatam, natum infantem longè ablegantem, & ei ſalutem pro viribus comparantem. quam quidem ad rem adjutores Curetas aſſumere. illos cùm tympanis ac ſtrepitu, armiſonantique chorea tumultuantes, Deam curioſè circumſiſtere, ut Saturnus attonitus, & oblivione involutus, avulſum non agnoſcat infantem, nec ejus vagitum exaudiat. Eiſdem curam & ſtudium Jovis infantis nutriendi commendari, intelliges ex Strabone libro decimo: ubi & longè plura de Curetibus & eorum nomine tradit. Fabula autem de Saturno liberos ſuos devorante & poſtea evomente, è veritate Phyſica oritur. Κρόνος enim (id eſt tempus) Græcis Saturnus dicitur: ac tempus inventor rerum, idemque conſumptor fingitur. & apud Ariſtotelem quarto Phyſico Simonides ait tempus eſſe ſapientiſſimum, quia beneficio ejus omnia cognoſcuntur. Paro Pythagoreus contrà tempus dicebat eſſe ſtultiſſimum, quia omnia oblivione deleret. *Sonitus*] Et hæc fabulæ pars è Phyſica hiſtoria eſt. apes enim ſonitu retinentur, ut eſt antea,

Tinnitusq; cie, & Matris quate cymbala circum.

Dictæo] Dictæ, mons Cretæ, ubi Jupiter educatus fingitur. de quo fuit ecloga ſexta,

----claudite nymphæ

----Dictææ.

& ſecundo Georgico,

Ante etiam ſceptrum Dictæi regis.

Cœli regem] Periphraſis eſt Jovis. *Pavere*] Nectar & Ambroſia, deorum cibus & potus fingitur, ut apud Martialem,

Jupiter]

Jupiter Ambroſia ſatur eſt, & nectare vivit.

Mel autem id fuit, propterea que Poëtæ fingunt, Jovem ab apibus educatum. *Communes natos*] Qualis communio à Socrate fingitur quinto De republica Platonis, non ſolùm liberorum, ſed bonorum omnium & animi & corporis & fortunæ. *Urbis*] Sic Varro: Hæ, ut hominum civitates, quòd hîc eſt & rex, & imperium, & ſocietas. Ariſtoteli autem in Hiſtoria, libri primi capite primo, Civiles animantes ſunt, quæ laborem communem habent, & quarum labor communi efficitur opera, ut homo, apis, veſpa, formica, grus. *Namque aliæ*] Sic Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo: Partiuntur inter ſe opera, ut aliæ flores convehant, aliæ extruant, aliæ poliant favos & dirigant, aliæ mella, aliæ erithacam, aliæ importent aquam ad cellas, & mella temperent: aliæ munus externum ſubeant. *Victu*] Victui, ut ecloga quinta:

---- curru ſubjungere tigres.

Agris] Juvenes apes negotium foris exercent, ſeniores intus, ut Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo: ubi novellas anniculas ait eſſe, quæ tertio quàm prodierint die, ſtatim negotium ineunt, ſi cibus deſit. & Plinius libri undecimi capite decimo. quod idem paulo pòſt Virgilius repetet apertiùs. *Favis*] Quos incubant & concoquunt, ait ibidem Ariſtoteles. *Fœtus*] Qui primò vermiculi ſunt, excepto rege, qui penniger naſcitur, tum nymphæ: tandem ruptis membranis, ovorum modo, examen emergit. Fœtus autem peragitur intra quadrageſimum diem. Spectatum hoc Romæ conſularis cujuſdam ſuburbano, alveis cornu laternæ translucido factis. vide Plinium libri undecimi capite decimo ſexto: de quibus iterum poſtea. *Sorti*] Pro Sorte, more videlicet militari, ubi cuſtodiæ, ſorte conſtituuntur. *Inque vicem*] Apes prædivinant ventos & imbres, ut Ariſtoteles in Hiſtoria, & Plinius libri undecimi capite decimo: de quo paulo pòſt, *Nec verò eſt à ſtabulis.-- Aut onera*] Apes ſeniores ternæ aut quaternæ gerulas

juvenes excipiunt, atque exonerant: Plinius libri undecimi capite decimo. *Aut agmine*] Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo, ait apes otioſas & minùs parcas à cæteris tolli. Plinius libri undecimi capite undecimo, & decimo ſeptimo, id planius exponit: Cùm mella cœperunt matureſcere, fucos abigunt, & multæ ſingulos aggreſſæ trucidant. Fucos autem Ariſtoteles in Generatione, libri tertii capite decimo, facit apum filios, inermes & ſine aculeo, corpore tamen regibus ſimiles. In Hiſtoria, libri quinti capite viceſimo ſecundo, idem quidem ait, ſed fucos à furibus diſtinguit, & grandiores etiam facit, ut in eadem Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo. Plinius autem ſic definit, libri undecimi capite undecimo: Sunt autem fuci ſine aculeo velut imperfectæ apes, noviſſimæque à feſſis & jam emeritis inchoatæ: ſerotinus fœtus & quaſi ſervitia verarum apum. Quamobrem imperant iis, primoſque in opera expellunt: tardantes, ſine clementia puniunt. Neque in opere tantùm, ſed in fœtu quoque adjuvant eas, multum ad calorem conferente turba. Certè quo major fuerit multitudo, eo major fiet examinum proventus. Et ibidem capite decimo ſeptimo. Quanquam de iis video dubitari, propriumque iis genus eſſe aliquos exiſtimare, ſicut furibus grandiſſimis inter illas, ſed nigris, lataque alvo: ita appellatis quia furtim devorent mella. Varroni autem fucus & fur idem eſt. *Præſepibus*] Alveis, domibus, ſtabulis, alveariis, tectis, laribus, cubilibus, nidis. ſic enim nominibus jam pluribus appellavit. Metaphora autem hîc eſt à ſtabulis equorum, mularum, & cæterorum, quæ propriè Præſepia dicuntur. *Fervet opus*] Hic verſus cum quinque ſuperioribus proximis primo Æneidos repetitur in illa comparatione:

Qualis apes æſtate nova per florea rura:

Ac veluti] Illuſtratur apum feſtinatio & diligentia, ſimilitudine Cyclopum fulmina Jovi fabricantium. *Cyclopes*] De quibus copioſè octavo Æneidos:

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,

Brontes-

Brontesque, Steropesq́, & nudus membra Pyracmon,

Ubi & proximi quinque verſus repetuntur. *Properant*] Properè faciunt. *Taurinis*] Factis taurina pelle. *Æra*] Synecdoche: ferrum ſiquidem aut quodvis metallum intelligitur. *Lacu*] In quem ferrum candens immerſum ſtridet. *Ætna*] Mons Siciliæ perpetuis ignibus flagrans: quæ hic Vulcani & Cyclopum ejus miniſtrorum officina fingitur, quia abundat ſulphure & reliqua fulminum materia. aliàs tamen Liparæ, & reliquis Æoliis inſulis, Vulcani officina tribuitur. *In numerum*] Ut ex alternis ictibus concentus muſicus audiatur. *Non aliter*] Redditio ſimilitudinis per partes variorum officiorum. *Si parva*] Excuſatio videtur indecoræ collationis: qualis fuit ecloga prima,

---*Sic parvis componere magna ſolebam.*

Cecropias] Cecrops conditor & rex Athenarum fuit, ubi mel optimum, propter thymi copiam: unde per Cecropias, optimas intelliges, quales ſunt Atticæ. *Grandævis*] Repetitur partitio ſeniorum & juniorum, antea jam propoſita. *Dædala*] Dædalus, excellens architectus fuit: unde Dædalus, Dædala, Dædalum, pro Artificioſus, Artificioſa, Artificioſum. Quantum verò hic artificium ſit, Ariſtoteles noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo copiosè ſic exponit: Effingunt favos, primùm in quibus ipſæ gignantur, deinde in quibus reges dicti, & fuci. ſuos certè ſemper componunt: ſed regum, cùm fœtus largior eſt: fucorum autem, cùm copia mellis ſperatur. favos regum minores faciunt juxta ſuos, fucorum, juxta regum, minores quàm ſuos. Exordium operis à tecto alvei, textusque ad pavimentum perpetuò ſtabilimento agitur, pluresque ad pavimentum telæ deducuntur. cellæ autem & mellariæ & ſobolariæ, geminæ omnes ſunt, uno enim eodemque interſepto duæ ſibi junguntur cellæ, modo poculi gemini, altera intus, altera foris. compages, qua parietibus favi adhærent, arctiores, & melle vacuæ relinquuntur, gemino aut triplici verſu. pleniores enim ſunt favi quibus plus ceræ obducitur. Quam diligentiam Plinius imitatur libri undecimi capite decimo. Sunt enim intus

quoque officia diviſa: aliæ ſtruunt, aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt, aliæ cibum comparant ex eo quod allatum eſt. Neque enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis aut cibi fiat, & temporis. Struunt rurſus ea viſa concamæratione alvei, textumque vel uſque ad ſumma tecta deducunt, limitibus binis circa ſingulos arcus: ut aliis intrent, aliis exeant. favi ſuperiore parte affixi: & paulu-lum etiam latetibus ſimul hætent, & pendent unà. Alveum non contingunt, nunc obliqui, nunc rotundi, qualiter popoſcit alveus: aliquando & duorum generum, cùm duo examina concordibus populis diſſimiles habuere ritus. Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerinis à ſolo fornicatis, ne deſit aditus ad ſarciendum. Primi ferè tres verſus inanes ſtruuntur, ne promptum ſit quod invitet furantem. Noviſſimi maximè implentur melle, ideoque averſo alveo favi eximuntur. Idemque capite undecimo: Domos primùm plebeis exædificant, deinde regibus. ſi ſperatur largior proventus, adjiciuntur contubernia & fucis. his cellarum minimæ, ſed ipſi majores apibus. Regias imperatoribus futuris in una parte alvei extruunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes: quod ſi exprimatur, non gignuntur ſoboles. Sexangulæ omnes cellæ, à ſingulorum ex pedum opere. Hæc Plinius. Varro libro tertio. cap. 16. figuram eandem ſtatuit. Non in favo (ait) ſexangulis cellâ? totidem quot habet ipſa pedes: (quod Geometræ ἑξάγωνον fieri in orbe rotundo oſtendunt) ut plurimum loci includatur. Ergo hactenus dædala tecta intelligit mirabili artificio confecta. *At feſſa*] Opera juniorum deinceps exponuntur: de quibus Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo: Ceram apes, perreptando flores, capiunt priorum acumine pedum: mox priores in medios abſtergunt, & medios in blæſa poſteriorum: atque ita onuſtæ diſcedunt. Et quidem gravari premique onere cernuntur, quoties redeunt. mos apibus, ne florum plura genera petant uno eodemque profectu, ſed ſingulis ſingula. verbi gratia, à viola ad violam advolant, nec aliud attingunt, quo-uſque

uſque ſuum in alveum redeant. Quod item ſequitur Plinius libri undecimi capite decimo: Itaque temperie cœli, cùm agmen ad opera proceſſit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis. quibus eſt earum adoleſcentia, ad opera exeunt, & ſupradicta convehunt: ſeniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura ſcabra, pedes priores roſtro, totæque onuſtæ remeant ſarcina pandatæ. *Glaucas*] Virides, ſicuti Georgico ſecundo,

---- & glauca canentia fronde ſalicta.

Crocumque] In proſa, neutrius generis eſt. Sic Plinius libri viceſimi primi capite ſexto, crocum ſylveſtre dicit: & Plautus in Curculione ait, *Tu es crocum & caſia.* Poëtæ tamen maſculino genere frequenter uſurpant. *Tiliam*] Et hic alter locus eſt contra Columellam. *Ferrugineos*] Ferruginis & caſtanei coloris. rubens appellatur tertia ecloga.

---- & ſuave rubens hyacinthus.

Nonnio grammatico Ferrugineus, eſt cæruleus. Columellæ in Horto, niveus & cæruleus dicitur: Ovidio decimo Metamorphoſeos, purpureus: ecloga ſecunda niger. nā vaccinia nigra ſunt hyacinthi nigri. *Omnibus*] Deſcribitur communio quietis, laboris, ſomni, vigiliæ. *Sonitus*] De quo dictum eſt ad illum verſum,

Martius ille æris rauci canor increpat----

Sopor] Id repetitur ſecundo Æneidos:

Conticuere: ſopor feſſos complectitur artus.

Ariſtoteles in Hiſtoria, libri quarti capite decimo, hoc argumento probat apes dormire, quòd quietem capiunt, ceſſantque omni motu, ut omnino nullus bombus audiatur. *Nec verò*] Reperitur augurium tempeſtatis, & contrà opponitur ars libramenti cujuſdam. *Pluvia*] Apes nullum certum tempus habent operandi, ſed quandiu ſerenum ſit, ut Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo. Et ſic Plinius libri undecimi capite undecimo: Nihil horum ſtato tempore, ſed rapiunt diebus ſerenis munia. *Lapillos*] Sic Ariſtoteles ibidem: Quoties

verò flatu vehemẽti jactantur, lapillũ geſtant, quo ſe quaſi fulcro & fundamine ſtabiliant cõtra flatum. Idem Plinius libri undecimi capite decimo: Gerulæ ſecundos flatus captant: ſi cooriatur procella, apprehenſi ponduſculo lapilli ſe librãt: (quidam in humeros eum imponi tradunt) juxta verò terram volant in adverſo flatu vepribus hebetato.

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verùm ipſæ foliis natos & ſuavibus herbis,
Ore legunt: ipſæ regem parvosq; Quirites
Sufficiunt, aulasq; & cerea regna refigunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroq; animam ſub faſce dedere.
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipſas quamvis anguſtus terminus ævi
Excipiat, (neq; enim plus ſeptima ducitur æſtas)
At genus immortale manet, multosq; per annos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum.
Præterea regem non ſic Ægyptus & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant. rege incolumi, mens omnibus una eſt:
Amiſſo, rupere fidem, conſtructaq; mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum.
Ille operum cuſtos: illum admirantur, & omnes
Circunſtant fremitu denſo, ſtipantq; frequentes:
Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulchramq; petunt per vulnera mortem.
His quidam ſignis, atq; hæc exempla ſecuti,
Eſſe apibus partem divinæ mentis & hauſtus
Æthereos dixere. Deum namq; ire per omnes

Terras-

Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemq; ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec morti eſſe locum, ſed viva volare
Sideris in numerum, atq; alto ſuccedere cœlo.

Illum adeò] Exponitur in eadem apum natura ipſarum procreatio ſine concubitu, ex floribus. Qua de re quæſtionem magnam diſputat Ariſtoteles in tertio Generationis, capite decimo integro; quòd aliunde hæc fœtura non deportetur, ſive ſponte nata, ſive ab alio animali edita, quia ſine apibus etiam ibidem naſcerentur: deinde quòd à ſeipſis non gignerentur per coitum, quia nuſquam apum viſus ſit coitus, & fœtus exiguus cernatur in cellulis: cætera autem inſecta diu coëant, & brevi pariant, magnitudine ad ſpeciem vermis. Denique concludit finem generationis in numero ternario, quòd reges & ſibi & apibus ſint authores generis, apes fucis, ſed omnino ſine concubitu. Idem etiam in Hiſtoria, libri quinti capite viceſimo ſecundo, tanquam è floribus ſemen generis acceptum, in cellas retulerint, ſic ait: Fœtu poſito incubant avium more. excluſus inde vermiculus, dum parvus eſt, jacet in favo obliquus: pòſt deinde ſua ipſe facultate ſe erigit, cibumque capit, & favo ita adhæret ut retineri videatur. Fœtus apum & fucorum candidus eſt: ex quo vermiculi fiunt, qui in apes fucoſque tranſeant. primordium regum, colore cernitur fulvo, corpulentia mellis craſſioris, magnitudine illicò proxima ſuæ futuræ ſoboli. Nec primùm ex eo vermiculus gignitur, ſed ſtatim apis, ut ajunt. Qua autem parte fœtus conſtitutus ſit, mel ibi è regione conficitur. Schadones, ſi fœtus oppreſſus intercipiatur, truncatæ ſine pennis & cruribus prodeunt: ſed ſi liberè ad finem generationis venerunt, rupta, qua cinguntur, membrana, evolant. Stercus, quandiu ſit vermis, emittit: poſtmodum non, niſi per-

fectè, ut modò dixi, prodierint. ſi quis capita iis demat, priuſquam pennas habeant, pro pabulo nimirum apibus ſunt: &, ſi fucum ademptis pennis in alveum rejicias, ipſæ reliquorum pennas erodunt. De quo iterum, ſed brevius; libri noni capite quadrageſimo: Proles felicis examinis quadraginta diebus intermittitur tantummodò à Bruma. cùm ſatis jam concreviſſe pulliciem ſenſerint, cibo appoſito dereliñquunt: ipſa verò, cùm datur facultas, rupto operculo, exit. Columella libri noni capite ſecundo, hanc quæſtionem, ut ſubtiliorem, præterit, tanquam ad agricolas non pertineat, utrum examina, tanquam cætera videmus animalia, concubitu ſobolem procreent, an heredem generis ſui floribus eligant: quod affirmat noſter Maro: & utrum evomant liquorem mellis, an alia parte reddant. Hæc enim & his ſimilia, magis ſcrutantium rerum naturæ latebras, quàm ruſticorum eſt inquirere. Studioſis quoque literarum gratiora ſunt iſta in otio legentibus, quàm negotioſis agricolis, quoniam neque in opere, neque in re familiari quicquam juvant. Plinius libri undecimi capite decimoſexto, diligentiam Ariſtotelis imitari voluit: Fœtus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos & ſubtilis quæſtio fuit. Apum enim coitus viſus eſt nunquam. Plures exiſtimavere oportere confici floribus compoſitis aptè atque utiliter. Aliqui coitu unius, qui rex in quoque appellatur examine. Hunc eſſe ſolum marem, præcipua magnitudine, ne fatiſcat. ideò fœtum ſine eo non edi; apeſque reliquas tanquam marem fœminas comitari; non tanquam ducem. Quam probabilem aliàs ſententiam fucorum eventus coarguit. Quæ enim ratio, ut idem coitus alios perfectos, imperfectos generet alios? Propior verò prior exiſtimatio fieret, ni rurſus alia difficultas occurreret. Quippe naſcuntur aliquando in extremis favis apes grandiores; quæ cæteras fugant. OEſtrus vocatur hoc malum: quonam modo naſcens, ſi ipſæ ſe fingunt? Quod certum eſt, gallinarum modo incubant. quod excluſum eſt, primò vermiculus

culus videtur, candidus, jacens tranſverſus, adhærensque ita ut paſcere videatur. Rex ſtatim mellei coloris, ut electo flore ex omni copia factus neque vermiculus, ſed ſtatim penniger. Cætera turba cùm formam capere cœpit, nymphæ vocantur, ut fuci, ſirenes atque cephenes. Si quis alterutris capita demat priùs quàm pennas habeant, pro gratiſſimo ſunt pabulo matribus. Tempore procedente inſtillant cibos, atque incubant, tum maximè murmurantes, caloris (ut putant) faciendi gratia, neceſſarii excludendis pullis, donec ruptis membranis, quæ ſingulos cingunt, ovorum modo univerſum agmen emergat. Spectatum hoc Romæ, conſularis cujuſdam ſuburbano, alveis cornu laternæ translucido factis. Fœtus intra XLV. diem peragitur. Fit in favis quibuſdam qui vocatur Clerus, amaræ duritia ceræ, cùm fœtum inde non eduxere morbo aut ignavia, aut infœcunditate naturali. Hic eſt abortus apum. *Concubitu*] Concubitui, ut paulò antè Victu prò Victui. *Quirites*] Metaphora eſt à Romanis civibus, prò Pullis. *Sæpe etiam*] Repetitur novellarum apum, id eſt annicularum diligentia, quæ ſe præ nimia diligentia quatiunt, & ubi ſingulas tres aut quatuor ſequuntur, ait Ariſtoteles noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo. *Tantus*] Tale epiphonema fuit ſecundo Georgico,

Tantus amor terræ----

Item tertio,

Tantus amor laudum----

Ergo] Interponitur ætas apum breviſſima, ut mirabilius ſit, tantæ diligentiæ animal perpetuari. *Septima*] Sic Ariſtoteles quinti Hiſtoriæ capite viceſimo ſecundo: Vita apum, anni ſex: nonnullæ etiam ſeptem poſſunt complere. quòd ſi examen novem aut decem annos duraverit, proſperè actum eſſe exiſtimatur. Item Columella libri noni capite tertio: Duranrque, ſi diligenter excultæ ſunt, in annos decem: nec ullum examen hanc

ætatem poteſt excedere: quamvis in demortuarum locum quotannis pullos ſubſtituant. Nam ferè decimo ab internecione anno, gens univerſa totius alvei conſumitur. Quod Plinius repetit libri undecimi capite viceſimo: Vita eis longiſſima, ut proſperè inimica ac fortuita cedant, ſeptenis annis univerſa. Alveos nunquam ultra decem annos duraſſe proditur. *Fortunædomos*] Allegoria eſt à ſtemmatis nobilium familiarum. *Præterea*] Additur poſtremò ad apum naturam, obſervantia erga ſuum regem, ex collatione diſſimilium & variis effectis. *Hydaſpes*] Fluvius Indiæ: qui Medus idcirco nunc appellari videtur, quia regibus Medorum parère conſuetus. *Amiſſo*] Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo: Reges nunquam prodeunt foràs, vel ut paſcantur, vel alia cauſſa, niſi univerſa cum plebe. &, ſi, cùm pergunt, rex ipſe fortè aberrarit, omnes inquirere, odoratuque ſagaci perſequi, donec inveniant, accepimus. geſtari etiam eum à plebe, cùm volare non poteſt. &, ſi perierit, omnes diſcedere: vel, ſi aliquandiu manſerint, favos quidem conficere, ſed mel nullum: nec fieri poſſe, quin brevi omnes diſcedant. Cauſſam verò tantæ obſervantiæ idem Ariſtoteles refert, non ad ullam regiæ majeſtatis reverentiam, ſed ad phyſicam prolis rationem, quòd illum tanquam marem, non tanquam ducem, ſequantur. Sic enim ait libri tertii De generatione capite decimo: Rectè etiam reges intus manent, immunes omni negotio neceſſario, quaſi nati ad ſobolis procreationem. Magnitudine item præſtant, quaſi ad ſobolem generandam corpus eorum ſit inſtitutum. Et paulò pòſt: Quin & ſequi ſuos reges, ut faciunt, conſentaneum rationi, qua generationem apum à regibus proficiſci ſtatuimus. Plinius libri undecimi capite decimooctavo, amiſſi regis dolorem conſimiliter exponit: Rege ea peſte conſumpto mœret plebs ignavo dolore. non cibos convehunt,

hunt, non procedunt: triſti tantùm murmure glomerantur circa corpus ejus. Subtrahitur itaque deducta multitudine: alias ſpectantes exanimem, luctum non minuunt. Tunc quoque, ni ſubveniatur, fame moriuntur. Eandemque cauſſam tantæ obſervantiæ libri undecimi, capite decimoſexto tradit idem, quòd apes regem, tanquam fœminæ matrem, comitentur, non tanquam ducem. *Operum cuſtos*] Sic Plinius idem capite decimoſeptimo: Mira plebei circa eum obedientia. Cùm procedit, una eſt totum examen, circaque eum conglobatur: cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cùm populus in labore eſt, ipſe opera intus circuit, ſimilis exhortanti, ſolus immunis. Circa eum ſatellites quidam lictoreſque, aſſidua cuſtodientes authoritate. Et paulò pòſt: Cùm proceſſere, ſe quæque proximam illi cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet. Feſſum humeris ſublevant: validiùs fatigatum ex toto portant. Si quà laſſatus deficit: aut forte aberravit, odore proſequuntur. Ubicunque ille conſedit, ibi cunctarum caſtra ſunt. *Attollunt humeris*] Id ex Ariſtotele & Plinio jam patuit: ſed prætetea Varro id etiam ſic affirmat libri tertii capite decimoſexto: Regem ſuum ſequuntur, quocunque it: & feſſum ſublevant: &, ſi nequit volare, ſuccollant, quòd eum ſervare volunt. *His quidam*] Concluditur ex antecedentis politiæ ratione, apes aliquid rationis habere, & cauſſa ex anima mundi repetitur: de qua ſexto Æneidos his verſibus copioſiùs:

Principio cœlum ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit: totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & pleno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus:

ætatem poteſt excedere: quamvis in demortuarum locum quotannis pullos ſubſtituant. Nam ferè decimo ab internecione anno, gens univerſa totius alvei conſumitur. Quod Plinius repetit libri undecimi capite viceſimo: Vita eis longiſſima, ut proſperè inimica ac fortuita cedant, ſeptenis annis univerſa. Alveos nunquam ultra decem annos duraſſe proditur. *Fortuna domos*] Allegoria eſt à ſtemmatis nobilium familiatum. *Præterea*] Additur poſtremò ad apum naturam, obſervantia erga ſuum regem, ex collatione diſſimilium & variis effectis. *Hydaſpes*] Fluvius Indiæ: qui Medus idcirco nùnc appellari videtur, quia regibus Medorum parêre conſuetus. *Amiſſo*] Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo: Reges nunquam prodeunt foràs, vel ut paſcantur, vel alia cauſſa, niſi univerſa cum plebe. &, ſi, cùm pergunt, rex ipſe fortè aberrarit, omnes inquirere, odoratuque ſagaci perſequi, donec inveniant, accepimus. geſtari etiam eum à plebe, cùm volare non poteſt. &, ſi perierit, omnes diſcedere: vel, ſi aliquandiu manſerint, favos quidem conficere, ſed mel nullum: nec fieri poſſe, quin brevi omnes diſcedant. Cauſſam verò tantæ obſervantiæ idem Ariſtoteles refert, non ad ullam regiæ majeſtatis reverentiam, ſed ad phyſicam prolis rationem, quòd illum tanquam marem, non tanquam ducem, ſequantur. Sic enim ait libri tertii De generatione capite decimo: Rectè etiam reges intus manent, immunes omni negotio neceſſario, quaſi nati ad ſobolis procreationem. Magnitudine item præſtant, quaſi ad ſobolem generandam corpus eorum ſit inſtitutum. Et paulò pòſt: Quin & ſequi ſuos reges, ut faciunt, conſentaneum rationi, qua generationem apum à regibus proficiſci ſtatuimus. Plinius libri undecimi capite decimooctavo, amiſſi regis dolorem confimiliter exponit: Rege ea peſte conſumpto mœret plebs ignavo dolore. non cibos convehunt,

hunt, non procedunt: triſti tantùm murmure glomerantur circa corpus ejus. Subtrahitur itaque deducta multitudine: alias ſpectantes exanimem, luctum non minuunt. Tunc quoque, ni ſubveniatur, fame moriuntur. Eandemque cauſſam tantæ obſervantiæ libri undecimi, capite decimoſexto tradit idem, quòd apes regem, tanquam fœminæ matrem, comitentur, non tanquam ducem. *Operum cuſtos*] Sic Plinius idem capite decimoſeptimo: Mira plebei circa eum obedientia. Cùm procedit, una eſt totum examen, circaque eum conglobatur: cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cùm populus in labore eſt, ipſe opera intus circuit, ſimilis exhortanti, ſolus immunis. Circa eum ſatellites quidam lictoreſque, aſſidua cuſtodientes authoritate. Et paulò pòſt: Cùm proceſſere, ſe quæque proximam illi cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet. Feſſum humeris ſublevant: validiùs fatigatum ex toto portant. Si quà laſſatus deficit: aut forte aberravit, odore proſequuntur. Ubicunque ille conſedit, ibi cunctarum caſtra ſunt. *Attollunt humeris*] Id ex Ariſtotele & Plinio jam patuit: ſed præterea Varro id etiam ſic affirmat libri tertii capite decimoſexto: Regem ſuum ſequuntur, quocunque it: & feſſum ſublevant: &, ſi nequit volare, ſuccollant, quòd eum ſervare volunt. *His quidam*] Concluditur ex antecedentis politiæ ratione, apes aliquid rationis habere, & cauſſa ex anima mundi repetitur: de qua ſexto Æneidos his verſibus copioſius:

Principio cœlum ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit: totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & pleno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaque volantum,
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus:

Igneus eſt ollis vigor & cœleſtis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq́; hebetant artus, moribundaq́; membra.
Hinc metuunt cupiuntq́, dolent gaudentque: nec auras
Reſpiciunt, clauſa tenebris & carcere cæco.
Quin & ſupremo cùm lumine vita reliquit,
Non tamen omne malùm miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penituſq́; neceſſe eſt
Multa diu concreta, modis inoleſcere miris.

Sideris in numerum] De hac Pythagoreâ philoſophia præcipitur in Timæo Platonis, quòd Deus aſtris parem numerum diſtribuit animarum, ſingulis ſingulas adhibẽs: eisque tanquam vehiculo impoſitis, monſtravit univerſi naturam; ac leges fatales edixit: quæ animæ tandem ex varia commigratione corporum perpurgatæ ad ſuum aſtrum redirent.

Si quando ſedem anguſtam, ſervataq́; mella
Theſauris relines: prius hauſtus ſparſus aquarum,
Ore fove, fumosq́; manu prætende ſequaces.
Bis gravidos cogunt fœtus, duo tempora meſſis,
Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum
Pleias, & Oceani ſpretos pede reppulit amnes:
Aut eadem ſidus fugiens ubi Piſcis aquoſi,
Triſtior hybernas cœlo deſcendit in undas.

Si quando] Octavum præceptum, de mellatione: cujus duo tempora deſcribuntur, Ver nempe & Autumnus. *Relines*] Eximes vel erades: cui contrarium fuit antea,

Spira-

Spiramenta lines---

Ad exemptionem autem mellis, Columella libri noni capite decimo quinto, inſtrumenta duo deſcribit; alterum, oblongum, ex utraque parte acie lata, & capite ſcalpratum, ad deſecandum favos, & eradendum & attrahendum: alterum, prima fronte planum & acutiſſimum, quo meliùs favi ſuccidantur. *Sparſus aquarum*] Id eſt ſpargens, guttatim nempe, ut apibus pluvia videatur. *Fumosque*] De quibus ibidem Columella: Sed ubi à poſteriore parte nullum veſtibulum patefactum habuerit alveare; fumum admovebimus factum galbano vel arido fimo. Ea porrò vaſe fictili prunis immiſta conduntur: idque vas anſatum ſimile anguſtæ ollæ figuratur, ita ut altera pars ſit acutior, per quam modico foramine fumus emanet: altera latior & ore patulo, per quam poſſit afflari. Talis olla cùm eſt alveari objecta, ſpiritu admoto fumus ad apes promovetur: quæ confeſtim, nidoris impatientes, in priorem partem domicilii, & interdum extra veſtibulum ſe conferunt. De quo etiam Plinius, libri undecimi capite decimo ſexto: Cùm eximuntur mella, apes abigi fumo utiliſſimum, ne iraſcantur, aut ipſæ avidè vorent. Fumo crebriore etiam ignavia earum excitatur ad opera. Nam ubi incubavere, favos liquidos faciunt. Rurſus nimio fumo inficiuntur, quarum injuram celerrimè ſentiunt mella, vel minimo contactu roris aceſcentia: & ob inter genera ſervatur quod acapnon vocant. *Bis gravidos*] Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo, hanc duplicem mellationem tradit, additque præterea: Cùm autem favos apiarii eximunt, cibi tantum relinquunt quantum per hyemem ſufficiat. Quod ſi ſatis ſit, ſervatur examen: ſin minùs, vel moritur ibidem, ſi, ne diſcedat, hyems obſtat: vel deſerit ſedem, ſi ſerenum nanciſcitur. Sed Varro triplicem inſtituit, libri tertii capite decimo ſexto: Quod ad paſtiones pertinere ſum ratus, quoniam dixi: nunc jam, cujus cauſſa adhibetur ea cura,

de fructu dicam. Eximendorum favorum ſignum ſumunt ex ipſis, cum plenas alvos habent: & cùm illos geminaverint, ex apibus conjecturam capiunt, ſi intus faciunt bombum, & cùm introeunt, ac foras trepidant: & ſi opercula alvi cùm remota ſint, favorum foramina obducta videntur mellis membranis. Cùm ſint repleti melle, in eximendo quidam dicunt oportere novem partes tollere, decimam relinquere: quòd ſi omne eximas, fore ut diſcedant. Alii hoc plus relinquunt, quam dixi. Ut in aratis, qui faciunt reſtibiles ſegetes, plus tollunt frumenti ex intervallis: ſic in alvis, ſi non quotannis eximas, aut non quoque multum, & magis his aſſiduas habeas apes, & magis fructuoſas. Eximendorum favorum primum putant eſſe tempus, Vergiliarum exortu: ſecundum, æſtate acta, antequam totus exoriatur Arcturus: tertium, poſt Vergiliarum occaſum. & ita, ſi fœcunda ſit alvus, ut ne plus tertia pars eximatur mellis, reliquum hyemationi relinquatur. Si verò alvus non ſit fertilis, ubi quid eximatur, exemptio cum eſt major, neque univerſam, neque palam facere oportet, ne deficiant animum. Ea vi, qui eximuntur, ſi qua pars nihil habet, aut habet inquinatum, cultello præſecatur. Plinius item triplicem mellationem ſequitur, decimoquarto & decimoſexto capitibus libri undecimi: primam, menſis Maji, xxx. diebus ab educto examine: ſecundam æſtivi vel horæi mellis, xxx. diebus poſt ſolſtitium: tertiam, Idibus Novembris.

Illis ira modum ſupra eſt: læſæque venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt
Affixa in venis, animasq; in vulnere ponunt.
Sin duram metues hyemem, parceſq; futuro,
Contuſoſque animos & res miſerabere fractas,

At

At ſuffire thymo, ceraſq; recidere inanes
Quis dubitet? nam ſæpe favos ignotus adedit
Stellio, lucifugis congeſta cubilia blattis:
Immuniſq; ſedens aliena ad pabula fucus,
Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis,
Aut durum tineæ genus: aut inviſa Minervæ
In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes.
Quò magis exhauſtæ fuerint, hoc acriùs omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntque foros, & floribus horrea texent.

Illis ira] Adhuc de apibus dictæ ferè ſunt cauſſæ, facta, ſubiecta, adjuncta: ſequuntur oppoſita mala, reliquo libro. Primum eſt, quòd aculeis infixis pereant: de quo ſic Ariſtoteles libri noni capite quadrageſimo: Intereunt quæ percuſſerint, quoniam ſine inteſtini eruptione aculeus eximi non poteſt. Sæpiùs enim evadunt, ſi, qui ictus eſt, curam adhibet, ut aculeus infixus junctus cum alvo extringatur: alioqui apis interit. Necant vel maxima animalia ictu ſui aculei. Jam equus occiſus ab apibus eſt. Sed principes minimè irritantur & feriunt. Quod etiam antè propoſuimus. Plinius idem repetit libri undecimi capite decimooctavo: Aculeum apibus natura dedit ventri conſertum. Ad unum ictum hoc infixo, quidam eas ſtatim emori putant: aliqui, non niſi in tantum adacto, ut inteſtini quippiam ſequatur: ſed fucos poſtea eſſe, nec mella facere, velut caſtratis viribus, pariterque & nocere & prodeſſe deſinere. Eſt in exemplis equos ab iis occiſos. *Sin duram*] Secundum malum, ex inopia mellis, & variis ejus prædonibus. Sententia autem primi verſus eſt: Si metuas hyemem, & parces futuro, & miſerabere. *Parceſque futuro*] Parſimonia hæc è tertià mellatione ſit: de qua ſic

de fructu dicam. Eximendorum favorum ſignum ſumunt ex ipſis, cum plenas alvos habent: & cùm illos geminaverint, ex apibus conjecturam capiunt, ſi intus faciunt bombum, & cùm introeunt, ac foras trepidant: & ſi opercula alvi cùm remota ſint, favorum foramina obducta videntur mellis membranis. Cùm ſint repleti melle, in eximendo quidam dicunt oportere novem partes tollere, decimam relinquere. quòd ſi omne eximas, fore ut diſcedant. Alii hoc plus relinquunt, quam dixi. Ut in aratis, qui faciunt reſtibiles ſegetes, plus tollunt frumenti ex intervallis: ſic in alvis, ſi non quotannis eximas, aut non quoque multum, & magis his aſſiduas habeas apes, & magis fructuoſas. Eximendorum favorum primum putant eſſe tempus, Vergiliarum exortu: ſecundum, æſtate acta, antequam totus exoriatur Arcturus: tertium, poſt Vergiliarum occaſum. & ita, ſi fœcunda ſit alvus, ut ne plus tertia pars eximatur mellis, reliquum hyemationi relinquatur. Si verò alvus non ſit fertilis, ubi quid eximatur, exemptio cum eſt major, neque univerſam, neque palam facere oportet; ne deficiant animum. Favi, qui eximuntur, ſi qua pars nihil habet, aut habet inquinatum, cultello præſecatur. Plinius item, triplicem mellationem ſequitur, decimoquarto & decimoſexto capitibus libri undecimi: primam, menſis Maji, xxx. diebus ab educto examine: ſecundam æſtivi vel horæi mellis, xxx. diebus poſt ſolſtitium: tertiam, Idibus Novembris.

Illis ira modum ſupra eſt: læſæque venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt
Affixa in venis, animasq; in vulnere ponunt.
Sin duram metues hyemem, parceſq; futuro,
Contuſoſque animos & res miſerabere fractas.

At

At ſuffire thymo, ceraſq; recidere inanes
Quis dubitet? nam ſæpe favos ignotus adedit
Stellio, lucifugis congeſta cubilia blattis:
Immuniſq; ſedens aliena ad pabula fucus,
Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis,
Aut durum tineæ genus: aut inviſa Minervæ
In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes.
Quò magis exhauſtæ fuerint, hoc acriùs omnes
Incumbent generis lapſi ſarcire ruinas,
Complebuntque foros, & floribus horrea texent.

Illis ira] Adhuc de apibus dictæ ferè ſunt cauſſæ, facta, ſubiecta, adjuncta: ſequuntur oppoſita mala, reliquo libro. Primum eſt, quòd aculeis infixis pereant: de quo ſic Ariſtoteles libri noni capite quadrageſimo: Intereunt quæ percuſſerint, quoniam ſine inteſtini eruptione aculeus eximi non poteſt. Sæpiùs enim evadunt, ſi, qui ictus eſt, curam adhibet, ut aculeus infixus junctus cum alvo extringatur: alioqui apis interit, Necant vel maxima animalia ictu ſui aculei. Jam equus occiſus ab apibus eſt. Sed principes minimè irritantur & feriunt. Quod etiam antè propoſuimus. Plinius idem repetit libri undecimi capite decimooctavo: Aculeum apibus natura dedit ventri conſertum. Ad unum ictum hoc infixo, quidam eas ſtatim emori putant: aliquí, non niſi in tantum adacto, ut inteſtini quippiam ſequatur: ſed fucos poſtea eſſe, nec mella facere, velut caſtratis viribus, pariterque & nocere & prodeſſe deſinere. Eſt in exemplis equos ab iis occiſos. *Sin duram*] Secundum malum, ex inopia mellis, & variis ejus prædonibus. Sententia autem primi verſus eſt: Si metuas hyemem, & parces futuro, & miſerabere. *Parceſque futuro*] Parſimonia hæc è tertià mellatione fit: de qua ſic

X 4

Varro: Si fœcunda ſit alvus, ut ne plus tertia pars eximatur mellis, reliquum hyemationi relinquatur: ſi verò alvus non ſit fertilis ubi quid eximatur, exemptio cùm eſt major, neque univerſam neque palàm facere oportet, ne deficiant animum. Quod item Plinius capite decimo ſexto libri undecimi, de mellatione eadem repetit: Relinqui ex ea duas partes apibus ratio perſuadet, & ſemper eas partes favorum quæ habeant erithacen. A Bruma ad Arcturi exortum diebus L X, ſomno aluntur ſine ullo cibo: ab Arcturi exortu ad æquinoctium vernum, tepidiore tractu jam vigilant: ſed etiam tunc alveo ſe continent, ſervatosque in id tempus cibos repetunt. Hæc igitur parſimonia modò ſignificatur. Columella libri noni capite decimo quarto aliud alimentum addit. Quidam exemptis interaneis, occiſas aves intus includunt, quæ tempore hyberno plumis ſuis deliteſcentibus apibus præbent teporem. Tum etiam, ſi ſunt abſumpta cibaria, commodè paſcuntur eſurientes, nec niſi oſſa earum relinquunt. Sin autem favi ſufficient, permanent illibatæ: nec, quamvis amantiſſimas munditiarum, offendunt odore ſuo. *Suffire*] De quo ſic Varro: Verno tempore & æſtivo ferè ter in menſe mellarius inſpicere debet, fumigans læviter eas: & à ſpurcitiis purgare alvum, & vermiculos ejicere. Idem Columella libri noni capite decimo tertio ex Ariſtomacho repetit, ut fumigentur apes. Et ex Plinio jam diximus fumo crebriore apes ab ignavia excitari. *Ceraſque*] Ibidem Columella ex eodem authore: Primùm omnes vitioſi favi tollantur, & cibus ex integro recens ponatur. Ibidem capite decimo quarto: Triceſimo die poſt peractum ſolſtitium, uſque in autumni æquinoctium, decimo quoque die alvi aperiendæ ſunt & fumigandæ. Quod cùm ſit moleſtum examinibus, ſaluberrimum tamen eſſe convenit. Suffitas deinde & æſtuantes apes refrigerare oportet, conſperſis vacuis partibus alvorum, & quàm recentiſſimi rigoris aqua infuſa. deinde, ſi quid ablui

ablui non poterit, pinnis aquilæ, vel etiam cujuſlibet vaſtæ alitis, quæ rigorem habent, emundari. Et huc videtur φαγέδαινα referri, de qua ibidem: Cùm vacuæ cerarum partes computreſcunt, & vitiis paulatim ſerpentibus, corrupto melle, ipſæ quoque apes intereunt. *Stellio*] De quo jam ſupra dictum eſt ad illum locum:

Abſint & picti ſqualentia terga lacerti.

Fabula autem pueri in Stellionem converſi, quinto Metamorphoſeos exponitur:

---- Latebraſq; petit, aptumq; colori
Nomen habet, varius ſtellatus corpora guttis
Stellio.

De quo, & ejuſmodi apum hoſtibus, Columella libri noni capite ſeptimo: Sic nec venenatus Stellio, nec obſcœnum ſcarabæi vel papilionis genus, lucifugæque blattæ, ut ait Maro, per laxiora ſpatia januæ, favos populantur. *Lucifugis*] Naturam vermiculorum expreſſit in balneis & humidis obſcuriſque locis naſcentium. vide Plinium libri viceſiminoni capite ſexto. Sunt autem blattæ, ut tineæ, libris inimicæ. Martialis libro decimoquarto:

Conſtrictos niſi das mihi libellos:
Admittam tineas, truceſque blattas.

Fucus] Fucus, favos & per ſe & cum apibus fingit: incubat etiam pullos, idque præcipuum eius opus eſt: ſed mellis nihil aut parum admodum facit, ut Ariſtoteles nono Hiſtoriæ, & Plinius de fucis capite undecimo. *Crabro*] Cujus ictus haud temerè ſine febri eſt. Authores ſunt, ter novenis punctis interfici hominem: Plinius libri undecimi capite viceſimoprimo. Idem ibidem capite decimooctavo: Impugnant apes naturæ ejuſdem

degeneres veſpæ atque crabrones, & è culicum genere qui vocantur Muliones. *Tinea*] Tinea, vermiculus naſcens è ſitu ac putredine: inimicus item libris, ut jam patuit ex Martiale: & apud Horatium eſt primo Epiſtolarum,

---& tineas paſces taciturnus inertes:

Columella libri noni capite decimo quarto de tineis alveorum ita ſcribit: Præterea ut tineæ, ſi apparuerint, everrantur, papiliones enecentur: qui plerumque inter alvos morantes, apibus exitio ſunt. Nam & ceras erodũt, & ſtercore ſuo vermes progenerant, quos alvorum tineas appellamus. ubi & modum inſtituit enecandorum papilionum. *Minerva*] Arachne puella de lanificii laude cum Minerva certavit. unde dea irritata,

Ter quater Idmoniæ frondem percuſſit Arachnes.
Non tulit infelix: laqueoq; animoſa ligavit
Guttura. pendentem Pallas miſerata levavit:
Atq; ita, Vive quidem, pende tamen improba, dixit:
Lexq; eadem pœna, ne ſis ſecura futuri,
Dicta tuo generi ſeriſq; nepotibus eſto.
Poſtea diſcedens, ſuccis Hecateidos herbæ
Sparſit; & exemplo triſti medicamine tactæ
Defluxere comæ: cum queis & naris & aures:
Fitq; caput minimum: toto quoq; corpore parva eſt.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent:
Cætera venter habet: de quo tamen illa remittit
Stamen, & antiquas exercet aranea telas.
Lydia tota fremit: Phrygiæq; per oppida facti
Rumor it, & magnum ſermonibus occupat orbem.

Aranei verò nihil conficiunt neque recondunt: ſed cibum ſolo venatu ſibi acquirunt: atque, ni apes favos incubent & concoquant, araneis vitiantur, & vermiculi gignuntur: ait Ariſtoteles in Hiſtoria, libri noni capite quadrageſimo. De quo Plinius item libri undecimi capite

capite decimo nono: Aranei quoque vel maximè hoſtiles, cùm prævaluere ut intexant, enecant alveos. Papilio etiam hic ignavus & inhonoratus, luminibus accenſis advolitans, peſtifer: nec uno modo. Nam & ipſe ceras depaſcitur: & relinquit excrementa, quibus teredines gignuntur. filis etiam araneoſa, quacunque inceſſit, alarum maximè lanugine obtexit. *Quo magis*] Remedia proponit velut certa: de quibus ſic Varro: Quòd non omnis tempeſtas ad paſtum prodire longiùs patitur, præparandus his cibus, ne tum melle cogantur ſolo viuere, aut relinquere exinanitas alvos. Igitur ficorum pinguium circiter decem pondo decoquunt in aquæ congiis ſex: quas coctas in offas propè apponunt. Alii aquam mulſam in vaſculis, propè ut ſit, curant: in quæ addunt lanam purpuream, per quam ſugant uno tempore, ne potu nimiùm impleantur, aut ne incidant in aquam. Singula vaſa ponunt ad alvos ſingulas, & hac ſupplentur. Alii uvam paſſam & ficum cùm pinſerunt, affundunt ſapam, atque ex eo factas offas apponunt ibi, cùm foras hyeme in pabulum procedere tamen poſſint. Quod idem Columella tam diligenter repetit: Melius tamen eſſe nos exiſtimamus tempore hyberno fame laborantibus, ad ipſos aditus in canaliculis, vel contuſam & aqua madefactam ficum aridam, vel defrutum aut paſſum præbere. Quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit, ut inſiſtentes apes, quaſi per ſiphonem, ſuccum evocent. Uvas etiam paſſas cum infregerimus, paulùm aqua reſperſas probè dabimus. Atque his cibariis non ſolùm hyeme, ſed etiam quibus temporibus (ut jam ſuprà dixi) tithymallus atque etiam ulmi florebunt, ſuſtinendæ ſunt. Poſt confectam Brumam diebus ferè quadraginta, quicquid eſt repoſiti mellis, (niſi liberalius à curatore relictum ſit) conſumunt: & ſæpe etiam vacuatis ceris, uſque in ortum Arcturi, qui eſt ab Idibus Ianuarii, jeiunæ favis accubantes torpent more ſerpentum, & quiete ſua ſpiritum conſervant, quem

tamen ne amittant, ſi longior fames inceſſerit, optimum eſt per aditum veſtibuli ſiphonibus dulcia liquamina immittere, & ita penuriam temporum ſuſtinere, dum Arcturi ortus, & hirundinis adventus commodiores polliceantur futuras tempeſtates.

Si verò (quoniam caſus apibus quoque noſtros
Vita tulit) triſti languebunt corpora morbo:
(Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis.
Continuò eſt ægris alius color: horrida vultum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent:
Aut intus clauſis cunctantur in ædibus omnes.
Ignavæq; fame, & contracto frigore pigræ.
Tum ſonus auditur gravior, tractimque ſuſurrant,
Frigidus ut quondam ſylvis immurmurat Auſter,
Vt mare ſollicitum ſtridet refluentibus undis,
Æſtuat ut clauſis rapidus fornacibus ignis)
Hîc jam galbaneos ſuadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultrò
Hortantem, & feſſas ad pabula nota vocantem.
Proderit & tunſum gallæ admiſcere ſaporem,
Arenteſque roſas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel Pſithia paſſos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, & graveolentia Centaurea.
Eſt etiam flos in pratis, cui nomen Amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba,
Namque uno ingentem tollit de ceſpite ſyluam:

Aureus

Aureus ipſe, ſed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ.
Aſper in ore ſapor. tonſis in vallibus illum
Paſtores, & curva legunt propè flumina Mellæ.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaq; in foribus plenis appone caniſtris.

Si verò] Tertium malum oppoſitum, è morbo. de quo ſic Varro: Cùm ſunt apes morbidæ, propter primores vernos paſtus, qui ex floribus nucis Græcæ & cornu fiunt, cœliacas fieri, atque urina pota refici. Quod idem Columella libri noni capite decimotertio repetit: Maximus autem annuus earum labor eſt initio veris, quo tithymalli floret frutex, & quo ſameram ulmi promunt. Namque ſicut novis pomis, ita his primitivis floribus illectæ avidè veſcuntur poſt hybernam famem, nil alioquin citra ſatietatem tali nocente cibo. quo cum ſe affatim repleverint, profluvio alvi, niſi celenter ſuccurritur, intereunt. Nam & tithymallus majorum quoque animalium ventrem ſolvit, & propriè ulmus apium. Columella his verbis aliam morbi ſpeciem definit, quàm Varro. cœliacus enim morbus eſt inteſtinorum, vel portæ inferioris & extremi ventriculi ſtomachi, qui pylorus Græcis dicitur. De hoc etiam apum morbo Plinius libri undecimi capite decimooctavo. Quin & morbos ſuapte natura ſentiunt. index eorum, triſtitia torpens, & cùm ante fores in teporem ſolis promotis aliæ cibos miniſtrant: cùm defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exequias. *Signis*] Sex morbi ſigna deſcribuntur, de quibus Varro: Sanitatis ſigna, ſi ſunt frequentes in examine, & ſi nitidæ, & ſi opus quod faciunt, eſt æquabile ac læve. Minùs valentium ſigna, ſi ſunt piloſæ & horridæ, ut pulverulentæ, niſi opificii eas urget tempus. tum enim propter laborem aſperantur ac maceſcunt.

De iis etiam Columella decimo tertio capite: Nec non etiam ille morbus maximè eſt conſpicuus, qui horridas contractasque carpit, cùm frequenter aliæ mortuarum corpora domiciliis ſuis efferunt: aliæ intra tecta, ut in publico luctu, mœſto ſilentio torpent. *Funera*] Ariſtoteles noni Hiſtoriæ capite quadrageſimo, id duobus locis affirmat, quòd apes defunctarum cadavera foras efferant. idemque Columella & Plinius repetunt, ut patuit. *Tum ſonus*] Illuſtratur ultimum ſignum tribus ſimilibus: cui tamen videtur Ariſtoteles ibidem contrarius eſſe, cùm ait: Dignoſcitur examen valere ſuſurri frequentia. Et eodem ſpectare videtur paulo antè citatus Columella, In publico luctu, mœſtoque ſilentio. *Hic jam*] Adduntur morbi remedia novem: de quibus Columella capite decimo tertio: Nos magis, ne intereant, quæ deinceps dicturi ſumus, ægris examinibus exhibenda cenſemus. Nam vel grana mali Punici tunſa, & vino Aminæo conſperſa, vel uvæ paſſæ cum rore Syriaco pari menſura pinſitæ, & auſtero vino inſuccatæ dari debent: vel ſi per ſe iſta fruſtrata ſunt, omnia eadem æquis ponderibus in unum lævigata, & fictili vaſe cum Aminæo vino infervefacta, mox etiam refrigerata, ligneis canalibus apponi. Nonnulli rorem marinum aqua mulſa decoctum, cùm gelaverit, imbricibus infuſum præbent libandum. Quidam bubulam vel hominis urinam (ſicut Hyginus affirmat) alveis apponunt. Et paulo poſt: Id cùm accidit, arundineis infuſi canalibus offeruntur cibi, maximè decocti mellis, & cum galla vel arida roſa detriti. Galbanum etiam ut ejus odore medicentur, incendi convenit, paſſoque & defruto vetere feſſas ſuſtinere. Optime tamen facit Amelli radix: cujus eſt frutex luteus, purpureus flos. ea cum vetere Aminæo vino decocta exprimitur, & ita liquatus ejus ſuccus datur. *Galbaneis*] Sic tertio Georgico,

Galbaneoq; agitare graves nidore chelydros.

Defruta] Defrutum, vinum eſt coctum uſque ad conſumptionem tertiæ partis: de quo Plinius libri deci-

nii

mi quarti capite nonageſimo ſecundo. *Pſithia*] De qua ſecundo Georgico:

Et paſſo Pſithia utilior----

Cecropiumq;] Sic paulò antè,

Cecropias innatus apes amor urget habendi.

Centaurea] Centauria vel Centaurium (pro quo hîc poëta Centaureum) herba eſt, Latinis Fel terræ dicta: eaq; aut major aut minor. *Graveolētia*] Lucretius libro quarto dixit,

Abrotoniq; graves, & triſtia Centaurea.

Eſt autem hîc hiatus in finali hypermetri, cùm in ſequenti verſu vocalis ſequitur, ut:

Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.

Eſt etiam] Nonum remedium ex Amello: qui plenè deſcribitur, herba pratenſis, variis caulibus ab una radice, flore aureo, foliis multis &, purpureis: coronaria, ſapore aſpera. Sic malus Punica libro ſecundo plenè deſcripta eſt. Hujus herbæ Columella meminit libri noni capite quarto, inter paſtiones apum: Mille præterea ſemina, vel crudo ceſpite virentia, vel ſubacta ſulco, flores amiciſſimos apibus creant, ut ſunt in irriguo ſolo frutices Amelli. Et idem capite decimo tertio: Optimè autem facit Amelli radix: cujus eſt frutex luteus, purpureus flos. ea cum vetere Aminæo vino decocta exprimitur, & ita liquatus ejus ſuccus datur. Quidam putant hanc herbam eſſe chamæmelum: alii chelidonium minus, quia habeat flores aurei ſplendoris, & in foliis purpureas maculas. Tu conſiderato & vires, non colores tantùm comparato. *Torquibus*] Metaphora pro coronis. *Tonſis in vallibus*] Repetit illud *In pratis*, quæ nempe tondentur in vallibus. *Mella*] Mella, fluvius eſt in Gallia togata prope Brixiam, emiſſus è monte Brauno, ut ait Pierius. *Odorato*] Quale eſt vetus Aminæum, quod hic Columella adhibet. *Caniſtris*] Synecdoche ſpeciei pro alia ſpecie: id eſt vaſculis, ut canaliculis.

Sed ſi quem proles ſubitò defecerit omnis,
Nec genus unde novæ ſtirpis revocetur, habebit,
Tempus & Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere, quoque modo cæſis jam ſæpe juvencis
Inſincerus apes tulerit cruor. altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine famam.
Nam, quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur ſua rura phaſelis:
Quaque pharetratæ vicinia Perſidis urget,
Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora,
Vſque coloratis amnis devexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio jacit arte ſalutem.
Exiguus primùm, atq; ipſos contractus ad uſus
Eligitur locus. hunc anguſtiq; imbrice tecti,
Parietibuſque premunt arctis: & quatuor addunt,
Quattuor à ventis, obliqua luce feneſtras.
Tum vitulus bima curvans jam cornua fronte
Quæritur, huic geminæ nares, & ſpiritus oris
Multa reluctanti obſtruitur: plagiſq; perempto
Tunſa per integram ſolvuntur viſcera pellem.
Sic poſitum in clauſo linquunt, & ramea coſtis
Subjiciunt fragmenta, thymum, caſiaſq; virentes.
Hoc geritur, Zephyris primùm impellentibus undas,
Antè novis rubeant quàm prata coloribus, antè
Garrula quàm tignis nidum ſuſpendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in oſſibus humor
Æſtuat: & viſenda modis animalia miris,

Tran-

Trunca pedum primò, mox & ſtridentia pinnis
Miſcentur, tenuemq; magis magis aëra carpunt:
Donec, ut æſtivis effuſus nubibus imber,
Erupêre: aut ut nervo pulſante ſagittæ,
Prima leves ineunt ſi quando prælia Parthi.
Quis Deus hanc, Muſæ, quis nobis extudit artem;
Unde nova ingreſſus hominum experientia cepit?

Sed ſi] Deinceps ad finem operis, inſtauratio apum penitus amiſſarum traditur, è putrefacto vituli ſanguine: ad eamq; rem Ariſtęi fabula latiſſimè deſcribitur. De hac autem reparatione Varro ita ſcribit: Primùm apes naſcuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait eas eſſe

--- *βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα.*

Item, *Ἵππων μὲν σφῆκες γενεά, μόσχων δὲ μέλισσαι.*

--- *Bovis corruptæ facti liberi.* Et,

Equorũ quidẽ veſpæ generatio, vitulorũ autẽ apes.

Columella quæſtionem hanc præterit, libri noni capite decimoquarto: Cæterum hoc eodem tempore progenerari poſſe apes juvenco perempto, Democritus & Mago, nec minùs Virgilius, prodiderunt. Mago quidem ventribus etiam bubulis idem fieri affirmat. Quam rationem diligentiùs proſequi, ſupervacuum puto, conſentiens Celſo, qui prudentiſſimè ait, non tanto interitu pecus iſtud admitti, ut ſic requirendum ſit. Idem capite decimotertio: Nam illud quod Hyginus majores ſecutus authores pdidit, ipſe non expertus, aſſeverare non audeo: volentibus tamen licebit experiri. Si quidem præcipit apum corpora, quæ, cùm ejuſmodi peſtis inceſſit, ſub favis acervatim enectæ reperiũtur, ſicco loco per hyemem repoſita, circa æquinoctium vernũ, cùm clementia diei ſuaſerit, poſt horam tertiam in ſolem proferre, ficulneoq; cinere obruere. Quo facto, affirmat intra duas horas, cùm vivido halitu caloris

animatæ ſunt, reſumpto ſpiritu in præparatum vas, ſi objiciatur, irrepere. Quod idem etiam Varro videtur tradere: Providendum vehementer, ne propter æſtum, aut propter frigus diſpereant. Si quando ſubito imbri in paſtu ſunt oppreſſæ, aut frigore ſubito, antequam ipſæ providerint id fore, (quod accidit raro, ut decipiantur) & imbris guttis uberibus offenſæ jacent proſtratæ & afflictæ: colligendum eas in vas aliquod, & reponendum in tecto loco ac tepido. Primum è die, quàm maximè tempeſtate bona, & cinere facto è ficulneis lignis, infriandum paulo plùs calido quàm tepidiore. Deinde concutiendum leviter, ut manu non tangas, & ponendæ in ſole. Quæ enim ſic concaluerunt, reſtituunt ſe ac reviviſcunt: ut ſolet ſimiliter fieri in muſcis aqua necatis. Hoc faciundum ſecundum alvos, ut reconciliatę, ad ſuum quęque opus & domicilium redeant. Plinius utrumque brevius libri undecimi capite viceſimo: Sunt qui mortuas, ſi intra tectum hyeme ſerventur, deinde ſole verno torreantur, ac ficulneo cinere toto die foveantur, putent reviviſcere. In totum verò amiſſas reparari, ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis. Virgilius juvencorum corpore exanimato, ſicut equorum veſpas atque crabrones, ſicut aſinorum ſcarabæos, mutante natura quædam ex aliis in alia. *Arcadii magiſtri*] Periphraſis Ariſtæi, qui regnavit in Arcadia: de quo plura poſtea. Hic autem invenit apes, mellis uſum & olei, lactis coagulum, ut Juſtinus libro decimo quarto. *Caſis*] Per plagas & verbera, ut paulo pòſt. *Altiùs*] Exordiolo utitur ad longiorem narrationem. *Nam qua*] Topographia maritimæ Ægypti circa Nili oſtia: ubi propter inundationes Nili, amiſſæ apes hac arte reparatæ primò ſunt. *Pellai*] Pella, urbs Macedoniæ, & regia Alexandri, à quo Alexandria vicina Canopo ædificata eſt: unde nunc Pellæus Canopus. *Canopi*] Canopus, parva inſula eſt, à quo oſtium Nili Canopicum vocatur. Nomen à Canopo, Menelai gubernatore illic ſepulto, factum eſt. Eſt autem Canopicum oſtium, è ſeptem oſtiis Nili ultimum, verſus occidentem.

dentem. *Stagnantem*] Stagni inſtar inundantem. Ægyptū enim Nilus irrigat, & cùm tota æſtate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitosque & oblimatos agros ad ſerendum relinquit, ait Cicero ſecundo De natura Deorum. *Phaſelis*] Navigiolis, quibus utuntur Ægyptii occupatis agris ſtagnante Nilo. *Quaque*] Periphraſis eſt Orientis, qua parte ſpectat Ægyptus Perſidem & ubi Peleuſiacum oſtium eſt. *Pharetrata*] Perſæ & Parthi ſagittis in prælio multum utuntur. unde fuit illud initio tertii Georgici:

Fidentemq; fuga Parthum, verſisq; ſagittis.

Et paulo pòſt erit:

----aut ut nervo pulſante ſagittæ.

Prima leves ineunt ſiquando prælia Parthi.

Hinc igitur pharetrata Perſis, tanquam pharetris (ſagittarum thecis) inſtructa. *Nigra*] Id eſt optima: quomodo ſecundo Georgico, terra nigra, optima deſcribitur:

Nigra fere & preſſo pinguis ſub vomere terra,
Et cui putre ſolum, (namq; hoc imitamur arando)
Optima frumentis.

Septem] Novem Nili ſunt oſtia apud Ptolomæum, tabula Africæ tertia: ſed duo falſa, quæ ſunt áb occaſu verſus Orientem: his nominibus, Heracleoticum ſeu Canopicum, Bolbitinum ſeu Sebennyticum, Pineptimi pſeudoſtomum, Diolcos pſeudoſtomum, Pathmeticum, Mendeſium, Taniticum, Peleuſiacum. *Indis*] Nili origo veteribus ignota fuit. nec miremur hic ab Indis repeti. Naſcitur autem in monte inferioris Mauritaniæ, non longè ab Oceano, ſtagnante ibi lacu, quem vocant Nilidem. Deinde condit ſe itinere aliquot dierum, rurſumque erumpit alio lacu majore in Mauritania Cæſarienſi. iterumque arenis receptus per deſerta, viginti dierum ſpatio, fertur ad proximos Æthiopas, & denuo proſilit fonte, qui Niger dicitur. Inde Africam ab Æthiopia diſterminans, medios ſecans Æthiopas, ſic pleraſque inſulas facit: quarum clariſſima eſt Meroë, cujus metropolis etiam Meroë vocatur. Poſtquam ſe aquis omni-

bus auxit, Nilus appellatur. denique multis oſtiis fertur in mare Ægyptium, Ægyptique inferiorem partem dextra lævaque diviſus, amplexu ſuo determinat: Canopico oſtio ab Africa, ab Aſia Peluſiaco. *Exiguus*] Deſcribitur ars reparandarum apum; primùm è ſubjecto loco, ubi id fiat. *Imbrice*] Imbrex, tegula curva eſt & obtorta; quales ſunt quæ tectorum faſtigiis ſuperponuntur. Hinc Imbricare verbum, id morem imbricum copulare. *Parietibusque*] Proceleuſmaticus eſt quatuor brevium, ubi duæ primæ pro longa ſunt aſſumendæ. Quomòdo uſurpatur ſecundo Æneidos,

Hærent parietibus ſcalæ---

& ſeptimo,

Parietibus textum cæcis iter---

Obliqua] Quæ ex obliquo aërem admittant. *Tum vitulus*] Secundus locus deſcriptionis, è vitulo ſuffocato, & verberibus exanimato: quæ materies eſt, & procreans quædam cauſſa. *Sic poſitum*] Tertius locus, de ſtirpibus apiariis, quæ ſunt adjuvantes cauſſæ. *Hoc geritur*] Quartus locus, ex circumſtantia verni temporis, quod hîc deſcribitur ex variis adjunctis. *Zephyris*] Sic primo Georgico:

Vere novo gelidus canis cùm montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit.

Rubeant] Sic Georgico ſecundo:

--- cùm vere rubenti
Candida venit avis, longis inviſa colubris.

Hirundo] Sic primo Faſtorum Ovidius:

Tunc blandi ſoles, ignotaq; rodit hirundo,
Et luteum celſa ſub trabe fingit opus.

Interea] Sequitur eventus antecedentium cauſſarum, è fœtura apum: & per partes generationis exponitur: de quibus antè dictum eſt, quomodo primùm vermiculi ſint, deinde nymphæ, tandem ruptis membranis evolent. *Ut æſtivus*] Illuſtratio è duobus ſimilibus, imbre æſtivo, & ſagittarum Parthicarum multitudine. *Nervo*] Chorda, amento. Sic Æneidos quinto,

Prima-

Primaq; per cœlum nervo ſtridente ſagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras.

Quis deus] Invocatio, ad attentionem, ex adjuncta rei magnitudine.

Paſtor Ariſtæus, fugiens Peneïa Tempe,
Amiſſis (ut fama) apibus morboq; fameque,
Triſtis ad extremi ſacrum caput adſtitit amnis,
Multa querens, atq; hac affatus voce parentem:
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes: quid me præclara ſtirpe deorum
(Si modò, quem perhibes, pater eſt Thymbræus Apollo)
Inviſum fatis genuiſti? aut quo tibi noſtri
Pulſus amor? quid me cœlum ſperare jubebas?
En etiam hunc ipſum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum & pecudum cuſtodia ſolers
Omnia tentanti extuderat, te matre relinquo.
Quin age & ipſa manu felices erue ſylvas:
Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes;
Vre ſata, & validam in vites molire bipennem,
Tanta meæ ſi te ceperunt tædia laudis,
At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit. eam circum Mileſia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore,
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Cæſariem effuſæ nitidam per candida colla.
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippeque, & flava Lycorias: altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores.
Clioq; & Beroë ſoror, Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ:
Atq; Ephyren, atque Opis, & Aſia Deïopeïa.

Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martiſq; dolos & dulcia furta:
Atq; Chao denſos divûm numerabat amores.
Carmine quo capta dum fuſis mollia penſa
Devolvunt: iterum maternas impulit aures
Luctus Ariſtæi: vitreiſq; ſedilibus omnes
Obſtupuere, ſed ante alias Arethuſa ſorores
Proſpiciens, ſumma flavum caput extulit unda:
Et procul, O gemitu non fruſtra exterrita tanto,
Cyrene ſoror. ipſe tibi, tua maxima cura,
Triſtis Ariſtæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrymans, & te crudelem nomine dicit.
Huic perculſa nova mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos: fas illi limina divûm
Tangere ait. ſimul alta jubet diſcedere latè
Flumina, qua juvenis greſſus inferret. at illum
Curvata in montis faciem circumſtetit unda,
Accepitq; ſinu vaſto, miſitq; ſub amnem.
Iamq; domum mirans genitricis, & humida regna,
Speluncisq; lacus clauſos, lucoſq; ſonantes,
Ibat: & ingenti motu ſtupefactus aquarum,
Omnia ſub magna labentia flumina terra
Spectabat diverſa locis Phaſimq; Lycumq;,
Et caput unde altus primùm ſe erumpit Enipeus,
Vnde pater Tyberinus, & unde Aniena fluenta,
Saxoſumq; ſonans Hypanis, Myſuſq; Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

Paſtor] Narratio perlonga contexitur, quomodo Ariſtæus

Ariſtæus matrem Cyrenen adierit:ab eaque ad Proteum miſſus ſit,à quo artem reparandarum apum didicerit. Hęc autem Ariſtæi fabula tractatur breviùs ab Ovidio primo Faſtorum:

Flebat Ariſtæus,quòd apes cum ſtirpe necatas,
Viderat inceptos deſtituiſſe favos.

Peneia Tempe] De iis jam dictum eſt ſecundo Georgico:

---- at frigida tempe.

Hæc autem Theſſalica loca Peneus fluvius interfluit, unde nunc Peneïa vocantur. *Morboque fameque*] ὕστερον πρότερον. Fames enim præcedit, indę morbus ſequitur,ut dictum eſt paulò antè. *Affatus*] Præparatio ad proſopopœiam proximam. *Mater Cyrene mater*] Epizeuxis. *Mater*] Primæ partis locus primus conqueſtionem habet Ariſtæi,ex adjuncta matris duritia: *Si mei oblita es, omnia mihi licet pereant.Sed primum;Secundum igitur.* Aſſumptionis ſententia antecedit. *Gurgitis*] Fluminis. ubi notabis, Cyrenen Penei fluminis nympham eſſe. *Si modo*] Parentheſis invidioſa, tanquam ficti & commentitii patris. *Thymbræus*] Thymbra, locus eſt vicinus Trojæ,ubi magna thymbræ herbæ copia. illic templum fuit Apollinis: unde nuncThymbræus. *Inviſum fatis*] Talis eſt querimonia primo Æneidos:

Nos tua progenies,cœli quibus annuis arcem.

Quid me cœlum] Hic collatio minorũ eſt: Quomodo honores cœleſtes ſperem, qui terreſtres retinere non poſſum? Inſequentibus autem verſibus Virgilius ſignificat Ariſtæum aratorem, paſtorem,apiarium,vinitorem fuiſſe. *Quin age*] Sententia propoſitionis, cum permiſſione invidioſa & deſperationis indice. *At Mater*] Secundus locus primæ partis, de Cyrenes vita & comitatu ſub aquis: ubi nympharum comitum lanificium, pulchritudo, habitus corporis pingitur. *Mileſia vellera*] De quibus ſecundo Georgico:

----quamvis Mileſia magno
Vellera mutentur,Tyrios incocta colores.

Hyali] ὕαλος Latinis Vitrum dicitur. Hinc color hya-

ſinus, id eſt, vitreus. Macrobius autem libro quinto Saturnal. inter Græca vocabula, quibus oblectatum fuiſſe Virgilium dicit, hunc etiam locum recenſet. *Saturo*] Pleno, abundanti: vel Saturo, id eſt, Tarentino, quia Saturum urbs eſt Tarento vicina, ubi baphia ſunt. *Drymoque*] Septemdecim nymphæ hîc præter Cyrenen memorantur: quibus nomina poëticè conficta ſunt: ut Servius putat: ratio tamen quædam reddi poteſt. *Drymo*] ἀπὸ τῶν δρυῶν, ab arboribus, quæ etiam ſub aquis finguntur paulò pòſt. *Xanthoque*] A colore xantho, id eſt, flavo. *Ligeaque*] λιγυρὸς, ſtridulus eſt: unde fortaſſis hoc nomen fictum. *Phyllodoceque*] Tanquam φύλλα δεχομένη, folia ſuſcipiens. *Neſæ*] ἀπὸ τοῦ νεῖν, à natando: vel à νῆσος, id eſt, inſula. *Spioque*] Σπεῖος, ſpecus eſt, ubi nymphæ habitare etiam mox dicentur. *Thaliaque*] θάλεια, celebritatem ſignificat. *Cymodoceque*] ἀπὸ τῶν κυμάτων, ab undis & fluctibus. Hic autem verſus idem repetitur quinto Æneidos. *Cydippeque*] Velut κῦδος ἵππων, gloria equorum. *Lycorias*] Velut à lupino habitu. λύκος enim, lupus. *Clioque*] ἀπὸ τοῦ κλείειν, à laudando & celebrando: una de novem Muſis nominatur, hiſtoriæ & rerum geſtarum ſtudio præfecta: unde illud de inventis Muſarum in Epigram. Virg.

Clio, geſta canens, tranſactis tempora reddit.

Oceanitides] Filiæ Oceani. *Ambæ*] Anadiploſis in fine & principio duarum ſententiarum: tum Epanalepſis in principio & fine ejuſdem. *Pictis pellibus*] Nebrides appellantur hæ veſtes, pelles cervinæ. *Ephyre*] A qua Corinthus primo nominata eſt. Hinc Ephyreia æra dicuntur ſecundo Georgico:

Illuſasque auro veſtes, Ephyreiaque æra.

Opis & Aſia] Hæc nomina primam ſyllabam producunt, quando perſonarũ propria ſunt. *Deiopeia*] Una è quatuordecim Junonis nymphis primo Æneidos efficitur:

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio jungam ſtabili, propriamq; dicabo.

Arethu-

Arethuſa] Quinto Metamorphoſeos fabula de Arethuſa venatrice & Dianę comite narratur: & initio decimę eclogæ de Arethuſa fonte Syracuſano dictum eſt. *Interea*] Interponitur nympharum oblectatio muſica, inter ſtudia lanificii. *Clymene*] Oceani & Tethyos filia, ut Heſiodus in Theogonia. *Vulcani Martiſque*] Hæc fabula narratur quarto Metamorphoſeos:

Ut venere torum conjux & adulter in unum,
Arte viri vincliſq; nova ratione paratis,
In mediis ambo deprenſi amplexibus hærent.

Chao] Quòd initio Metamorphoſeos deſcribitur:

Ante mare & terras, & (quod tegit omnia) cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos---

Iterum] Repetitur luctus Ariſtæi ad excitandum matrem, ad eumque Arethuſa internuntia efficitur. *Vitreiſq;*] Nunc Latinè dicit quod hyali verbo paulo antè Græcè dixerat. *Proſpiciens*] Hic verſus repetitur primo Æneidos, de Neptuno, ſed uno verbo mutatus:

Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.

Et procul] Ait, intellige: & proſopopœiæ ſequentis præparatio eſt. *Huic*] Reſpondit, intellige: & ad Cyrenes proſopopœiam præparatio eſt: qua Ariſtæus in antrum nympharum divinitus inducitur, aquis ultro cedentibus. ubi Servius myſteria quædam & ſacra Ægyptia recenſet: Nilo pueri de ſacris parentibus nati, à ſacerdotibus dabantur: qui cùm adoleviſſent, redditi narrabant lucos eſſe ſub terris, & immenſam aquam omnia continentem, ex qua cuncta procreantur. unde eſt illud paulo pòſt ſecundum Thaleta, *Oceanumque patrem rerum.* *Omnia*] Hoc figmentum continet phyſicam illam opinionem de origine fluminum & fontium: de qua Ariſtoteles in Meteoris libri primi capite decimo ſexto: quòd aqua multa in terram veluti in magnam aliquam ciſternam confluat hyberno tempore, unde fluvii omnes oriantur. *Phaſimque*] Illuſtratio per inductionem octo exemplorum. Phaſis autem, fluvius eſt Colchidis, naviga-

bilis quamlibet magnis navigiis, triginta octo millia paſſuum, pontibus centum, & viginti pervius. ait Plinius libri ſexti capite quarto. *Lycumque*] Lycus, fluvius eſt Lyciæ, cui Laodicea impoſita eſt: Plinius libri quinti capite viceſimoſeptimo. *Enipeus*] Fluvius Theſſaliæ: de quo Lucanus libro ſeptimo:

Sanguine Romano quàm turbidus ibit Enipeus.

Pater Tyberinus] Honoris cauſſa ſic appellatur, ut paulò antè, Peneus genitor. *Aniena*] Anio, fluvius in agro Tyburtino. de quo Propertius libro tertio:

Hic Anio Tyburne fluis ----

Dicitur etiam Anien. Statius libro primo:

Quas præceps Anien, atq; exceptura natatus
Virgo juvat.

Hinc Anienus, a, um, adjectivum. *Saxoſumque ſonans*] Aſperum & vehementem ſonum edens. *Hypanis*] Fluvius Sarmatiæ, quadraginta millia paſſuum ſapore dulciſſimo profluens: deinde Exampæus fonticulus illi admiſtus amarum facit. Vitruvius libri octavi capite tertio. *Myſusque Caicus*] Caicus fluvius eſt Phrygiæ, è Myſia tamen veniens: Plinius libri quinti capite triceſimo. *Eridanus*] Fluvius Italiæ, qui & Padus, profluens è gremio Veſuli montis, condenſque ſe cuniculo: iterumque in Forovibienſium agro exoriens, nulli amnium claritate inferior: nec amnes tantùm Apenninos Alpinoſque navigabiles capiens, ſed lacus quoque immenſos in eum ſeſe exonerantes: omni numero triginta flumina in mare Adriaticum defert, oſtiaque quinque efficit, Paduſſam, Vatrenum, Caprafias, Sagim, Volanem: Plinius libri tertii capite decimoſexto. *Auratus*] E cœleſti imagine epithetum dictum eſt. Eridanus enim triginta quatuor ſtellis inſignitum ſidus in cœlo eſt. *Taurino*] Hoc ad fluminis violentiam & rapiditatem refertur: de qua fuit antea primo Georgico:

Proluit inſano co:. torquens vortice ſylvas,

Fluviorum

Fluviorum rex Eridanus: campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit.

Et proximo verſu rurſum. *Cornua*] Ripas intellige geminas, quibus hic intercluditur fluvius, ut taurinus vultus cornibus. *Mare purpureum*] Adriaticum intellige, & cæruleum, ut Homerus ἅλα πορφυρέοσαν.

Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, & nati fletus cognovit inanes
Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonſiſque ferunt mantilia villis.
Pars epulis onerant menſas, & plena reponunt
Pocula: Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.
Et mater, Cape Mæonii carcheſia Bacchi:
Oceano libemus, ait. ſimul ipſa precatur
Oceanumq; patrem rerum, Nymphasque ſorores,
Centum quæ ſylvas, centum quæ flumina ſervant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam:
Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, ſic incipit ipſa:
Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piſcibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Æmathiæ portus, patriamq; reviſit
Pallenen: hunc & Nymphæ veneramur, & ipſe
Grandævus Nereus novit namq; omnia vates,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur,
Quippe ita Neptuno viſum eſt, immania cujus
Armenta & turpes paſcit ſub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi cauſſam, eventuſque ſecundet:

Nam ſine vi non ulla dabit præcepta: neque illum
Orando flectes. vim duram & vincula capto
Tende: doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipſa ego te, medios cùm ſol accenderit æſtus,
Cùm ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt,
In ſecreta ſenis ducam, quo feſſus ab undis
Se recipit: facilè ut ſomno aggrediare jacentem.
Verùm ubi correptum manibus vinclisq́ue tenebis,
Tum variæ illucent ſpecies, atque ora ferarum.
Fiet enim ſubitò ſus horridus, atraq́ue tigris,
Squammoſusq́ue draco, & fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ ſonitum dabit: atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.
Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris incepto tegeret cùm lumina ſomno.
Hæc ait: & liquidum Ambroſiæ diffudit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit. at illi
Dulcis compoſitis ſpiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. ----

Poſtquam] Secunda pars narrationis, de Ariſtæo ad Proteum mittendo: in qua primùm inſtruitur nympharum convivium, meditatione rerum ſacrarum & veneratione. *Liquidos*] Sic primo Æneidos:

> *Dant famuli manibus lymphas, Cereremq́ue caniſtris*
> *Expediunt, tonſisq́ue ferunt mantilia villis.*
> *Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo*
> *Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates:*
> *Centum aliæ, totidemq́ue pares ætate miniſtri,*
> *Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.*

Panchaïs

Panchaiis ignibus] Periphraſis eſt thuris: de quo fuit ſecundo Georgico:

Totaq; thuriferis Panchaia pinguis arenis.

Adoleſcunt] Incenduntur. *Mæonii*] Lydii. Mçonia ſiquidem Lydia dicitur, regio Aſiæ cinerulenta, & tota arboribus carens, excepta vite, ut ait Strabo. Mæonium igitur vinum hîc pro excellenti poſitum eſt. *Carcheſia*] Pocula, crateras. Sic ecloga quinta in libatione conſimili:

Vina, novum fundam calathis Arviſia nectar.

Et quinto Æneidos:

Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho.

Oceanumq; patrem] Sic Iliados α.

Ὠκεανόν τε θεῶν γενέτην, καὶ μητέρα Τηθύν.

Oceanumq; deorum genitorem & matrem Tethyn.

Sic Thales aquam, & theologi veteres Oceanum principium rerum eſſe dixerunt, ait Ariſtoteles libro primo Philoſophiæ. *Ter liquido*] Sic ternarius ecloga octava arcanæ religionis quiddam habuit:

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circundo: terq; hæc altaria circum
Effigiem duco. Numero deus impare gaudet.

Et paulo poſt,

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores.

Veſtam] Metonymia pro igne.

Nec tu aliud Veſtam quàm puram intellige flammam:
Nataq; de flamma corpora nulla vides:

ait Ovidius ſexto Faſtorum. *Reluxit*] De hoc augurio dictum eſt ecloga octava ad illum verſum;

Aſpice: corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe. Bonum ſit.

Eſt in Carpathio] Reſponſum Cyrenes matris, veluti Oceani numine afflatæ, de adeundo Proteo: qui primùm definitur deus maris Carpathii, diis marinis venerabilis, propter divinationem: paſtor etiam phoca-

rum. Sic Ovidius:

Cærula quem genitrix ægrè ſolata dolentem,
Addidit hæc dictis ultima verba ſuis:
Siſte puer lacrymas, Proteus tua damna levabit:
Quoque modo repares quæ periere, dabit.

Eſt autem in Cyrenes reſponſo, ſyllogiſmi cujuſdam propoſitio:

Si Proteus ſopitus meridie æſtivo conſtringatur,
verum reſpondebit.

Bipedum] Dii marini fingebantur prima parte equi, poſtrema piſces. *Æmathia*] Theſſaliæ, in qua primo regnaſſe Proteus dicitur. *Pallenen*] Urbem in litore Macedoniæ. *Quæ ſint*] Verſus eſt è primo Iliados tranſlatus:

Ὅς γ' ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.
Qui novit & præſentia, & futura, & præterita.

Quippe] Confirmatio, & ratio divinationis, è teſtimonio Neptuni, cujus Proteus eſt paſtor. *Phocas*] De quibus tertio Georgico:

---- *inſolitæ veniunt in flumina phocæ.*

Hic tibi] Modus conſulendi Protei, è vi, & veluti quæſtione, qua cogatur ad veri confeſſionem. Sic Ovidius:

Decipiat ne te variis tamen ille figuris:
Impediant geminas vincula firma manus.

Morbi cauſſam] Hic duplex eſt finis oraculi, mali cognitio & remedium. *Vim duram*] E contrariis argumentum eſt: Non flectes precibus: vim igitur adhibeto. *Ipſa ego*] Ducitur Ariſtæus à matre, quo faciliùs Proteus capiatur. *Medios*] Periphraſis eſt meridiei æſtivi, quo tempore ferè numina videri ſoleat, ut ait Servius: ad idque Lucanum adhibet:

---- *medio cùm Phœbus in axe eſt,*
Aut cœlum nox atra tenet, tunc ipſe ſacerdos
Acceſſum dominumque timet deprendere luci.

Umbra] ut ſuperiore libro dictum eſt:

Æſtibus

Æſtibus ac mediis umbroſam exquirere vallem.

Senis] Dii marini ſenes finguntur & cani, propter ſpumam maris. *Somno aggrediare jacentem*] Ecloga ſexta ſic fuit:

Silenum pueri ſomno videre jacentem.

Verùm] Repetitur modus cogendi Protei, & remedium adverſus ſophiſmata. *Tum varia*] Sic primo Georgico:

Tum variæ illudant peſtes ----

Fuit autem Proteus rex Ægypti: de quo Diodorus libro ſecundo ſic ait: Cùm Ægyptus rege careret, ex dignioribus quidam in regem aſſumptus eſt, quem Ægyptii Cetea, Græci Proteum appellant: qui Iliaci belli tempore extitit. Hunc artium peritum fuiſſe tradunt, & in varias ſe formas vertere ſolitum, ut nunc animal, quandoq; arbor, aut ignis, aut quid aliud videretur. Conſuetudo autem regibus Ægyptiis cauſſam hujuſmodi tranſmutationes fingendi præbuit. Nam Ægyptiis mos erat regibus, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, inſignia principatus: quandoque verò arborem, aliquando ignem, quandoque redolentia ſupra caput ſuffimenta. Hæc tum ad decorem ſpectabant atque ornatum, tum ſtuporem ac ſuperſtitionem quandam aſpicientibus injiciebant. Virgilius tamen etiam paulo ante ſignificavit in Carpatho & Æmathia regnaviſſe. Uſurpatur autem Protei nomen in proverbium, Πρωτέως ποικιλώτερος: & ſic Horatius primo Epiſtolarum:

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Vide Eraſmum in Chiliadibus de hoc proverbio. *Et liquidum*] Perfunditur Ariſtæus ambroſia, ut ſit gratior & robuſtior: quod utrunque aliptes, id eſt, unctor, præſtat, ut Cicero comparatione quadam ad Lentulum ſignificat: Qui me homines quòd ſalvum eſſe voluerunt, eſt mihi gratiſſimum: ſed vellem non ſolùm ſalutis meæ, quemadmodum medici, ſed ut aliptæ, virium & coloris rationem habere voluiſſent. *Ambroſia*] Ambroſia

herba eſt, quam alii Botrym, alii Artemiſiam vocant, teſte Dioſcoride? Plinius libri viceſimi ſeptimi capite quarto: Poëtæ fabulantur ambroſiam appellari cibum deorum, quemadmodum nectar, potum. Videtur autem compoſitum nomen ad immortalitatis ſignificationem. Nam α, privativa particula eſt, & βροτὸς, mortalis dicitur: ut μ euphoniæ gratia interpoſitum ſit, ſicut nectar, à νη & κτείνω, non occido. Hinc illud Ovidii primo de Ponto:

Nectar & ambroſiam, latices epulasq; deorum,
Det mihi formoſa grata Iuventa manu.

Et Martialis:

Iupiter ambroſia ſatur eſt, & nectare vivit:

Spiravit] Sic primo Æneidos ex eadem cauſſa:

Ambroſiaq; coma divinum vertice odorem
Spiravere: pedes veſtis defluxit ad imos.

----Eſt ſpecus ingens
Exeſi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur, inq; ſinus ſcindit ſeſe unda reductos:
Deprenſis olim ſtatio tutiſſima nautis.
Intus ſe vaſti Proteus tegit obice ſaxi.
Hic juvenem in latebris averſum à lumine Nympha
Collocat: ipſa procul nebulis obſcura receſſit.
Iam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos
Ardebat cœlo, & medium Sol igneus orbem
Hauſerat: arebant herbæ, & cava flumina ſiccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Cum Proteus conſueta petens è fluctibus antra
Ibat. eum vaſti circum gens humida ponti
Exultans, rorem latè diſpergit amarum:
Sternunt ſe ſomno diverſo in littore phocæ:
Ipſe (velut ſtabuli cuſtos in montibus olim,
Veſper ubi è paſtu vitulos ad tecta reducit,

Auditis-

Auditiſq; lupos acuunt balatibus agni)
Conſedit ſcopulo medius, numerumq; recenſet.
Cujus Ariſtæo quoniam eſt oblata facultas,
Vix defeſſa ſenem paſſus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisq; jacentem
Occupat. ille ſuæ contrà non immemor artis,
Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignemq;, horribilemq; feram, fluviumq; liquentem.
Verùm ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In ſeſe redit, atque hominis tandem ore locutus:
Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos? quidve hinc petis? inquit. at ille,
Scis Proteu, ſcis ipſe: neque eſt te fallere cuiquam:
Sed tu deſine velle. Deûm præcepta ſecuti
Venimus huc, lapſis quæſitum oracula rebus.
Tantum effatus.

Eſt ſpecus] Topographia, qua deſcribitur antrum Protei. *Averſum*] Ne conſpici poſſit à Proteo. *Jam rapidus*] Adhuc ſyllogiſmi propoſitio fuit: *Si Proteus ſopitus meridie æſtivo conſtringatur, verum reſpondebit.* Deinceps facti eſt aſſumptio: ac primum meridies æſtivus deſcribitur ex cauſſis & effectis. *Sirius*] Stella eſt in ore Caniculæ: cujus exortu præcipui ſunt ardores æſtatis. Sic tertio Æneidos:

----tum ſteriles exurere Sirius agros:
Arebant herbæ----

Tum Proteus] Pars aſſumptionis, de ſomno Protei, ubi decori gratia phocarum comitatus additur. *Gens humida*] Tertio Georgico:

Jam maris immenſi prolem, & genus omne natantum

Item, *Et genus æquoreum----*

Amarum] Salſum. *Phocæ*] De quibus antea bis,

----inſolitæ veniunt in flumina phocæ.

Et, ----*turpes paſcit ſub gurgite phocas.*

Ipſe] Illuſtratio per ſimilitudinem, tanquam bubulcus terrenorum, & Proteus marinorum vitulorum paſtores ſimiles ſint. *Veſper*] Sic paulo antè,

Veſper ubi è paſtu tandem decedere campis
Admonuit----

Recenſet] Sic ecloga tertia:

Biſq; die numerant ambo pecus, alter & hœdos.

Et 6 Æneid. ----*omnemq; ſuorum*
Fortè recenſebat numerum---

Cujus] Tertia pars aſſumptionis, de vinculis & fallaciis. *Manicisq;*] Vinculis manuum. Sic Æneid. 2,

----*manicas atq; arcta levari*
Vincla jubet Priamus---

Transformat] Sic Ovidius primo Faſtorum:

Pervenit ad vatem juvenis, reſolutaq; ſomno
Alligat æquorei brachia capta ſenis.
Ille ſuam faciem transformat, & alterat artes
Mox domitus vinclis, in ſua membra redit.

Verùm] Sententia complexionis deinceps exponitur, de oraculo Protei: ſed decori gratia vates vinculorum cauſſam ſciſcitatur. *At ille*] Cauſſa de rebus expoſitis breviter exponitur, adhibita præfatione ſcientiæ divinæ. *Deſine velle*] Cauſſam inquirere. Hæc enim eſt ellipſis. *Deum*] Matris Cyrenes.

--- *Adhæc vates vi deniq; multa*
Ardentes oculos intorſit lumine glauco,
Et graviter frendens, ſic fatis ora reſolvit:
Non te nullius exercent numinis iræ:
Magna lues commiſſa, tibi has miſerabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum pœnas (ni fata reſiſtant)
Suſcitat & rapta graviter pro coniuge ſævit.
Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella

Servantem

Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos
Implerunt montes, flerunt Rhodopeiæ arces,
Altaque Pangæa, & Rheſi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, atque Actias Orithyia.
Ipſe cava ſolans ægrum teſtudine amorem,
Te dulcis conjux, te ſolo in littore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias etiam fauces, alta oſtia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus maneſq; adiit, regemq; tremendum,
Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda.
At cantu commotæ, Erebi de ſedibus imis
Umbræ ibant tenues, ſimulacraq; luce carentum:
Quam multa in ſylvis avium ſe millia condunt,
Veſper ubi aut hybernus agit de montibus imber:
Matres atque viri, defunctaq; corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri innuptæq; puellæ,
Impoſitiq; rogis juvenes ante ora parentum.
Qos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaq; palus inamabilis unda
Alligat, & novies Styx interfuſa coercet.
Quin ipſæ ſtupuere domus, atq; intima Lethi
Tartara, cæruleoſq; implexæ crinibus angues
Eumenides: tenuitq; inhians tria Cerberus ora.
Atque Ixionei vento rota conſtitit orbis.
Iamque pedem referens, caſus evaſerat omnes.
Redditaq; Eurydice ſuperas veniebat ad auras,
Pone ſequens: (namq; hanc dederat Proſerpina legem)
Cùm ſubita incautum dementia cepit amantem,

Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes.
Reſtitit, Eurydicemq; ſuam jam luce ſub ipſa,
Immemor, heu, victusq; animi, reſpexit. ibi omnis
Effuſus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, terq; fragor ſtagnis auditus Avernis.
Illa, Quis & me, inquit, miſeram, & te perdidit Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant: conditq; natantia lumina ſomnus.
Jamq; vale, feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasq; tibi tendens, heu, non tua, palmas.
Dixit: & ex oculis ſubitò, ceu fumus in auras
Commiſtus tenues, fugit diverſa: neque illum
Prenſantem nequicquam umbras, & multa volentem
Dicere, præterea vidit: nec portitor Orci
Ampliùs objectam paſſus tranſire paludem.
Quid faceret? quo ſe rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, qua numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menſes,
Rupe ſub aëria, deſerti ad Strymonis undam
Fleviſſe, & gelidis hæc evolviſſe ſub antris,
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus;
Qualis populea mœrens Philomela ſub umbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit. at illa
Flet noctem, ramoq; ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis latè loca queſtibus implet.
Nulla Venus, nulliq; animum flexere Hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimq; nivalem,
Arvaq; Riphæis nunquam viduata pruinis

Luſtra-

Luſtrabat, raptam Eurydicen atq; irrita Ditis
Dona querens. ſpretæ Ciconum quo munere matres
Inter ſacra Deûm, nocturniq; Orgia Bacchi
Diſcerptum latos juvenem ſparſere per agros.
Tum quoque marmorea caput à cervice revulſum,
Gurgite cùm medio portans OEagrius Hebrus
Volveret Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,
Ah miſeram Eurydicen anima fugiente vocabat,
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Ad hæc] Præparatio ad proſopopœiam oraculi, ex adjuncto quodam furore numinis. Qualis afflatio ſexto Æneidos in Sibylla copioſè deſcribitur:

---- Deus, ecce Deus. cui talia fanti
Ante fores ſubitò non vultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorq; videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Jam propiore Dei ----

Frendens] Dentibus fremens & ſtridens. Frendere autem propriè eſt frangere. Varro De re ruſt. lib. 2. c. 4. Amiſſo nomine lactentis, dicuntur nefrendes, ab eo quòd nondum fabam frendere poſſint. Hinc Frendeo, vel Frendo, pro dentibus concuſſis fremo aut ſtrideo. Sic Plaut. in Captivis: *Ita frendebat dentibus.* Et idem in Truculento:
Traxit ex intimo ventre ſuſpirium: hoc vide, dentib. frendit;
Icit femur. ---

Non te] Oraculũ Protei, de cauſſa amiſſarum apum: quia Ariſtæus Eurydicæ cauſſam mortis attuliſſet: unde Nymphæ ſorores iratæ apes ejus interemiſſent. *Orpheus*] De quo fuit ecloga tertia:

Orpheaq; in medio poſuit, ſylvaſq; ſequentes.

Deinde quarta:

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus.

Et 6. *Nec tantum Rhodope miratur & Iſmarus Orphea.*

Fabula autem hæc tota exponitur ab Ovidio, decimo Metamorphoſeos. *Fata*] Patris Apollinis & Cyrenes matris. *In herba*] Sic ecloga tertia:

Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

At chorus] Planctus Nympharum, è ſubjectis locis exponitur. *Rhodopeïa*] Rhodope, mons Thraciæ. *Pangæa*] Pangæus, promontorium Thraciȩ magnum & excelſum, junctum Macedoniæ: plurali numero Pangæa. *Rheſi*] Quam poſtea Rheſus rex tenuit. Orpheus enim fingitur antiquior bello Iliaco, quo Rheſus interemptus eſt. De quo eſt primo Æneidos:

Neç procul hinc Rheſi niveis tentoria velis
Agnoſcit lacrymans, primo quæ prodita ſomno,
Tydides multa vaſtabat cæde cruentus:
Ardenteſq; avertit equos in caſtra, prius quàm
Pabula guſtaſſent Trojæ, Xanthumq; bibiſſent.

Mavortia tellus] Periphraſis eſt Thraciæ: quæ gens bellicoſa eſt, & in qua eſt Conſtantinopolis, imperii magni caput. *Getæ*] De quibus tertio Georgico, pag. 268. *Hebrus*] Fluvius Thraciæ, de quo iterum paulò poſt:

Gurgite cùm medio portans OEagrius Hebrus.

Actias] Ἀκτὴ, & latina forma Acte, dictus eſt, ut ecloga ſecunda dictum eſt in illo verſu:

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Hinc Attica, Acte dicta eſt, quia maxima illius pars in litus porrigitur, ut Strabo exprimit libro nono: Alii putant Acten dictam ab Actæone, ſive Actæo rege. Hinc Actias, pro Attica vel Athenienſis. *Orithyia*] Filia Erichthonii regis Athenienſium, rapta à Borea in Thraciam: ex qua peperit Zethum & Calaim. *Ipſe cava*] Luctus Orphei ex effectis exponitur, quòd non deſtiterit aſſiduè canendo, Eurydicen lamentari: & ab inferis uſque repetiverit. *Te*] Apoſtrophe eſt ad Eurydicen. *Tænarias*] Tænarus, promontorium Laconiæ, magnis latumiis altiſſimè defoſſum, unde fictus deſcenſus ad inferos. *Regemque trementum*] Periphraſis eſt Ditis, ſeu Plutonis. *Neſciaque*] Ad exitum reſpexit. nam hic manes miteſcunt.

At

At cantu] Fingit Orphei muſica captos manes; idque partium inductione proſequitur. Tota autem hæc Orphei muſica ad politicam ſcientiam ab Horatio in arte poëtica refertur:

Sylveſtres homines ſacer interpreſq; Deorum,
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.
Dictus ob id lenire tigres rapidoſq; leones.

Erebi] Erebus, propriè obſcuritas quædam eſt: à verbo ἐρέφω, id eſt tego. Ex Erebo autem & Nocte nati feruntur Amor, Dolus, Labor, Metus, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebræ, Miſeria, Querela, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcæ, Heſperides, Somnia, ut ait Cicero de Nat. deorum. *Simulacraque luce carentum*] Periphraſis eſt mortuorum, ut Metam. 10. de re eadem:

Perq; leves populos, ſimulacraq; functa ſepulcro.

Quàm multa] Comparatio ad explicandam multitudinem animarum: quæ cum tota ſententia repetitur ſexto Æneidos:

Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat:
Matres atq; viri, defunctaq; corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri innuptæq; puellæ,
Impoſitiq; rogis juvenes ante ora parentum:
Quàm multa in ſylvis Autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto,
Quàm multa glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.

Cocyti] De quo fuit initio tertii Georgici, pag. 215.

Inamabilis] Hoc hemiſtichium cum ſequente verſu repetitur ſexto Æneidos:

Fata obſtant, triſtiq; palus inamabilis unda
Alligat, & novies Styx interfuſa coërcet.

Inamabilis] Virgilius dixit Inamabilem Styga, privatione amoris, ut tertio Georgico illaudatum, privatione laudis. vide Gellium libri ſecundi capite ſexto. *Styx*] Styx Stygos, Arcadiæ palus eſt, & eodem nomine fingitur apud inferos: à verbo στυγεῖν metuere: vel à nomine στυγερὸς, triſtis: tanquam hoc nomine triſtitia ſignificetur.

Lethi] Mortis. *Tartara*] De quibus primo Georgico:

----nec te ſperent Tartara regem.

Tartarus autem demiſſior eſt inferni locus. *Eumenides*] De quibus primo Georgico:

----quintam fuge. pallidus Orcus
Eumenideſq; ſata tum----

Cerberus] κρεοβόρος, à voranda carne Cerberus fingitur: de quo ſexto Æneidos:

----Ille fame rabida, tria guttura pandens.

Vento] Quò priùs movebatur. *Jamque*] Orpheus Eurydicen recepit: ea lege ut, ſi eam reſpexerit, amittat. at reſpexit: amiſit igitur. *Proſerpina*] Plutonis uxor, inferorum regina. *Ignoſcere*] Sic paulo antè:

Neſciaq; humanis precibus manſueſcère corda.

Reſtitit] *Hic ne deficeret metuens, avidusq; videndi,*
Flexit amans oculos, & protinus illa relapſa eſt:

Ovidius decimo Metamorphoſeos. *Ibi omnis*] Sententia complexionis illuſtratur Eurydices querimonia. *Immitis tyranni*] Periphraſis Plutonis. *Terque fragor*] Lucanus id ad lætitiam retulit:

----gaudent à luce relictam
Eurydicen, iterum ſperantes Orphea Manes.

Avernis] Avernus, Campaniæ palus juxta Bajas, quem Plutoni dicatum arbitrabantur, & ad inferos introitum, ſicut de Tænaro paulo antè diximus. *Dixit*] Illuſtratio altera, è ſimilibus & adjunctis. *Portitor Orci*] Definitio eſt Charontis: de quo ſexto Æneidos:

Portitor has horrendus aquas & flumina tranat,
Horribili ſqualore Charon----

Orcus autem, fluvius eſt Theſſaliæ, influens in Peneum, ſed olei inſtar ſupernatans, brevique ſpatio abdicatus, ut Homerus ſcribit ſecundo Iliados. De hoc autem ſimiliter Ovidius decimo Metamorphoſeos:

Orantem, fruſtraq; iterum tranſire volentem
Portitor arcuerat----

Rapta bis conjuge] Sic Ovidius ibidem:

Bis rapitur, vixitq; ſemel----

Quid

Quid faceret] Tertia illuſtratio ex Orphei lamentabili cantu, & variis ejus adjunctis. *Strymonis*] Fluminis Thraciæ, de quo fuit primo Georgico, pag. 49.

Fleviſſe] Sic ibidem Ovid. --- *ſeptem tamen ille diebus*
Squalidus in ripa, Cereris ſine munere ſedit:
Cura, dolorq; animi, lacrymæq;, alimenta fuere.

Qualis] Similitudo Philomelę plorantis amiſſos fœtus, ad augendum ſimilem Orphei luctum. *Philomela*] De qua fuit ecloga 6. *Quas illi Philomela dapes* --- Latinis autem Luſcinia eſt, ut Martialis decimoquarto libro de Luſcinia:

Flet Philomela nefas inceſti Tereos: & , quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

In cujus muſica declaranda Plinius libri decimi capite viceſimonono copioſè & magnificè philoſophatur. Locum integrum ſubjiciam: Luſciniis diebus ac noctibus continuis xv. garrulus ſine intermiſſu cantus, denſante ſe frondium germine, non in noviſſimum digna miratu ave. Primùm tanta vox tam parvo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus: deinde in una perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus, & nunc continuò ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur inciſo, copulatur intorto, promittitur revocato, infuſcatur ex inopinato: interdum & ſecum ipſe murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extentus: ubi viſum eſt, vibrans, ſummus, medius, imus. Breviterque, omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit: ut non ſit dubium, hanc ſuavitatem præmonſtratam efficaci auſpicio, cùm in ore Steſichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis eſſe, plures ſingulis ſunt cantus: & non iidem omnibus, ſed ſui cuique. Certant inter ſe, palamq; animoſa contentio eſt. Victa, morte finit ſæpe vitam, ſpiritu priùs deficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ juniores, verſuſque, quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula intentione magna, & reddit, vicibuſque reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente

&

quædam reprehenſio. Ergo ſervorum illis precia ſunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio ſeſtertiis VI candidam alioquin, quod eſt propè inuſitatum, vænisse: quæ Agryppinę Claudii principis conjugi dono daretur. Viſum jam ſæpe, juſſas, canere cœpiſſe, & cum ſymphonia alternaſſe: ſicut homines repertos, qui ſonum earum, addita in transverſas arundines aqua, foramen inſpirantes, linguæve parva aliqua oppoſita mora, indiſcreta redderent ſimilitudine. Sed ex tantæ tamque artifices argutiæ à XV diebus paulatim deſinunt, nec ut fatigatas poſſis dicere, aut ſatiatas. Mox æſtu aucto in totum alia vox fit, nec modulata aut varia. Mutatur & color. Poſtremò hyeme ipſa non cernitur. Linguis earum tenuitas illa prima non eſt, quæ cæteris avibus. Pariunt Vere primo, cùm plurimum ſena ova. *Nulla Venus*] De quo ſic Ovidius: (ubi & diſcerpendi à mulieribus Orphei cauſſa apertior ponitur, quòd maſculam Venerem induxerit)

----omnemq; refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem: ſeu quòd malè ceſſerat illi,
Sive fidem dederat, multas tamen ardor habebat
Jungere ſe vati: multa doluere repulſa.
Ille etiam Thracum populis fuit author amorem
In teneros transferre mares, citraq; juventam,
Ætatis breve ver, & primos carpere flores.

Solus] Continuatur luctus Orphei è ſubjectis locis, ubi luxit. *Tanaimque*] Scythię fluvium, qui in paludem Mæotidem influit, Aſiamque ab Europa dividit. *Riphæis*] De quibus tertio Georgico:

Gens effræna virûm Riphæo tunditur Euro.

Spreta] Additur ad extremum mors diſcerpti Orphei per mulieres ab eo deſpectas. *Ciconum*] Cicones, populi Thraciæ ad Hebrum: de quibus Ovid. Met. 15.

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus,

Orgia] ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id eſt, à furore, Bacchanalia nominantur: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, à montibus: ut 4 Æneid.

Baccha-

Bacchatur qualis commotis excita ſacris
Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq́ vocat clamore Citharon.

Marmorea] Candida: qua metaph. pedes marmorei ab Ovidio dicuntur, Amorum2. *O Eagrius*] O Eagrus, pater Orphei, & cognominis fluvius Thraciæ, ex quo Hebrus fluit. *Lingua*] Talis affectus eſt illa vox Craſſi Oratorio 3: Hæc tibi eſt excidenda lingua: qua vel evulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit.

Hæc Proteus, & ſe jactu dedit æquor in altum:
Quaq́ dedit, ſpumantem undam ſub vertice torſit:
At non Cyrene. namque ultro affata timentem:
Nate, licet triſtes animo deponere curas.
Hæc omnis morbi cauſa: hinc miſerabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium miſere apibus. Tu munera ſupplex
Tende, petens pacem: & faciles venerare Napæas.
Nanq́ dabunt veniam votis, irasq́ remittent.
Sed modus orandi qui ſit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios præſtanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depaſcunt ſumma Lycai,
Delige, & intacta totidem cervice juvencas.
Quattuor his aras alta ad delubra Dearum
Conſtitue, & ſacrum jugulis demitte cruorem,
Corporaque ipſa boum frondoſo deſere luco.
Poſt, ubi nona ſuos Aurora oſtenderit ortus,
Inferias Orphei lethæa papavera mittes,
Et nigram mactabis ovem, lucumq́ reviſes:
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæſa.
Haud mora: continuò matris præcepta faceſſit.
Ad delubra venit, monſtratas excitat aras:

Quatuor eximios præſtanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.
Poſt, ubi nona ſuos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumq; reviſit.
Hic verò ſubitum ac dictu mirabile monſtrum
Aſpiciunt, liquefacta boum per viſcera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere coſtis:
Immenſasq; trahi nubes, jamq; arbore ſumma
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.

Hæc Proteus] Adhuc proſopopœia Protei fuit: ex qua, mali cauſſa colligitur. *Cyrene*] In altum ſe dedit, intellige. *Tu munera*] Remedium mali cogniti deſcribitur per ſacrificii ſpeciem: Si boves nymphis immolaveris, corporaque frondoſo luco obrueris, nonoque die parentaveris Orpheo & Eurydicæ recuperabis apes. *Napæas*] Νάπος, εος, receſſus montis: ubi magna copia flores proveniunt. inde Napææ, herbarum & florum deæ. *Eximios*] Eximium & egregium, ſacrorum verba ſunt. Sic enim dicuntur hoſtiæ eximiæ & egregiæ, quæ eximuntur de grege ad ſacrificium. Sic Æneidos ſexto:

Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit; totidem lectas de more bidentes.

Lycæi] Montis Arcadiæ. Hic ſynecdoche eſt ſpeciei pro genere, ſicuti tertio Georgico:

Paſcuntur verò ſylvas & ſumma Lycæi.

Quattuor his aras] Hæc videntur ad illa referri,

---& quattuor addunt,
Quattuor à ventis, obliqua luce feneſtras.

Aurora] Dicitur ante ſolis ortum ſplendor, eo quòd igne ſolis aureo aër tum aureſcit, ait Varro. *Inferias*] Inferiæ, ſacra ſunt pro mortuis fieri ſolita. Juſta à Cicerone nominantur, pro Roſcio Amerino: Hunc miſerum luctu perditum; qui nondum etiam paterno funeri juſta ſolviſſet, nudum ejecit domo. *Orphei*] Dativus eſt

græcus,

græcus, pro Orpheo, ſicut ecloga quarta,

Orpheï Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Lethæa papavera] Plinius libri decimi noni capite octavo, & viceſimi capite decimo octavo, papaveris duo genera facit, ſativum & ſylveſtre. Sativi tria genera; candidum, nigrum, rhœam. Papaveris autem largus ſuccus denſatur, & in paſtillos tritus in umbra ſiccatur, nõ vi ſoporifera modò, verùm etiam, ſi copioſior hauriatur, mortifera per ſomnum. Sed ſylveſtre ad omnes effectus valentius. *Nigram*] Sic Æneid. 5. in inferiis Anchiſæ.

----tot dein nigrantes terga juvencos]

Placatam] Pierius præponit hunc verſum ſuperiori. Eſt autem hic hypallage, Placatam venerabere, pro Veneratã placabis. *Haud mora*] Aſſumptio facti ad propoſitum conſilium. *Hic verò*] Complexionis ſententia de recuperatis apibus. *Stridere*] Sic antea, *mox & ſtridentia pinnis*. *Nubes*] Examina nubium ſimilia. *Uvam*] Apes enim βοτρυδὸν, & inſtar uvæ, conglobantur.

Hæc ſuper arvorum cultu pecorumq; canebam,
Et ſuper arboribus, Cæſar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorq; volentes
Per populos dat jura, viamq; affectat Olympo.
Illo VIRGILIUM *me tempore dulcis alebat*
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti,
Carmina qui luſi paſtorum, audaxq; juventa,
TITYRE *te patulæ cecini ſub tegmine fagi.*

Hæc ſuper] Peroratio totius operis Georgici, cum epilogo rerum expoſitarum: & notatione temporis: item loci & authoris, quando & ubi à Virgilio Bucolicorum authore hæc ſcripta ſint. *Arvorum*] De quibus primo libro. *Pecorumque*] De quibus tertio libro: & (ut Servio placet) etiam quarto, qui pecoris nomine etiam apes comprehendit. *Arboribus*] De quibus libro ſecundo.

Euphratem] Fluvium Meſopotamiæ, qui ipſam totam cum Tigri concludit: de quo circa finem primi Georgici,

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.

Victor] Sic 2 Georg. ----*& te maxime Cæſar,*

Qui nunc extremis Aſiæ jam victor in oris,

Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Affectat] Sic pro Amerino Nunc verò quam viam munitet, quod iter affectet, videtis. *Olympo*] Metonymia, pro Ad divinos honores. Hæc autem ἀποθέωσις Cæſaris, cantata eſt primo libro:

Tuq; adeò, quem mox quæ ſint habitura deorum

Concilia, incertum eſt.

& 3, *In medio mihi Cæſar erit, templumq; tenebit.*

Virgilium] Pierius hanc orthographiam per *i* tertiam vocalem ſequitur: & certè notatio nominis convenit. Sic Calvus, *Et vates, cui virga dedit memorabile nomen.*

Sive etiam à virginitate deducatur, ut quidam maluere. *Parthenope*] Quæ & Neapolis dicta eſt multis ante Auguſtum temporibus, cùm Cumani ejus conditores eam deſtruxiſſent, deinde oraculo moniti reſtituiſſent. *Ignobilis oti*] Periphraſis eſt poëticæ: qua de re Ovidius quarto Triſtium,

Sæpe pater dixit, Studium quid inutile tentas?

Mæonides nullas ipſe reliquit opes.

Juventa] Cum aggreſſus eſt Bucolica, viceſimum octavum annum Virgilius attigerat: cùm autem Georgica cõplevit, decimum annum addiderat. *Tityre*] Hic verſus ſynecdochen habet carminis pro tota ecloga, vel potius omnibus eclogis. Qualis tropus eſt ecloga quinta,

Hac nos, Formoſum Corydon ardebat Alexim:

Hac eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?

FINIS.

EMANUELE CIRCOLO ... IN ROMA

Notæ F.S. *in quibus G. Gelenianam Plinii*, St. *Stephaneam Ruſticæ rei autorum editionem ſignificat.*

Pag.*26*,verſ.10.Flor.editio habet,*At ſ.ſ.ſ.ſ,q docebant.* P.31, v.32, G.*enim maritantur:* qua de re vide pag.:41. *46*,*36*,G.*Quæ depaſta ſunt,ſarc.* *59*,*6*,malim *latior.* *61*,*21*, G.*perforant.* *63*,*29*, malim *durari.* *70*,*18*,G.*viceſimo quinto d.*& *20*,*Euctemon.* *71*,*8*,G. *Byzacio:*itemque Varro 1,44. Steph. in ſuis Urbibus utrunque probat. *79*, *24*, G.*quàm biduo ſerius.* *82*.*34*,malim, ut apud Var. eſt, *ex agreſti ligno.* *84*,*31*,malim *tondentur.* *87*,*33*,forſan *pratis tantùm illis q.* *88*,*1*, *Roſea* rurſum eſt apud Varr. 2,1: apud Plin.*Roſcia*.Ibid. 23, *conſumptionem*,ut pag. *334*. *93*,*8*, G. *minùs lato q.* *94*, *7*,G. *ex ſubj* *100*,*18*,G.*fulgor obſcuratur.* 104, 20,forſan *huic tr.* *107*,*23*, G.*pendentes:* & 2·, *cùm cinis in.* *109*,*31*, *Thetidos.* *111*,*8*,G,*acies firma c.* Ibid. 22. Scaliger *Purpuream:* & *23*, *At membris v.* & *27*, *nova macies obduxit ſqualida pelli:* & *34* *ſidere v.* *123*,*16*, G.*uno totius orbis loco colitur in t.* & *21*.*eo ſydere ſ.* *132*,*33*, pro *Vitellina* habes *Nitellina*, pag. *145*, v. *22*. quæ διττογραφία eſt etiam apud Plin.*16*,*37*. *134*,*28*,G. *quas enecet.* & *32*.*rad.cepiſſ.* *135*,*26*, G. *Hoc primum ſa: is cauſſa factum.* *137* *6*,G. XV *omninò g.* *142*,*34*,corruptus eſt locus:ac nominatim *amaras* pro *ſamaras* ſeu (ut apud Columel.eſt)*ſameras*.ſic enim dicuntur ulmorum ſemina: Colum.5,6:Plin. 16,17,& 17,11. Senſus poëtæ eſt, glandiferas arbores in ulmos fuiſſe inſitas,atque ita ulmos ſuibus non ſamaras præbuiſſe,ſed glandes,fructum non nativum,ſed inſititium. *144*,*15*,G.*medulla.Subtilior p.* *145*,*1*,Heſych. Ἀμυάδες. *150*,*11*,G. *cuncta ſibi Græcia cogn. prof.* & *13*, *prodiderunt.* *153*,*20*,G.*ferunt* MMM,*n.* *170*,*3*,apud Cat. c.5,ſic eſt,*caveto ne ares: neve ploſtrum, neve pecus impellas.* Ibid.11,G. anus terra. *173*,*20*, St.*leviſſ.* *176*,*2*, G. *quoniam indulg.* & *17*, *diei quintam:* & *37*, *ordinum r.* *192*,*19*, G. *vineam ter an.* & 30,*infra iugum deb.* *194*,*13*. malim *texendis.* *195*,*26*,*Græci* Ἱππεγαίους. *196*,*14*, G.*intra Verg.* *203*,*27*,G. *defluens D ſtad.* & v.*31*, *convexis ing.*

Digitized by Google

205,35,in ſuperioribus editionibus erat. *Baſſianum & Caracallam.* ſed legendum vel, *Baſſianum & Getam*; vel *Baſſianum Caracallam & Getam*, ut nunc repoſui. nam Baſſianus & Caracalla Herodiano, Spartiano, & aliis idem eſt. 207,27,forſan *Sebini*, ut παρὰ τὸ σέβειν. 211,25,Græci Μύκονον. 225,14,G.*incurſus*. 246,2,,Græci Γαιτουλίαν. 257,4,St.*altis & d.* 260,25,G *loro trahens: qua viſa, quàm ſilent & occultata, quàm ſign.* 263,16,q.c. *Tollebant aura venientis*: & 18, *& ſe Subl. cerv. rapit.* 271,12,Lamb. *huic.* 283,24,G. *Philiſcum*: Index Plinii, *Philiſtum*. Ibid. 31. apud Var. & alios *Averruncus*. 286,2 ,St. *multicavatus* 294, 34, forſan, *apes ea cauſ.* 305,5, G, *aptiſſimum exiſtimatur ęth.* & mox, *quod ſit pal.* 306,31, G, *Ambugia*. 316,4,G, *Struunt orſa ea conc.* & 17. *plebei*: ut infra pag. 323, 9. & 19, forſan, *ipſis maj.* 323,14, G. *aſſidui cuſtodes auctoritatis.* 325, 23, G. *nam, niſi incubavere, favos lividos f.* 331, 36, St. *Februariis.*

144,23, *Orchades* agnoſcunt Heſych. & Macrobius: *Orchites* eſt apud Servium, Catonem 7, Var. 1, 60: Plin. 15, 1. Apud Colum. eſt non tantùm *Orchis*, 5,8: ſed & *Orchita*, 12,47, & 48, apud Plin. etiam nomin. ſingul. *Orchites*, 15,3. In Gloſſar. autem, *Orcha*, ἐλαίας ἐπιμήκεις: ut dictæ ſint παρὰ τοὺς ὄρχεις. 146,33, *Cruſtumina* apud Plin. & Colum. 5,10. 164,30. Plin. 3,5, *Glanicum* & *Glanin*: ut & Steph. Γλάνιν. 199,11, q, c, *Illic*. Ibid. 205 malim *Objicibus*: quum ſic & metrũ poſtulet, & originatio. *Subjices* certè ſic legimus, à ſubjiciendo. 292,13, forſan *meliſphylla*, metri cauſſa. ſic enim apud Col. & Pallad. eſt per ſyncopen pro *meliſſophylla*. 326,31, q.c. *Affixa ven.* 344,4, Servius *Satureum* vocat, Steph. Σατύρειον.

Cætera linquo tibi ſpatiis excluſus iniquis.

Digitized by Google

Digitized by Google